



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
24 G
5
ROMA

# HISTORIA DIPLOMATICA

# FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNUS EX ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM SOCIIS

TOMUS II

PARS II

PARISIIS
EXCUDEBANT PLON FRATRES,
36, VIA DICTA VAUGIRARD
MDCCCLII

# FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

# HISTORIA DIPLOMATICA.

# HISTORIA DIPLOMATICA

# FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.



AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS II.

PARS II.

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

# FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIÆ REGIS

# HISTORIA DIPLOMATICA.

TOMI SECUNDI PARS SECUNDA.

---

ANNO 1226. — INDICTIONE 14.

---

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Alberti Magdeburgensis archiepiscopi, ei et ecclesiae ejus confirmat et donat episcopatum, castrum et civitatem Lebus cum omnibus proventibus et juribus, sicut olim patruus suus Philippus Romanorum rex eidem archiepiscopo et ecclesiae ejus donaverat et concesserat. Apud Parmam, junio.

(Edider. Gercken, *Cod. Brandeb.*, IV, 436. — Sagittarius, *Hist. duc. Magdeb.*, lib. IV, p. 126-129. Collat. ex Cod. diplomat. Magdeb. in arch. reg. Berolin. n° 10, ubi transcribitur fol. 38 recto-verso et fol. 44 recto, 45 recto.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, in perpetuum. Tunc princeps Romanus gloriatur in subditis

et decus extollitur imperatorie majestatis, cum ad suos devotos imperii principes pro servitiorum meritis et magnificentia meritorum provida liberalitate respiciens, labores eorum digna retributione proseqnitur ac ipsorum devotionem munifica liberalitate compensat; quos dum imperialis excellentia provehit, in provectibus eorum commoda sua magnificat, et dum uni ex debita gratitudine respondet ad merita, ceterorum animos ad sui servitntis corroborat unitatem. Accedit etiam imperiali culmini decorus titulus apud Deum quod pro meritis personarum in ecclesiis quibus presunt et de quarum substantia imperialis ntilitas fuit pro tempore procnrata, ecclesiarum auctor et Dominus honoratur. Ea propter notum fieri volnmns universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus princeps noster Albertus, venerabilis Magdeburgensis archiepiscopus, coram nostra proposuit majestate quod patruus quondam noster Philippus Romanorum rex clare memorie donavit et concessit ei et Magdeburgensi ecclesie episcopatum, castrum et civitatem Lebus, [humiliter supplicans ut] ei ac nominate ecclesie sue de nostra gratia confirmare et concedere dignaremnr. Nos igitur attendentes grata et mnltiplicia dilecti principis nostri servitia, qne non absque incomparabilibus ecclesie sue damnis et expensis gravibns ab exordio nostre promotionis nobis et imperio ad nostrum et imperii honorem exhibuit et exhibet incessanter ac in antea exhibere poterit gratiora, dignum duximus labores ejus, multiplicium servitiorum suornm merita et ecclesie sue damna que sibi pro nostris illata sunt servitiis intneri; ac honestam supplicationem illius qnam in conspectu nostro fides et justitia provehunt et presentant liberaliter admittentes, ex innata mansuetudine nostra qua consnevimus bene meritis respondere, sui grati servitii merito et in recompensationem damnorum ecclesie sue, de consensu fidelium nostrorum principum imperii confirmamus et de uberiori gratia donamus ac concedimus eidem principi nostro dilecto Alberto venerabili Magdebnrgensi archiepiscopo et sue sancte Magdeburgensi ecclesie episcopatum, castrum et civitatem Lebns in proprietatem et possessionem perpetuam cum omnibns proventibus suis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis, piscationibus, nemoribus, silvis, venationibus, oppidis, jurisdictionibus, utili-

tatibus, opportunitatibus ac cunctis juribus eorum, sicut ad nos et imperium spectare noscuntur, nec non cum ceteris pertinentiis suis occupatis pro tempore ac detentis quas ab occupatorum manibus eruere potuerit, qui eas non absque imperii prejudicio et injuria invaserunt et per violentiam detinere contendunt. Que omnia olim dilectus patruus noster Philippus Romanorum rex eidem archiepiscopo et ecclesie sue supradicte donavit, sicut evidenter innotuit nostre majestati. Statuentes insuper et presentis auctoritate privilegii sancientes ut nullus princeps, dux, marchio, comes, advocatus, scultetus, ministerialis, nullaque persona sublimis vel humilis, publica vel privata, ecclesiastica vel mundana, contra presentis confirmationis, donationis et concessionis nostre paginam venire presumat. Quod qui presumserit, in sue temeritatis vindictam quingentas libras auri optimi se compositurum sciat, quarum medietas fisco nostro et reliqua patienti injuriam persolvatur. Ad hujus itaque confirmationis, concessionis et donationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri fecimus, quod sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Hujus autem rei testes sunt Geroldus patriarcha Ierosolymitanus (1), Henricus Mediolanensis, Landus Reginus archiepiscopi; Henricus Wormaticnsis, Engelhardus Nuemburgensis, Conradus Hildensemensis, Eckardus Merseburgensis, Henricus Basiliensis, Henricus Brixinensis, Jacobus Taurinensis, Albertus Brixiensis, Gracia Parmensis, Mainardinus Imolensis episcopi; Hugo de Morbach, Fridericus de Prume (a) abbates; Otto Aquensis, Heinricus Sanctorum Apostolorum in Magdeburgo, The-

(a) Apud Sagittarium *Sifridus de Prome*, male.

(1) Quomodo Geroldus iste in sede Hierosolymitana Radulpho successerit, discimus ex epistola posteriori Gregorii IX, dat. Laterani, 28 april. 1227. Postquam Thomas Sanctae Sabinae cardinalis ad sedem vacantem postulatus fuisset, Romana tamen curia non consensisset, canonici Sancti Sepulcri Romam venerunt cum plena pastoris eligendi potestate, et Geroldum Valentinum episcopum virum utique commendandum postulaverunt. Quem Sedes Apostolica benigne acceptum ab ecclesiae Valentinae regimine absolvit et pallio decoravit. Inedit. in collect. La Porte du Theil, ap. Biblioth. Paris., anno Gregorii primo, n° 56.

genhardus in Houge (a) Herbipoli prepositi; Albertus dux Saxonie, Ludewicus lantgravius Thuringie, Rainaldus dux Spoleti; Hermannus marchio de Baden; Mainardus de Gorzeth (b), Henricus de Schwarzburg, Conradus de Eversten, Sifridus Vienne, Guido Tuscie, Mainardus de Moleburch, Thadeus de Urbino comites; Gevehardus et Walterus fratres de Arnesten, Gotfridus de Honlo, Waltherus et Albertus filius suus de Langenberch, Ludolphus de Benlestede (c), Henricus et Henricus fratres de Wida, Henricus de Cremakowe (d), Bartholomeus de Smitherhusen (e), Hartmodus de Borgh.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense junii, quartadecima indictione, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jherusalem et Sicilie rege, anno ejus Romani imperii sexto, regni Ierusalem primo, regni vero Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

Datum apud Parmam, anno, mense, indictione prescriptis.

---

Parmae, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Patneburgensis (Paderbornensis) episcopi, Osnaburgensis ecclesiae provisoris, confirmat instrumentum olim inter electum ipsius ecclesiae et burgenses civitatis ejusdem super venditione medietatis judicii civitatis confectum.

(Edid. Moser, *Osnabr. Gesch.*, III<sup></sup>a pars, Docum., n° 142, ex autogr. in arch. civit. Osnabr.)

(a) Desunt hec duo verba in Sagittario.
(b) Alias *de Garzech*, male; recte *Goritz*.
(c) Alias de *Berthested*, minus recte.
(d) Alias *de Tremavolbe*, minus recte.
(e) Nisi sit *de Sunthershusen*, ut in impressis.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Ad laudem principis cedit et gloriam et ejus decenter ornamentum, quociens petitiones et vota fidelium principali favore prosequitur et in eorum commoditatibus manus sue munificentie benignius aperitur; presertim cum non minus in confirmandis quam in conferendis laus imperatorie dignitatis accrescat. Ea propter notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus et fidelis princeps noster Patneburgensis episcopus, provisor Osneburgensis ecclesie, serenitati nostre pro ipsa ecclesia tam devote quam humiliter supplicavit ut quoddam instrumentum olim inter ipsius ecclesie electum et burgenses civitatis ejusdem super venditione medietatis judicii civitatis ipsius confectum, confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos autem ejusdem episcopi fidem puram et devotionem sinceram quam ad nostram semper habuit excellentiam attendentes, nec non fidelia et grata servitia que dicta ecclesia nobis et imperio laudabiliter exhibuit et que in antea poterit de bono semper in melius exhibere, supplicationes ipsius benigne admisimus et instrumentum predictum, sicut juste et rationabiliter factum est, de nostra gratia confirmamus; mandantes et firmiter injungentes ut nulla omnino persona parva vel humilis, ecclesiastica vel secularis, jamdictam Osnaburgensem ecclesiam contra hanc confirmationem nostram ausu temerario impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit graviter incursurum. Ad hujus autem confirmationis nostre memoriam et robur in perpetuum valiturum, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Parme, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense junii, quarte decime indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni Jerusalem primo et regni Sicilie vicesimo octavo (a), feliciter. Amen.

(a) Sic : recte tamen *vicesimo nono*.

---

In civitate Parmensi, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, Flandrinam abbatissam et moniales monasterii Sancti Pauli de Parma cum omnibus earum bonis in protectione sua suscipit, ab omni exactione eximit, atque eis jurisdictionem concedit ita quod punire pecunialiter possint.

(Edid. Affo, *Storia di Parma*, tom. III, p. 348, append. n° XLIX, ex origin. in archiv. mon. S. Pauli Parmensis.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Flandrina venerabilis abbatissa et collegium monialium monasterii Sancti Pauli de Parma, fideles nostre, supplicaverunt celsitudini nostre tam humiliter quam devote quatenus eamdem abbatissam, idem collegium ac omnes sibi canonice succedentes una cum monasterio, obedientiis, terris, hominibus et omnibus bonis earum sub protectione nostri culminis recipere dignaremur. Nos igitur attendentes celibem vitam et laudabilem conversationem earum, qualiter etiam devotus sexus femineus in fervore speciali jugiter et incessanter divino cultui famuletur, ob remedium divorum augustorum Romanorum principum recolende memorie predecessorum nostrorum et pro incolumitate nostra, divine quoque retributionis obtentu, pias supplicationes earum benigno prosequentes assensu eamdem abbatissam et sacrum collegium consororum suarum ac omnes sibi in posterum canonice succedentes necnon monasterium, obedientias, terras, homines ac omnia bona earum que tum concessione principum, largitione pontificum, tum aliorum oblatione fidelium vel alio justo titulo impresentiarum tenent et possident ac in antea juste poterunt adipisci, sub imperiali protectione nostra recipimus et favore. Concedentes et eidem monasterio de nostra gratia liberaliter indulgentes ut nullum amodo fodrum, dacitum, exactionem aliquam alicui civitati seu communi vel

alicui etiam persone private seu publice, salvo tamen jure imperii, solvere teneatur; concedentes insuper ut si monasterium memoratum causas cum aliquo habere contigerit, abbatissa ejusdem loci sacramentum calumpnie facere in persona propria non cogatur, sed per sindicum suum fiat. Concedimus quoque monasterio memorato ut ejusdem monasterii abbatissa jurisdictionem habeat in hominibus suis quos habet in episcopatu Parmensi, quatenus punire pecunialiter possit eos. Preterea de affluentiori nostre gratia majestatis eidem monasterio concedimus ut nulla nisi sexagenaria prescriptio ei objici possit in rebus vel possessionibus suis tam habitis quam habendis. Statuimus tamen et presenti edicto sancimus ut nulla civitas nullumque commune ac nulla persona ecclesiastica vel secularis, alta vel humilis, circa predicte concessionis nostre paginam prefatum monasterium impetere vel molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam triginta libras auri puri componet, medietatem videlicet fisco nostro et reliquam medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus itaque concessionis nostre memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri fecimus et sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt A. venerabilis Magdeburgensis archiepiscopus, A. (*a*) Warmatiensis et R. Curensis episcopi, L. langravius Turingie, A. dux Saxonie, R. dux Spoleti, comes Maynardus in Gorze et quamplures alii qui interfuerunt.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense junii, quarte decime indictionis, imperante domino Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno ejus Romani imperii sexto, regni Jerosolimitani primo, regni vero Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

Data in civitate Parmensi, anno, mense et indictione prescriptis.

(*a*) Rectius tamen *H.*, scilicet *Henricus*.

Apud Parmam, 5 junii.

Fridericus, Romanorum imperator, in potestatem Papiensem nominat Villanum de Aldighieriis de Ferraria; qui coram imperatore et legatis communis Papiensis jurat se ad honorem imperatoris et felicem civium statum reipublicae provisurum, imperialia mandata super dissensionibus quae in civitate erant obsecuturum, emendatores sine fraude electurum, haereticos ab urbe et districtu Papiensi ejecturum et leges imperiales pro ecclesiastica libertate inviolabiliter observaturum.

(Memorat. ap. ROBOLINI, *Notizie storiche di Pavia*, IV, 1, 107, ex *Bossii Stor. civ. Pav. Mss.*, qui nititur uno *rogito* notarii Martini de Ciriaco.)

Datum apud Parmam, V junii, XIV indictionis.

---

Apud Parmam, 5 junii.

Fridericus, Romanorum imperator, notum facit quibus viis discordias et factiones inter milites et populum Papienses exortas sedari jusserit.

(Memorat. ap. ROBOLINI, *Ibid.*, IV, 1, 108, ex eodem fonte; ubi praecipuos decreti imperialis articulos enarrans, instrumentum ipsum a Pietragrassa in istius *Annotationibus* insertum dicit.)

Datum apud Parmam, V junii (1), XIV indictionis.

---

Laterani, 9 junii.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribit, horta-

(1) Licet Robolini et Pietragrassa diem quintum *julii* referant, quemdam in transumpto errorem libenter suspicamur, quum istud mandatum praecedenti connexum videatur, et insuper imperator quinto julii apud burgum Sancti Donnini, non apud Parmam fuerit moratus.

turque ut regi Daciae ab Henrico comite de Zuerin carcerato et oppresso opem ferat.

(Memorat. in *Indice epist. Honorii III*, in collect. La Porte du Theil, in Biblioth. Paris.)

Datum Laterani, V idus junii, anno pontificatus nostri X.

---

Geroldus patriarcha Jerosolymitanus et omnes praelati tam Theutonici quam Italici, cum eo apud Parmam constituti, episcopo Hildesemensi consilium praebent ut juxta litteras apostolicas sententiam excommunicationis in Lombardos proferat, cum isti Henrico Romanorum regi et principibus accessum ad imperatorem in curia Cremonensi denegaverint, nisi sub certis conditionibus quae omnino imperialem excellentiam dedecebant. Apud Parmam, 10 junii.

(Edidit H. Sudendorf, *Merkwürdige urkunden für die Deuts. Gesch.*, erst. Theil, p. 89, n° XLII, ex diplomatario Hildeshem. manuscr. hactenus inedito.)

G. Dei gratia patriarcha Jerosolimitanus, A. Magdeburgensis, . . . Burdegalensis, . . . Mediolanensis, L. Reginus archiepiscopi, Jacobus Acconensis, E. Merseburgensis, H. Wormatiensis, . . . Curiensis, . . . Nuenburgensis, . . . Basiliensis et . . . Brixinensis, G. Parmensis, . . . Imolensis, . . . Brixiensis, . . . Pergamensis, . . . Vercellensis, . . . Novariensis, . . . Astensis, . . . Terdonensis, . . . Aretinus et . . . Thaurinensis episcopi, . . . Murbacensis, . . . Prumiensis, . . . Fabariensis et . . . Nonantulanus abbates. Notum facimus universis presens scriptum perspicientibus quod cum dominus Fridericus illustris Romanorum imperator, semper augustus, Jherosolime et Sicilie rex, sibi assumeret onus ad negotium Terre Sancte divinitus inspiratus, in Italiam venire proposuit de consilio sapientum pro dicto negotio promovendo,

filio suo illustri Romanorum regi, semper augusto, ac principibus Alemannie die et loco ad hoc specialiter assignatis, sicut ex litteris ipsius imperatoris quibus vocavit eosdem evidenter apparet. Porro cum ad locum secundum propositum statuto termino declinaret transiretque pacificus per civitates et stratas, nemini injuriam inferens vel gravamen, prout tam sancto proposito noverat plenius expedire, dictus filius cum principibus antedictis a quibusdam civitatibus Lombardie, videlicet Mediolano, Brixia, Mantua, Verona, Tervisio, Padua, Vercellis, Bononia, Faventia, Placentia et Alexandria, aperte fuit et efficaciter impeditus; ita quod ad patrem venire non potuit, sibi et suis transitu penitus denegato, licet dominus imperator indempnitati civitatum ipsarum cavere offerret et disponere usquequaque; sed ipsi cives cautiones hujusmodi inter ceteras exigebant : videlicet quod quamdiu ipse dominus imperator esset in Lombardia, Marchia vel Romagnola, ipsos supponere banno imperiali non posset, volentes astringere ipsum filium ac principes memoratos ut mille et ducentorum equorum numerum non excederent ad colloquium venientes, victualia quoque que dominus imperator ad idem colloquium deferri pro suis et suorum necessitatibus faciebat specialiter inhibendo. Et si aliquos secum habebat armatos, ipsos ad propria remitteret antequam ad ipsum filius perveniret. Cum igitur indecens esset ac penitus inhonestum dominum imperatorem taliter coartari ut ad instantiam querulantium non posset justiciam exercere, cum legisdator non debeat legis executione privari ac jurisdictio debeat comitem cohercionem habere, . . . . . . . (a) regem Alemannie, Aquilegensem patriarcham, Maguntinum, Treverensem, Salzeburgensem archiepiscopos, Herbipolensem, Babenbergensem, Halverstadensem, Pataviensem, Augustensem et Tergestinensem episcopos, Austrie, Bawarie, Carinthie, Meranie et Limburgi duces, marchionem de Andest (b), ac alios nobiles et barones quamplures qui cum eis erant, ad tam modice numerum quantitatis astringi quod venire non possent ad colloquium aliqua ratione, nisi quilibet eorum majorem partem proprie familie remitteret predicta necessitate

(a) Ibi autem quaedam deesse videntur.
(b) Rectius *de Andechs*.

coactus, ac taliter ipsi colloquio interesset sine servitoribus indecenter, quamvis dominus imperator non habens animum aliquem offendendi (a), ut remissis dextrariis atque armis, dummodo sub numero qui deceret, venirent ad colloquium nominatum. Mirumque pluribus videbatur quod prohiberetur propriis victualibus sustentari, cum predecessores sui satis aliter se habuerint transitum per imperium facientes. Quod autem ad instantiam civitatum, armatos quos secum habebat, antequam ipse filius cum principibus perveniret ad ipsum, remittere teneretur, suspicionis scrupulo non carebat, quia cum adhuc dubium esset utrum ad ipsum filius venire deberet, si sic remitteret quos habebat certa relinqueret pro incertis, sicque solus inter eos utique remaneret qui jam ei certis indiciis reddiderant se suspectos. Requirebant preterea quod dominus imperator, filius ejus ac principes eorumdem se jurisdictioni domini legati supponerent in hac parte, qui terras interdicere teneretur ex facto et excommunicare personas, si quamdiu in Italia moraretur civitates predictas bello vel modo quolibet molestaret, ac personam domini imperatoris, precipue si preter molestationes reliquas vellet statum eorum etiam juris ordine aggravare, et dominus papa has sententias confirmaret. Quod quidem hilariter admisisset, si juris equitas et honestas fieri talia paterentur. Cum autem admittere supradicta imperialem excellentiam penitus dedeceret, maluit sibi illatas injurias sustinere quam ad inconvenientia obligari que superius sunt expressa. Inter hec venerabilis Hildesemensis episcopus ad domini imperatoris instantiam produxit in publicum domini Pape literas, in quibus continebatur expresse quod in favorem ac reverentiam crucis Christi dominus Papa suscipiebat sub beati Petri protectione et sua ipsum dominum imperatorem ac filium ejus, honores, jura imperii atque regni, eidemque domino episcopo firmiter injungebat ut quotienscumque foret super hoc requisitus, monitione premissa, censura ecclesiastica coherceret perturbatores imperialium jurium et honorum. Unde a nobis, tanquam vir providus et discretus, consilium postulabat instanter utrum propter precedentes injurias et offensas in prefatos Lombardos animadver-

(a) Deest unum verbum : fortasse *annuerat*.

tere teneretur de jure, interdicendo terras et personas eorum excommunicationis vinculo innodando. Ad quod ei duximus unanimiter consulendum quod cum ipsorum Lombardorum immoderatus excessus liquido demonstraret evidentem contumaciam et injurias eorumdem, secundum formam mandati apostolici sententiando procedere contra eos de jure poterat et debebat. Ea propter ad ipsius episcopi instantiam et excusationem ac processus firmitatem ejusdem, duximus hec nostra consilia sigillis presentibus solempniter communire.

Actum apud Parmam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXVI°, X junii, XIIII° indictionis.

---

[13 junii circiter.] Praelati et barones in exercitu Ludovici Franciae regis crucesignati Friderico Romanorum imperatori exponunt injurias ab Avinionensibus eidem regi et crucesignatis illatas, deprecantes ne ulli falsae suggestioni de obsidione civitatis Avinionis fidem adhibeat, cum rex contra jus imperatoris venire nec velit nec debeat.

(Edit. ap. De Vic et Vaissete, *Hist. génér. de Languedoc*, t. V, preuves n° 133, p. 638, édit. du Mège, ex thes. chart. Albig., n° 10. Aderant viginti sigilla inter quae sigillum Amalrici de Monteforte.)

Serenissimo domino Frederico Dei gratia Romanorum imperatori et semper augusto, G. divina permissione Remensis et G. Senonensis archiepiscopi, Laudunensis, Carnotensis, Lingonensis, Atrebatensis, Aurelianensis et Meldensis episcopi, Philippus comes Bolonie, Th. comes Campanie, G. comes Sancti Pauli, comes Namurcensis, comes Montisfortis, comes Guido Sagiceensis, comes Vindocinensis, Robertus de Cortenayo Francie buticularius, Ingerammus de Cociaco, Stephanus de Sacro Cesare, Ursio cambellanus et Johannes de Nigella, salutem et cum omni honore sincere dilectionis plenitudinem. Cum sicut ad vestram credimus pervenisse notitiam, carissimus dominus noster Ludovicus rex Francie

illnstris, ad instantem petitionem reverendi in Christo patris R. Sancti Angeli diaconi cardinalis Apostolice Sedis legati in Francia, signnm crucis assnmpsisset ad expugnandam de fendo suo hereticam pravitatem et relevandam in eo fidem christianam qne penitus ibidem esse dinoscitur suffocata, de consilio nostro et omninm eorum qni cum eo erant crucesignati, ordinatum est per Avinionem dirigere iter sunm et nostrum, eo quod in feodum sunm liberius et expeditius qnam per alibi transiret per pontem cum exercitu suo; eo potissime considerato quod cnm adhuc esset rex in Francia, ab ipsis Avinionensibus snper hoc pluries fuerat requisitus. Tandem per Avinionem sicnt dictum est direxit dominns rex iter snum, et cum jam esset in procinctu itineris, occurrerunt ei apud Montellum Aymardi (1) ipsi Avinionenses, domino regi et exercitni sno per viam Avinionensem transitnm promittentes et ab ipso legato beneficium absolutionis instanter postulantes. Qui libenter et liberaliter promisit eis beneficium absolutionis, recepto ab eis juramento quod starent mandato Ecclesie et quod domino regi et exercitui sno liberum per Avinionem transitum exhiberent; et ad majorem secnritatem promiserunt eidem legato obsides se datnros. Cum igitur dominus rex et nos de juramentis et promissis eorum confisi, ipso die Pentecostes (2) venientes Avinionem et libere transire credentes transire non potuimns, dictis Avinionensibus contradicentibus et contra prestitum jnramentum temere venientibns. Verumtamen obsides tradiderunt, sed non quos vel quales promiserant; sed a juratis conventionibns retro penitns abenntes, cuidam parti exercitus domini regis et nostri quam transire permiserant per pontem ligneum qnem extra villam fecerant et domino regi ac nobis victualia ct alia venalia contra promissum denegarunt, et plures de crucesignatis interfecerunt, et pontem ligneum quem fecerant confregernnt, nnllatenns permittentes quod crucesignati quos Avinione per pontem ligneum proditiose transire permiserant, possent ad exercitnm reverti, nec nostros ad illos qui transierant venire permittebant; dampna domino regi

(1) Scilicet *Monteil-Adhémard (Montélimart).*
(2) In hoc videlicet anno, 7 junii.

et nobis quam poterant et gravamina irrogando, licet dominus rex patentes litteras suas dedisset eisdem per quas ipsos et omnia bona eorum et muros ville penitus assecurabat de se et nobis et omni exercitu crucesignatorum. Cum igitur videretur ab omnibus negotium pacis et fidei sic per Avinionensium malitiam ac violentiam impediri, dominus rex ad petitionem et instantiam domini legati et ad preces nostras et laudamentum et aliorum crucesignatorum exercitus christiani, Avinionenses obsedit tanquam hereticos et hereticorum receptatores et fautores. Ne autem serenitati vestre falso suggeratur aliter fuisse factum, nemini super hoc fidem adhibere velitis, cum per litteras ipsius legati ac domini regis et presentes litteras nostras totius veritas processus vobis liqueat manifeste, quas vobis deferunt presentium portitores (1). Novit etiam Deus, qui cordium novit abscondita, quod dominus rex et nos cum eo sicut peregrini solummodo hoc facimus propter Deum ac promotionem fidei christiane, ad quod omnes catholici tenentur astricti, salvo in omnibus et per omnia jure vestro contra quod dominus rex ullo modo venire nec vellet nec deberet (2).

---

Apud burgum Sancti Donnini, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, civitati Mutinensi antiqua jura ac privilegia confirmat, inter quae jus monetae cudendae.

(Edit. ap. MURATORI, *Antiq. Ital. med. aevi*, t. II, p. 705, ex transumpto authentico anni 1245, in regesto Mutinensi, et ap. ARGELATI, *De Monetis Ital.*, t. I, p. 72.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et

---

(1) Ludevicus VIII, teste Philippo Mouskes, litteras tam istas quam suas et legati ad imperatorem deferendas commisit Bellovacensi et Cameracensi episcopis et abbati Sancti Dionysii.

(2) Hoc ipso tempore has fuisse scriptas litteras arbitramur quo legatus ipse suas dedit, scilicet inter Pontem Sorgiae et Avinionem, idibus junii 1226. Cf. VAISSETE, *ibid.*, nº 132.

Sicilie rex. Preclara fidelium nostrorum obsequia manifestis indiciis operum comprobata tanto debemus libentius munificentie nostre muneribus prevenire quanto celsitudini nostre grata exhibentur pariter et accepta. Nolumus enim a mercede repellere illos a quibus beneficia recepimus gratiosa nec benemeritos sine condigne retributionis vicissitudine preterire. Universis igitur imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod nos diligentius attendentes fidem puram et devotionem sinceram quam commune civitatis Mutine, fideles nostri, erga predecessores et maxime progenitores nostros Romanorum imperatores memorie recolende necnon et celsitudinem nostram semper habuisse noscuntur; diligentius etiam attendentes fidelia satis et grata servitia que nobis et imperio semper exhibuerunt et que in antea de bono in melius poterunt exhibere, de innata culmini nostro clementia qua fideles nostros et benemeritos digne semper consuevimus prevenire, homines ejusdem civitatis undecumque per partes imperii transeuntes et venientes ad civitatem eamdem cum personis et rebus eorum omnibus sub protectione nostre majestatis recipientes, concedimus et confirmamus ejusdem civitatis communi et heredibus ac eorum successoribus in perpetuum omnia privilegia et concessiones factas eis a predecessoribus nostris Romanorum imperatoribus seu regibus et omnes bonos usus et consuetudines tam in civitate quam extra in districtu et comitatu ejusdem, quibus eorumdem predecessorum nostrorum temporibus usi fuisse noscuntur. Concedimus autem ipsis jurisdictionem plenam tam in criminalibus quam in civilibus causis in civitate et extra in districtu et comitatu suo, et que competunt occasione jurisdictionis ipsius. Derivationes quoque aquarum totius districtus et comitatus ejusdem tam fontium quam fluminum et publicorum locorum usus et utilitatem provenientem ex eis ac potestatem habendi navigium, exercendi et mutandi usque mare et quocumque ire voluerint eis concedimus et damus. Concedimus insuper ut liceat eis flumen Situle, Samodie et Scultenne mutare et advertere et eis aquam ubicumque et undecumque voluerint derivare. De abundantiori quoque gratia celsitudinis nostre concedimus predicte civitatis communi ut licitum sit eis monetam sub charactere nostri nominis pro voluntate et

commodo suo cudere, facere et habere magnam vel parvam, que ubique terrarum nostri imperii expendatur et currat et ei debeant nomen pro sua imponere voluntate. Ad majorem autem predicte civitatis cautelam statuimus ut absque contradictionis nota in omnibus civitatibus et locis imperii nostri cursum habeat et debitum obtineat precii sui vigorem. Hec autem omnia jam dicte civitatis communi ex certa nostra scientia concedimus et donamus, de quibus omnibus investivimus civitatem eamdem in personis fidelium nostrorum Berardi Rolandi Rubei Parmensis potestatis ipsius civitatis Mutine, Alberti Papiensis legum doctoris et Bonifacii Ducis de Ganazeto, qui super hoc ad excellentiam nostram a dicte civitatis communi fuerunt destinati. Statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona parva vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra hanc concessionem et donationem nostram aliquo tempore venire presumat vel ei ausu temerario contraire. Quod qui presumserit, indignationem nostram et penam quingentarum librarum auri puri se noverit incursurum, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvantur. Ut autem hec nostra concessio et donatio rata semper et inconvulsa permaneat, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, . . . Curiensis episcopus et abbas Sancti Galli, . . . Cicensis, . . . Idelsemensis, . . . Basiliensis, Jacobus Taurinensis, Maynardus Imolensis, . . . Novariensis, . . . Brixiensis et Gratia Parmensis episcopi, . . . lantgravius Thuringie, . . . dux Saxonie, Raynaldus dux Spoleti, Comes G. (a) de Vienna et alii quamplures.

Signum domini Frederici Romanorum imperatoris secundi, Dei gratia invictissimi, semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, mense junii, XIV indictione, imperante domino nostro Frederico II Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni

(a) Rectius tamen, ut supra monuimus, S. (*Sifridus*).

Hierusalem primo, et regni Sicilie vigesimo octavo (*sic*), feliciter. Amen.

Datum apud burgum Sancti Donnini, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Fridericus, Romanorum imperator, irritam pronuntiat sententiam de finibus inter Bononiam et Mutinam quondam prolatam, novosque terminos statuit quos inviolabiliter observari jubet. Apud burgum Sancti Donnini, junio.

(Edid. Muratori, *Antiquit. Ital. med. aevi*, t. IV, p. 215, ex transumpto anni 1245, in tabulario Mutinensi.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod nos attendentes integritatem fidei et devotionis sincere necnon et accepta satis servitia que Mutinenses cives fideles nostri nobis semper et imperio exhibuerunt et jugiter exhibere non cessant; ut fides probabilis eorumdem de bono semper crescat in melius et ad devotionem et fidem nostram multi trahantur alii per exemplum, de plenitudine potestatis nostre et speciali gratia quam habemus ad ipsos, compromissum factum inter Bononienses et ipsos Mutinenses in Ubertinum tunc potestatem Bononie de quibusdam terris et locis et confinibus et laudum ab eo factum (1) et confirmationem a quocumque de predictis et designationem factam ab eodem et positionem terminorum et omnia que facta fuerunt de predictis locis et terris et confinibus et pro predictis locis, occasione dicti compromissi vel alia occasione, cum predicti Mutinenses possederint vel quasi et Bononienses ab eis peterent; cassamus et in irritum deducimus, ita quod predictum compromissum vel aliquod predictorum nullius sit momenti; restituentes

(1) Scilicet anno 1204, 19 maii, indictione VII, in plena concione Bononiae; ut refert ipse Muratorius, *ibidem*, p. 211, 214.

eis Rocham de Corneta quam dicti Bononienses eisdem Mutinensibus abstulerunt; constituentes etiam ipsum commune Mutine possessorem de predictis locis et terris omnibus et Rocha, ut possint uti locis ipsis et terris et Rocha et eorum possessionibus, sicuti domini sue rei. Confines autem et terminos inter Bononienses et Mutinenses statuimus et ordinamus inviolabiliter observari et teneri : videlicet a summo Alpis magne ubi dicitur ad Scalas a cornu orientali ipsius Alpis et inde per vallem Guffouariam, descendendo et veniendo per montes et colles rectos usque in Zibriano per medium Zibrianum et per medium collinum veniendo ad Voltitium et inde per collinas ad Senecellium, tenendo collinas per mediam Stanchatoriam et per podium de Costornio et inde per collinam eundo per podiolum Rofegnanum, veniendo jusum a mane Canevatie et per collinam a mane Paulate usque ad fontanam Lombardesem. Et ista collina fuit antiquitus nominata Alpis maxima. Et a dicta fontana tendunt jusum, sicut strata currit per hospitale presbyteri Paxuti et per lamam Azonis de Fregnano et inde per silvam Montesanam sive per canolam Rofregnanam ad Sanctam Luziam, et altare Sancte Luzie est terminus. Et a Sancta Luzia descendunt per stratam jusum usque ad crucem de Torileto et per ipsam stratam ad crucem Pipini et inde ad montem de termino eundo per montem Lulianum et per podium de Spiucola et per molendinum de rivo de Scamlia et usque super montem predictum terminum ascendendo, et per medium ipsum montem descendendo jusum per rivum qui est inter Stantianum et Tiguentem et inde ascendendo ad Montem acutum et a Monteacuto in Castaneolo et a Castaneolo ad Lavacletum et ad montem Caputium et inde ad rivum de Vidiclis et per ipsum rivum usque ad clusam, et inde versus sero eundo per terminum fixum ad montatas de Cruxello et ab eo termino ad rivum de Cercletulo et inde ad Borram que est a domo Manganorum, ita quod ipse domus se colligunt a parte Mutinensium, et inde ad terminum fixum juxta domum Favatiorum et inde veniendo per Cassolam que venit a Gaudiano per Cassolanum tendit jusum a Boscho Cereti in rivo et per rivum usque ad Salsam de Lavarolo et jusum per ipsum rivum inter montem Calvulum et Mongenarium, et sicut discurrit

idem rivus usque ad semitam que est et que ascendit sursum desuper domum de Pelaochis de Granarolo usque ad viam que inde vadit, et per ipsam viam comprehendendo infra dictos coufines Maudriam et Sanctum Andream in Corniliano descendendo ad fossatum de subtus Granarolo inter Bondianenses et Barufaldos factum de supra de Splagiis. Et eundo versus mane usque ad viazolam de podio Bellii et inde eundo recto fine per viam et campos usque ad locum ubi fuit molendinum de Bellio, et inde a mane Glaream transeundo usque ad Codonias et ad Campum Saxonum et inde passando viam et Lamazetum et campum Johannis Lupi, et per medium usque ad viam de sursum colligendo campum ad Fossadatum eundo usque ad braidam Marociam, ipsa braida remanente a parte Mutine; eundo jusum per rivolum de Medio de Fontana de Aplo usque ad bucham Rioli de Sancto Ruffino, sicut idem rivus currit inter braidam Barufaldonis et terram Sancti Ruffilli usque ad aliam viam de subtus, redeundo per illam viam usque ad braidam archipresbyteri de Montebellio que remanet a latere Mutine et Bazani. Et inde eundo usque in Carubellium de Piganzolis et eundo per viam usque ad Albarellum Marini. Et inde per viazolam que quondam fuit inter Boudianum et illos de Sancto Columbano usque ad fossas et ad campum de Musastis, qui remanet a latere Mutine et Badiani. Et inde ad Sambugellum inter illos de Badiano et de Sancto Colombano; et inde ad Flopas Guirixii de Sancto Marco in ripa Samazole et transeundo Samazolam usque ad Pollonetum recto fine; inde eundo juxta campum Poltonerii de Sancto Marco et inde eundo usque ad viazolam et Carubiellum quod est a mane clausure Andruzoli Ferrarii, et inde jusum per viazolam usque ad viam de la Pazanese a sero dicte clausure Andruzoli usque ad Caxolam et per eam Caxolam jusum usque ad clusam de Magnanis et inde jusum eundo per Bessencullum usque ad Brudiacos; et inde ad cantonem de Pratis de Paule et inde usque ad Fossatum novum, et ab eo Fossato recto fine usque ad stratam Claudiam et in ipsa strata usque ad Lazanrioli ultra Pontexellum situm in strata juxta domum pontis Sancti Ambroxii de Campore majore. Et ultra ipsum pontem per sex tornaturas in loco in quo fuerunt Furches usque ad viam Lavarezam que est a Rastellino ab

inde inferius nsque ad fossam Mattam inter Panziannm et districtnm Bononie. Et a districtn Panziani inferius per Caxarellos a mane robornm de Portis, a sero Gazoli prope ipsum Gazolnm et ab inde inferius usque ad Casnmarium a mane Pontis Ducis usque ad podinm Pallate et ab ipso podio a mane Zepe Donni Silvestri que est de subtns a Sancta Maria de Porto, perveniendo a mane dicte ville Sancte Marie per Sparatam abbatis Nonantule usqne ad ecclesiam Sancti Antonii de Precharis, et ab ipsa ecclesia ut currit alveus Panarii nsque ad Colzinum remanendo ecclesiam de Folio in districtu Mutine et inde a mane nsque ad clusam factam in Panario a mane sive a mane ipsins cluse; sicut taliter ab antiquo per Mutinenses detenti snnt et per Mntine comitatnm. Ipsa etiam loca et terras sub imperiali protectione recipientes, damus licentiam communi Mutine ingrediendi possessionem predictarum rerum imperiali auctoritate. Et hec omnia ex certa scientia statnimus et decernimus in perpetnnm observari; ex certa scientia derogantes omni jnri et privilegio speciali vel generali in bac parte adversanti. Statuentes et presentis scripti anctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona magna vel parva, secularis vel ecclesiastica, jamdictos Mutinenses cives fideles nostros de predictis omnibus aliquo advenienti tempore temerario ausu perturbare seu molestare presumat. Quod si presumserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostram et penam qningentarum librarum auri puri se noverit incursurum, quarum medietas camere nostre, reliqua passis injuriam persolvatur. Ad hujus autem rei evidentiam et stabilem in perpetuum firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujns vero rei testes sunt Albertus Magdeburgensis, H. Mediolanensis et L. Rheginus archiepiscopi, Cnriensis et abbas Sancti Galli, Cicensis, Basiliensis, Warmatiensis, C. Yldesemensis, J. Taurinensis, Brixiensis et Imolensis episcopi, L. lantgravins Thuringie, dux Saxonie, Raynaldus dux Spoleti, comes S. (a) de Vienna et alii quamplures.

Datum apud bnrgnm Sancti Donnini, anno dominice incarnationis

(a) In impresso *G.*, male. Inter nomina testium *Wuariensis* et *Yldenensis* quoque correximus.

MCCXXVI, mense junii, XIV indictione, imperante domino nostro Frederico II Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus VI, regni Hierusalem I, regni Sicilie XXIX, feliciter. Amen.

---

Apud burgum Sancti Donnini, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, pacta et conventiones inter commune Mutinae et commune Ferrariae facta, ob devota et accepta Mutinensium servitia, confirmat et inviolabiliter observari jubet.

(Edid. MURATORI, *Antiquit. Ital. med. aevi*, t. IV, p. 415, ex transumpto anni 1245, in regesto communis Mutinae.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod nos attendentes integritatem fidei et devotionis sincere necnon et accepta servitia que Mutinenses cives fideles nostri nobis semper et imperio exhibuerunt et jugiter exhibere non cessant, de munificentie nostre gratia speciali quam cum eis tanquam cum benemeritis benigne volumus exercere, confirmamus eis pacem et concordiam, pacta et conventiones factas inter commune ipsius civitatis Mutine et commune Ferrarie et cum hominibus earumdem civitatum universaliter et particulariter, sicut in instrumentis publicis hinc inde confectis apertius noscitur contineri. Precipientes ea omnia, secundum quod in predictis instrumentis publicis continetur, inviolabiliter observari. Mandantes et presentis scripti auctoritate firmiter injungentes ut nulla prorsus persona magna vel parva, secularis vel ecclesiastica, contra predicta omnia aliquo tempore temerario ausu venire presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostram et penam centum librarum auri puri se noverit incursurum, quarum medietas camere nostre et altera medietas passis injuriam persolvatur. Ad

Fridericus, Romanorum imperator, milites, cives et habitatores civitatis Oppenheim sub protectione sua speciali recipit, eos ab omnibus collectis eximit, nundinas generales annuatim habendas eisdem concedit aliaque privilegia ibidem expressa. Apud burgum Sancti Donnini, junio.

(Inedit. ex splendidissimo originali apud Darmstadt. Sigillum cereum filis sericis flavi coloris appendet.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem et devotionem civium de Openheim nostrorum fidelium quam erga nostram excellentiam et imperium habent, considerantes insuper qualiter personas et omnia bona eorum sub nostra et imperii exposuerint ditione necnon grata et accepta servitia que nobis et imperio exhibent et in antea exhibere poterunt gratiora, de innata gratia nostra qua fideles nostros consuevimus prevenire, milites et universos cives et habitatores civitatis ejusdem cum familiis et bonis eorum necnon eamdem civitatem de Openheim cum omnibus pertinentiis suis sub protectione nostra et defensione imperii recipimus speciali; concedentes eisdem militibus qui eamdem inhabitant civitatem, libertatem et immunitatem perpetuam collectarum, exactionum et aliarum omnium dationum et eis perpetuo indulgentes. Concedimus insuper ceteris aliis civibus civitatis ejusdem ut a presenti mense junii, quartedecime indictionis, usque ad decem annos completos ab omnibus collectis, datis et exactionibus sint liberi penitus et immunes, hanc cum eis propter hoc specialem gratiam facientes ut milites atque cives instanter et efficaciter ad munitionem civitatis intendant. De affluentiori quoque gratia opportunitati ipsorum civium providendo concedimus quod singulis annis in civitate ipsa vel extra fiant nundine generales, que a nono die ante festum beati Martini in-

cipiant usque ad nonum diem post festum ejusdem confessoris sollempniter durature. Preterea concedimus eisdem civibus civitatis ejusdem positionem terminorum qui vulgari ydiomate vocantur Banmile, sicut ab E. quondam venerabili Coloniensi archiepiscopo clare memorie fuit de ipsis terminis ordinatum. Statuentes et presenti prohibentes edicto quatinus nullus princeps, dux, marchio, comes, vicecomes, scultetus, advocatus, ministerialis vel aliqua persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, predictam civitatem, milites atque cives contra predicte concessionis nostre paginam molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque protectionis et concessionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri fecimus et sigilli nostri robore jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt A. venerabilis Magdeburgensis, H. Mediolanensis et L. Reginus archiepiscopi, C. Hyldesemensis, Henricus Warmatiensis, . . . Curiensis et E. Cicensis episcopi, L. lantgravius Thuringie, A. dux Saxonie, R. dux Spoleti, comes Mainardus de Gorz et Riccardus imperialis aule camerarius, ac plures alii qui interfuerunt.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense junii, quartedecime indictionis, imperante domino Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege gloriosissimo, anno ejus Romani imperii sexto, regni Ierosolymitani primo, regni vero Sicilie anno vicesimo nono, feliciter. Amen.

Data apud burgum Sancti Donnini, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Apud burgum Sancti Donnini, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, Bopponi comiti de Henneberg in rectum et perpetuum feudum concedit omnes auri et argenti fodinas et alia quaecumque metalla et salinas, quae in terra ejus amodo reperta fuerint.

(Edider. Schottgen et Kreysig, *Diplomataria*, t. II, p. 588, D. 2. — Schoppach, *Henneb. Urkundenb.*, t. I, p. 19.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes devotionem et fidem quam erga nos gerit dilectus fidelis noster Boppo, comes de Henneberg, iu rectum et perpetuum feudum ei concessimus omnes auri et argenti fodinas et tam alia quecumqne metalla quam salinas, que amodo fuerint in terra ejus reperta, ut ea ad proprium usnm suum convertat et tam ipse quam heredes sui, sicnt ad imperium et nos spectarent, cnm universis proventibus suis jure feodali teueant et possideant, et in his, quantum ad jus imperii pertiuet, pro commodo et utilitate sua disponendi liberam semper habeant facultatem. Mandamus igitur et sub interminatioue gratie nostre districte precipimus ne quis eos de cetero (a) super hac nostra concessioue impedire aut molestare presumat. Quod qui presumpserit, imperialis sublimitatis offensam se noverit graviter incursurum. Ad cujus rei certam evidentiam et nostre concessiouis memoriam, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, meuse et indictione subscriptis.

Datum apud Burgum Sancti Dom[n]ini, anno dominice iucarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense jnnii, quartedecime iudictionis.

---

Fridericus, Romanorum imperator, civitati Lubicensi concedit ut semper libera sit, tanquam civitas specialis imperii et ad dominium imperiale pertinens; simulque recenset et confirmat immunitates et privilegia ejus de rectore, de terminis, de moneta, de negotiationibus et caeteris ibidem expressis. Apud burgum Sancti Donnini, junio.

(a) In impressis *decreto*, minus recte.

(Edider. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XIII, p. 1332. — WESTPHALEN, *Monum. inedit.*, t. I, p. 1300. — *Cod. diplomat. Lubec.*, t. I, pars I, p. 45. Adsunt duo hujus privilegii exemplaria, unum cum aurea bulla, alterum cum sigillo cereo.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Quotiens imperialis excellentia majestatis in subditos et fideles suos manus sue liberalitatis extendet et eos tanquam benemeritos condigne retributionis muneribus recompensat, totiens eos in constantia fidei pure corroborat et tam ipsorum quam aliorum fidelium ad ejus obsequia fortius obligat voluntates. Quapropter notum fieri volumus universis imperii fidelibus, tam presentibus quam futuris quod nos habentes pre oculis fidem puram et devotionem sinceram quam universi burgenses Lubicenses, fideles nostri, erga nostram habere celsitudinem laudabiliter dignoscuntur, diligentius etiam advertentes preclara satis et accepta servitia que nobis et imperio fideliter semper exhibere curarunt et que in antea poterunt de bono in melius exhibere, volentes ipsos tanquam bene meritos liberali munificentia prevenire, concedimus firmiter statuentes ut predicta civitas Lubicensis libera semper sit, videlicet specialis civitas et locus imperii et ad dominium imperiale specialiter pertinens, nullo unquam tempore ab ipso speciali dominio separanda; statuentes etiam ut quandocumque ad regimen civitatis ejusdem aliquis rector ab imperio statuetur, nulla ad hoc officium statuatur persona nisi fuerit de convicinis locis et conterminis civitatis ipsius, ita quod castellum quod Travenemunde dicitur ab eodem rectore similiter gubernetur. Preterea terminos civitatis ipsius sub nostro felici tempore dilatare et ampliare volentes, concedimus et adjicimus terminis ejusdem ut teneat ipsa civitas ammodo a rivo Padeluche usque in Travenam et sursum a rivo Padeluche secundum terminos ibi distinctos usque in rivum Crempelstorpe, et ab eodem rivo Crempelstorpe usque ad Siccum Allodium (1) et ab eodem usque in Travenam. Concedimus etiam burgensibus supradictis ut a

(1) Germanice autem *Drogen Vorwerke*.

nullo eorum apud Odislo theloneum exigatur. Concedimus insuper eis ut in ipsa civitate monetam sub caractere nostri nominis facere et cudere debeant, que tempore vite nostre et Henrici Romanorum regis illustris karissimi filii nostri similiter perdurabit, et ob hoc singulis annis sexaginta marchas argenti nostre curie exhibebunt. Adveniente autem novo in posterum successore, sub eodem censu et jure moneta ipsa renovabitur vite sue tempore duratura, et sic de singulis in singulos successores nostros de moneta ipsa statuimus, ut predictum est, observari. Statuimus insuper et concedimus eis ut nec nos nec aliquis imperatorum successorum nostrorum ab eis obsides exigat; sed de fidelitate servanda imperio solo juramento eorum stetur et fides adhibeatur. Omnes insuper negotiatores fideles venientes ad civitatem ipsam sive per terram sive per aquam pro negociationibus suis salve semper veniant et secure recedant, dummodo solvant jus debitum quod tenentur. Insuper burgenses Lubicenses predicti (*sic*), euntes quandoque in Angliam, ab illo pravo abusu et exactionis onere quod Colonienses et Telenses et eorum socii contra ipsos invenisse dicuntur omnino absolvimus, illum penitus delentes abusum, sed illo jure et conditione utantur quibus Colonienses et Telenses et eorum socii uti noscuntur. Concedimus autem eis insulam sitam contra castrum Travenemunde que Priwolc nominatur, jure civitatis de cetero possidendam quod Wicbelede dicitur. Volumus insuper et firmiter observari precipimus ut nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, presumat ullo tempore munitionem edificare vel castrum juxta flumen Travene, ab ipsa civitate superius usque ortum ipsius fluminis et ab ipsa civitate inferius usque ad mare et ex utraque parte usque ad miliaria duo; districtius inhibentes ut nullus extraneus advocatus infra terminos civitatis ejusdem advocatiam regere vel justiciam exercere presumat. Et quoniam burgensibus predictis ab omnibus pravis et indebitis exactionibus de cetero volumus precavere, firmiter prohibemus ne per totum ducatum Saxonie illa exactio que ungelt dicitur tollatur seu exigatur ab eis. Nullus preterea princeps, dominus seu nobilis adjacentium provinciarum impedire presumat quominus necessaria undecumque ad civitatem Lubicensem ducantur sive de Hamenburc, sive de

Raceburc, sive de Witenburc, sive de Zwerin sive etiam de tota terra Buruwini et ejus filii et per easdem terras et in ipsis terris quilibet burgensis Lubicensis tam dives quam pauper absque impedimento emat et vendat. Preterea firmiter inhibemus ne aliqua persona magna vel parva, secularis vel ecclesiastica, persone alicui conductum prebeat in civitatem predictam, quin ipsa cuilibet impetenti eam in jure debeat respondere. Volumus insuper et districte precipimus ut quandocumque et ubicumque per imperium predicti burgenses naufragium de cetero passi fuerint, quicquid de rebus suis tunc a tanto periculo eripere poterunt eis penitus dimittatur, omni impedimento et contradictione cessantibus. Concedimus insuper eis fundum extra Travenemunde juxta portum ubi signum ejusdem portus habetur, dantes eis potestatem ut fundo ipso libere utantur ad utilitatem et profectum predicte civitatis Lubicensis. De habundantiori quoque gratia nostra concedimus et confirmamus eis in perpetuum eorum jura et omnes bonos usus et bonas consuetudines quibus tempore imperatoris Friderici avi nostri, felicis memorie, usque nunc usi fuisse noscuntur; statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona parva vel magna, ecclesiastica vel secularis, jamdictos burgenses Lubicenses, fideles nostros, de suprascriptis omnibus ausu temerario impedire seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit, in sue temeritatis vindictam indignationem nostram et penam quingentarum librarum auri puri se noverit incursurum, medietatem camere nostre et aliam medietatem passis injuriam persolvendam. Ut autem hec omnia rata semper et illibata permaneant, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Albertus Magdeburgensis, . . . Mediolanensis et Lando Reginus archiepiscopi; . . . Curensis et abbas Sancti Galli, . . . Cicensis, . . . Basiliensis, . . . Warmaciensis, . . . Hyldesemensis, Jacobus Taurinensis, Maynardinus Ymolensis et A. Brixiensis episcopi, . . . abbas Morbacensis, . . . abbas Augenensis, H. magister domus Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem, L. lantgravius Thuringie, Albertus dux Saxonie, Raynaldus dux Spoleti, comes Syfridus de Vienna et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense junii, quarte decime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni Jerusalem primo, et regni Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

Datum apud Burgum Sancti Domnini, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Fridericus, Romanorum imperator, ad requisitionem Godefridi Cameracensis episcopi, exceptionibus civium Cameracensium frivolis reputatis et privilegiis eorum penitus irritatis, vetat ne ad sonum campanae conveniant vel nomine communiae aut *pacis* jurisdictionem exerceant. Apud burgum Sancti Domnini, junio.

(Edit. ap. *Mémoire pour M. l'archevêque de Cambray* (Paris, 1772, in-4°), pièces justificatives, n° XXI, ex autogr. in arch. eccl. Camerac., unde tunc pendebat aurea bulla.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Cum imperatoriam deceat majestatem merita suorum fidelium diligenter attendere et subjectorum postulationibus justis adesse, tanto pocius ad sacrosanctas ecclesias oculos tenetur reducere pietatis, quanto regi regum gracius residet cum et sue pietatis operibus noster adhibetur assensus. Quapropter notum fieri volumus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod accedens ad presentiam nostram Godefridus venerabilis Cameracensis episcopus, dilectus princeps et fidelis noster, nobis exposuit qualiter inter ipsum ex una parte et cives Came-

racenses ex altera compositum extitit et firmatum ut privilegia que utraque pars ab antecessoribus nostris Romanorum imperatoribus seu regibus se habere dicebat ad curiam Alemanie deferre deberet et ea in ipsa curia presentare, ut per judicium ejusdem curie videretur que pocius ex ipsis, cassatis aliis, deberent firmitatem roboris obtinere. Verum quia dictus episcopus ad curiam pretaxatam accessit, et nemine pro parte predictorum civium in ipsa curia comparente, licet quidam ex civibus ipsis accederent ad eamdem qui nec mandatum nec procurationis litteras ostendebant, et coram dilectis principibus nostris venerabilibus Basiliensi et Lausanensi episcopis ac Morbacensi abbate, quos ipsis dedimus auditores, exciperent quia privilegia memorata non nisi in curia Alemanie ostendere tenebantur, dicentes non esse curiam Alemanie ubi nostra esset persona; dictus episcopus majestati nostre tam devote quam humiliter supplicavit ut cassatis penitus et irritatis omnino privilegiis civium predictorum, sicut alias in solempnibus Alemanie curiis contra ea extitit judicatum, prout in scriptis inde confectis noscitur contineri, ecclesie sue privilegia benignius acceptare nostra serenitas dignaretur et ea in statu suo firmitate perpetua consistere juberemus. Nos autem supplicationibus suis quas consentaneas vidimus rationi benignius inclinati, quia dicti cives nec venerunt nec privilegia sua, sicut inter eos convenerat, ad dictam curiam transmiserunt, verbis tamen illorum civium predictorum, qui nec mandatum nec litteras procurationis ut dictum est ostendebant, frivolis penitus reputatis, cum ibi sit Alemanie curia ubi persona nostra et principes imperii nostri consistunt, de consilio et providentia principum tunc existentium nobiscum in curia memorata, sententialiter decrevimus privilegia dictorum civium cassa de cetero et inania reputari, privilegiis memorati episcopi et ecclesie sue Cameracensis in suo robore perpetuo duraturis. De liberali quoque nostre munificentia majestatis volentes Cameracensem ecclesiam a dictorum civium molestiis et gravaminibus de cetero respirare, quibus actenus ab eisdem civibus multipliciter vexabatur, firmiter inhibemus ne sono campane ad aliquam convocationem civium faciendam amodo predicti cives utantur vel ad sonum ipsum convenire presumant. De mera liberalitatis nostre clementia statuentes ut

preter alia jnra jamdicte Cameracensi ecclesie competentia, memorato episcopo suisque successoribus in predicta civitate Cameracensi libere pro sua voluntate prepositos suos instituere liceat et scabinos; et cum eis placuerit, querelas civitatis audient et terminabunt vel prepositis suis audiendas et decidendas relinquent, nulla jurisdictione predictis civibus nomine comunie vel consuetudinum quas pacem nominant reservata, sicut in privilegiis predecessorum nostrorum que eadem Cameracensis ecclesia habere dignoscitur apertius continetur. Statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona magna vel parva, secularis vel ecclesiastica, contra prescripta omnia tempore aliquo temerario ausu venire presumat vel dictum episcopum et successores suos ac ecclesiam supradictam exinde molestare. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostram et penam quingentarum librarum auri puri se noverit incursurum, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec omnia rata semper et inconvulsa permaneant, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus vero rei testes sunt Albertus Magdeburgensis, H. Mediolanensis et Lando Reginus archiepiscopi, . . . Curensis et abbas Sancti Galli, . . . Cicensis, . . . Basiliensis, . . . Lausanensis, . . . Warmaciensis, C. Yldesemensis, Jacobus Taurinensis, Maynardinus Ymolensis et A. Cenetensis episcopi, L. landgravius Thuringie, . . . dux Saxonensis, Raynaldus dux Spoleti, comes S. de Vienna et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense junii (1), quartedecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum im-

(1) Scilicet exeunte junio, cum undecimo die hujus mensis Cameracensis episcopus apud regem Henricum Tridenti adhuc moraretur. Vid. infra *Historiam diplomaticam Henrici VII*, ad ann.

peratore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni Jerusalem primo et regni Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

Datum apud Burgum Sancti Donini, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Apud burgum Sancti Donnini, junio.

Albertus, Magdeburgensis archiepiscopus, Romani imperii legatus et comes Romaniolae, Belvacensis, Cameracensis (1), Naumburgensis, Merseburgensis, Wormatiensis, Basiliensis et Curensis episcopi, Prumensis et Murbacensis abbates, ad requisitionem Conradi Hildeshemensis episcopi, apud Cremonam (2) sub authentica forma transcribi faciunt litteras Friderici Romanorum imperatoris, apud Burgum Sancti Donnini mense junio scriptas; quibus eumdem episcopum et ecclesiam ejus Henrico Romanorum regi filio suo instanter commendat, eumque monet ut eumdem episcopum tueatur in juridictione ei adjudicata super capitulo ecclesiae Sancti Mathiae in Goslaria.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 133, n° 594, ex originali apud Hannoveriam a Bethmanno communicato.)

---

Cremonae, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, civitati Cremonae renovat et confirmat privilegium Henrici quinti datum apud Wormatiam,

---

(1) Isti duo episcopi legatione sibi a rege Francorum commissa tunc apud imperatorem fungebantur. Vide supra p. 614, not. 1.

(2) Licet dies in authentico non exprimatur, verisimile est praelatos Germanos se Cremonam contulisse, dum imperator ipse ad hanc civitatem diverterit, scilicet exeunte junio vel julio ineunte.

5 junii ann. 1114, nec non et privilegia ab avo et patre suo eisdem indulta, praecipue de libera navigatione super Padum et de caeteris immunitatibus.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.* p. 134, n° 598, ex copia seculi XV apud Mantuam, B. XXIX, 4.)

Hujus rei testes sunt Magdeburgensis, Mediolanensis, Reginensis archiepiscopi, Curensis, Cicensis, Basiliensis, Wormatiensis, Hildeshemensis, Mersebnrgensis, Taurinensis, Imolensis, Novariensis, Brixianus et Tortonensis episcopi, abbas Murbacensis, dux Spoleti, marchio Estensis, comes de Vienna et alii quamplures.

Datum Cremone, anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense julio (1), indictione XIV. . . . . . .

---

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori conquerendo scribit quod Tancredus de Campelio una cum Bertholdo, imperiali [in Tuscia] nuntio, viros ad Sedem Apostolicam venientes sive redeuntes in stratis ceperit et ipsorum litteras a se impetratas publice legi fecerit; quod non sine ipsius conniventia fieri potuit. Unde ad correctionem tantorum excessuum, ut debet, procedere disponit. [Exeunte junio vel julio ineunte.]

(Edid. Raynald., *Annal. ecclesiast.*, t. I, ad ann. 1226, § XV, ex Regest. Honor., lib. 10, epist. 334.)

---

(1) Unde certum habemus quo tempore Fridericus Cremonam venerit, ut ad curiam ibidem post Pentecosten indictam personaliter accedendo, se pro sua parte pacificum ostenderet. Cum autem curia a Lombardis impedita remansisset, ut supra videre fuit, perpaucis diebus apud Cremonam moram egit, et quinto die hujus mensis ipsum ad Burgum Sancti Donnini jam reversum invenimus. De curia Cremonensi, cf. Ricc. de S. Germano, Chronicon Uspergense, Godefr. Coloniensem, Chronicon Cremense, monachum Paduanum, et Annales Januenses.

Honorius, etc., Friderico imperatori, etc. Cum omnibus injuriam patientibus paterno compatiamur affectu et gravamina singulorum, prout ad nostrum spectat officium, sollicite persequamur, molestias et jacturas que viatoribus et presertim venientibus ad Sedem Apostolicam et redeuntibus inferuntur, tanto accuratius prosequi nos oportet et stratas publicas debita securitate tueri, quanto id ad majorem utilitatem totius populi christiani dignoscitur redundare ac a predecessoribus nostris factum est hactenus et a nobis sollicitius procuratum; qui ter in anno, videlicet in die Cene Domini, festo Ascensionis, et consecrationis basilice beati Petri, solemniter presente toto populo qui de diversis mundi partibus tunc concurrit, omnes violatores stratarum cum suis complicibus excommunicationis vinculo innodemus (1). Sane filius Belial, Tancredus de Campelio hec sicut convenit non attendens, nuper militum Bertoldi multitudine sociatus, multos tam nostre familie quam alios venientes et redeuntes ab Apostolica Sede cepit; quos per devia ducens et Campelium ire compellens gravibus affectos injuriis ad Bertoldum media nocte transmisit, qui presumptione damnabili omnes ipsorum litteras impetratas a nobis inspici faciens, ex eis per officiales suos non sine gravi Sedis Apostolice injuria et contemptu fieri fecit coram cunctis astantibus audientiam generalem. Quod vix est qui ambigat sine tua conniventia fieri potuisse, maxime cum idem Bertoldus qui hec ausu nefario attentare presumpsit sit tuus nuntius specialis, et coram astantibus proposuisse dicatur predictum Tancredum habere a te contra certas personas violandi stratam licentiam specialem. In quo quantum imperiali celsitudini derogetur, cum inquietos corripere, non fovere, ac maleficos et oppressores innocentum persequi tenearis, nec tu ignoras nec nos atrox injuria in hoc Ecclesie irrogata patitur ignorare. Cum igitur nihil sit quo magis tangatur status Ecclesie quam si viatoribus et peregrinis securitas

(1) Cum ritus hujus nullum vetustius testimonium uspiam occurrat, per haec tempora coepisse suspicatur Mansius (nota ad Rayn. *ibid.*), et ejus instituendi causam dedisse sacras cruciatorum militum expeditiones. Quibus cessantibus, successu temporis è tribus per annum vicibus ad unicam tantummodo, nempe in Coena Domini, ritum illum redigere visum fuit.

auferatur et literarum ipsius violari auctoritas attentetur, serenitatem tuam rogandam duximus et monendam quatenus tam enormem excessum celeri emendatione corrigere studeas (1), ut peregrinis petendi orationum suffragia et oppressis postulandi justitiam alicujus ausu temerario facultas debita non negetur. Alioquin cum hec incorrecta relinquere non possimus, cogitabimus qualiter sit ad correctionem tantorum excessuum procedendum.

---

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Hildeboldo de Limbere et fautoribus ejus mandat ut, cum bellum ab ipsis Mindensi episcopo illatum provinciam perturbet et negotium Terrae Sanctae impediat, Henrico duci Brunswicensi obediant, cui partes suas dedit pro sopienda discordia sive renitentibus vi armorum compescendis. Apud burgum Sancti Donnini, 5 julii.

(Edid. Scheid, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 686, n° 195, ex diplomat. Hildesh. MSS.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex, Hildeboldo comiti de Limbere et fautoribus ejus, dilectis fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Cum propter continuationem guerrarum que vertuntur inter vos ex una parte et venerabilem Mindensem episcopum dilectum principem nostrum ex altera, multa incommoda et impedimenta proveniant, gravia negotio Terre Sancte, et quodammodo tota provincia propter hoc in desolationem jam posita, non solum ecclesie que destructe sunt, sed et pauperes, vidue et orphani de partibus illis hujusmodi specialiter penam luant; ecce quod nos qui pre-

(1) Nescitur an emendaverit imperator. At paulo post Tancredum istum multis donationibus auxit (vid. infra docum. dat. in villa S. Gemini, mense augusto). Unde arbitrari licet hunc non sine imperiali conniventia egisse.

dictum Christi negotinm postponere non possumus nec debemus, illnstri duci de Brunswik dilecto principi nostro per litteras injungimus majestatis nostre ut ad componendum et pacificandum inter vos et episcopum memoratnm interponere studeat partes suas, ita quod si ntraque pars juxta mandatum nostrnm eidem duci acquiescere non curaverint humiliter ac devote ut decet, convocatis ad se imperii fidelibus ex parte nostra, et innocenti parti si opus fuerit cum eisdem nostris fidelibus mediante justitia in auxilium veniens, malitiam et snperbiam partis adverse conterat, pront viderit comprimendam. Ideoque fidelitati vestre sub obtentu gratie nostre districte precipiendo mandamus quatenus, ne servitium Jesu Christi ad quod adjuvante ipso potenter accingimur ac libenter, propter discordias et guerras vestras in partibus ipsis valeat ulterius impediri, super reformatione pacis et sedanda discordia predicto duci acquiescatis humiliter et devote, ne propter hujusmodi guerras contra vos Deum et homines provocetis; immo de prompta devotione vestra, si obedientes fueritis in hac parte, plenitudinem nostre gratie promereri possitis.

Datum apud burgum Sancti Donnini, V julii, XIIII indictione.

---

Apud burgum Sancti Donnini, 6 julii.

Series instrumentorum quibus Fridericus, Romanorum imperator, universis fidelibus suis in Saxonia mandat ut propter guerram inter Bodonem de Homborch ex una parte et comitem Bernardum de Spigelberg ejusque fautores ex altera, quae ecclesiis Dei et praecipue episcopo Hildesemensi damna infert negotiumque Terrae Sanctae impedit, duci de Brunswick adhaereant et obediant pro ista sedanda discordia.

I.

(Edidit. H. SUDENDORF, *Merkwurdige Urkund. fur die Deutsche Gesch.*, erst. theil, n° XLIII, p. 92, ex diplomat. Hildesh. MSS. — Memoratum tantummodo ap. SCHEID, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 687.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex, Hermanno et Henrico comitibus de Woldenbergh ac universis aliis imperii fidelibus per Saxoniam constitutis presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cum propter guerras que vertuntur inter Bodonem de Homborch ex parte una et comitem Bernardum de Speigelberge, Conradum de Altafago et Ghiselerum de Ethsem ex altera, multa incommoda et impedimenta proveniant gravia negotio Terre Sancte, et quodammodo propter hoc jam tota provincia in desolatione sit posita, et non solum ecclesie que destruuntur, sed et pauperes, vidue simul et orphani de partibus illis et specialiter bona venerabilis Hildensemensis episcopi dilecti principis nostri et suorum hominum que diripiuntur, graviter, ymmo gravissime hujusmodi penam luant; ecce quod nos qui predicti Christi negotium postponere non possumus nec debemus, illustri duci de Brunswic dilecto principi nostro per literas injungimus majestatis nostre (1), ut ad componendum et pacificandum inter discordantes predictos interponere studeat partes suas; ita quod si iidem super hoc eidem duci juxta mandatum nostrum acquiescere non curaverint devote ac humiliter sicut decet, convocatis ad se fidelibus imperii ex parte nostra, et si opus fuerit innocenti parti cum eisdem nostris fidelibus mediante justitia in auxilium veniens, malitiam et superbiam partis adverse conterat prout viderit comprimendam. Ideoque universitati vestre sub optentu gratie nostre districte precipiendo mandamus quatenus ne servitium Jhesu Christi ad quod adjuvante ipso potenter accingimur et libenter, propter guerras et discordias predictorum valeat in ipsis partibus ulterius impediri, ad requisitionem ducis predicti continuo estote parati, ituri cum eo contra quos et pro quibus vobis ipse duxerit injungendum; ita super hoc vos gerentes devote ut gratiam Dei et nostram vobis proinde comparare possitis.

Datum apud burgum Sancti Domnini, VI die julii, XIIII indictionis.

---

(1) Cf. supr. p. 574, litteras quae ad rem istam pertinere videntur.

II.

(Edit. *ibidem*, n° XLIV, p. 93. — Memoratum tantummodo ap. SCHEID, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 687.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, comiti Bernardo de Speygelberg, Conrado de Altafago et Giselero de Ethsem fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Cum propter guerras que vertuntur inter vos ex parte una et Bodonem de Homborch ex altera, multa incommoda et impedimenta proveniant gravia negotio Terre Sancte, et quodammodo tota provincia propter hoc in desolatione sit posita et non solum ecclesie que destruuntur, sed et pauperes, vidue simul et orphani de partibus illis, et specialiter bona venerabilis Hildesemensis episcopi dilecti principis nostri et suorum hominum que diripiuntur, assidue hujusmodi penam luant, fidelitati vestre mandamus firmiter sub obtentu nostre gratie injungentes quatenus super reformatione pacis inter vos et sedanda discordia illustri duci de Brunswich dilecto principi nostro, cui specialiter hoc exequendum commisimus, acquiescatis humiliter et devote; ut sic Christi negotium impediri non possit et ecclesie Dei, vidue quoque et orphani detrimentum ulterius nullatenus patiantur, indempnitati predicti episcopi, ecclesie sue et suorum hominum, cum per studium et sollicitudinem ejus predictum negotium Terre Sancte utiliter et laudabiliter valde cotidie procuretur, omnino precavendo. Alioquin, cum ex hoc, sicut potestis perpendere, per vos ipsos et Deum et homines contra vos rationabiliter et multipliciter provocetis, nos qui dictum Christi negotium postponere non possumus nec debemus, memorato duci de Brunswich per litteras celsitudinis nostre districte dedimus in mandatis ut convocatis fidelibus imperii ex parte nostra, si opus fuerit innocenti parti mediante justitia in auxilium veniens, maliciam et superbiam partis adverse conterat, prout viderit comprimendam.

Datum apud burgum Sancti Donini, VI die julii, XIIII indictionis.

III.

(Edit. *ibidem*, n° XLV, p. 94.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex, Bodoni de Homborch fideli suo gratiam suam et omne bonum. Cum propter guerras que vertuntur inter te ex parte una et comitem Bernardum de Speigelberge, Conradum de Altafago et Giselerum de Ethsem ex altera, multa incommoda, etc. [*Sequitur ut in praecedente de verbo ad verbum, cum notis chronologicis eisdem.*]

---

Fridericus, Romanorum imperator, Bonifacio de Languillia, filio quondam Anselmi de Quadraginta, concessionem quamdam a Friderico I eidem Anselmo factam, in gratiam meritorum ejus erga praedictum imperatorem et Henricum patrem suum, confirmat. Apud burgum Sancti Donnini, 6 julii.

(Memorat. ap. MORIONDUM, *Monum. Aquens.*, t. II, p. 744, ex AUG. AB ECCLESIA, *Descriz. Piem.* MSS., vol. I, cap. XXV.)

Testes sunt Geroldus (*a*) patriarcha Hierusalem, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Henricus Mediolanensis, Landus Reginus archiepiscopi, H. Wormatiensis, Conradus Ildesemensis (*b*), Mainardinus [I]molinus, Johannes Astensis, Jacobus (*c*) Taurinensis, Thomas comes Sabaudie totius Italie legatus et marchio ejusdem, Reinaldus dux Spoleti, Ricardus (*d*) marescalcus, marchiones de Ceva, domini de Gorzegno et alii quamplures.

Acta sunt hec apud burgum Sancti Donnini, imperante domino nostro

(*a*) In impresso *Gerardus*, male.
(*b*) In impresso *Ildoriensis*, male.
(*c*) In impresso *Johannes*, male.
(*d*) In impresso *Recaldus*, minus recte.

Friderico, etc., anno imperii ejus VI, regni Hierusalem I, regni vero Sicilie XXIX, anno dominice incarnationis MCCXXVI, VI mensis julii, indictione XIV.

---

Apud burgum Sancti Donnini, 11 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, potestati, consilio et communi Ravennae mandat ut exequi studeant sententiam a se ipso confirmatam, qua Formosinus judex ipsos condemnavit ad solvendas Donfollino Judaeo undecim libras imperiales, pro aestimatione olei injuste capti et venditi et pro expensis.

(Edid. Fantuzzi, *Monum. Ravenn.*, t. III, p. 75, e tabul. arch. Ravenn., capsa E, n° 1677.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, potestati (1), consilio totique communi Ravenne fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Notum facimus fidelitati vestre quod curia nostra sententiam quam Formosinus Levii judex, ex delegatione facta sibi ab Henrico venerabili Mantuano (*a*) episcopo, qui tunc temporis in Italia vicem legati gerebat, protulit pro latore presentium Donfollino Judeo fideli nostro contra commune civitatis vestre, condemnans vos ei. . : . . . . . . . . . . . . . . quatuor libras imperiales pro extimatione olei quod dudum Petrus Traversarius tunc Ravenne potestas. . . . . . . . . . . . . vestrum injuste capi fecit et vendi, et in septem libras imperiales pro expensis quas idem fecerat in predictis, infringens aliam sententiam quam inique et injuste Ser Joannes

(*a*) Pro hoc autem verbo legitur cum abbreviatione *Matri*. Quod ita correximus ex instrumento inferius memorato, ubi etiam pro *Formosinus* invenitur *Thomasinus*, et pro *Donfollino*, *Dombillino*.

(1) Scilicet Paulo Traversario, filio Petri, ut ex documento coaevo apud eumdem Fantuzzi patet.

de Bona et Garoffus judices vestri protulerunt contra eumdem judeum. . . . . . . . . . . . . . . et habita diligenti provisione cum judicibus nostris, eam tanquam juste et rationabiliter latam confirmavimus, sicut in scripto confirmationis nostre quod eidem judeo indulsimus, poteritis plenius cognoscere et videre. Verum quia tam christianis quam etiam judeis fidelibus nostris in primis justitiis rehabendis debemus adesse, et nihil prodesset sententias ferri, nisi per executionem effectui mandarentur, universitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatenus de predictis omnibus libris eidem judeo, juxta tenorem sententie predicte prolate et a nostra curia confirmate, taliter satisfacere studeatis ad plenum, quod nullam de cetero super hoc justam querimoniam audiamus (1).

Datum apud Burgum Sancti Donniui, XI julii, XIV indictione.

---

Apud burgum Sancti Donnini, 11 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, clero et communi Cumarum fidelibus suis narrat quomodo post varios et inutiles tractatus pacis, contra conjurationem Lombardorum sibi rebellium de consilio principum suorum processerit; scilicet quod episcopus Hildensemensis auctoritate apostolica personas excommunicationi terrasque interdicto supposuit, et ipse eosdem tanquam reos criminis laesae majestatis condemnavit bannitosque pronunciavit.

---

(1) Cf. MURATOR., *Antiq. Ital. med. aevi*, dissert. 49, p. 440, ubi extat instrumentum concordiae Ravennam inter et Ferrariam, quod exhibuit quoque Fantuzzi, datum *VI exeunte maio anni 1227*; cujus in fine haec agitur quaestio : « Causa Dombillini Judei de voluntate potestatum et ambaxatorum utriusque civitatis commissa est in Mainardinum Imolensem episcopum, ita videlicet quod ipse dijudicet utrum sententia absolutoria arbitrorum data pro communi Ravenne contra Dombillinum Judeum debeat esse rata, *vel sententia domini Thomasini delegati a domino episcopo Mantue vicario domini imperatoris et a domino imperatore confirmata, sicut per rescriptum imperiale apparet, debeat executioni mandari et rata haberi.* » Unde liquet quam parvi momenti imperiale mandatum tunc apud Ravennates fuerit.

(Edit. ap. Ghilini, *Annali di Alessandria*, p. 31. Licet iste fontem non indicet, nil dubitandum quin hanc encyclicam transcripserit ex Regest. magno in arch. comm. Cumarum, fol. 64-66; in quo tamen copia mendis scatet.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, venerabili episcopo, clero, potestati, consilio, totique communi Cumarum fidelibus suis gratiam snam et bonam volnntatem. Expectavimus hactenus ut Lombardi conjurationis illicite, qui contra nostrum et imperii honorem quodam elationis spiritu conspiraverunt et desipuerunt neqniter in insipientia cordis sui, rescipiscentes ab errore ac resumentes animum fidei, viam perfidie non tenerent. Sed ecce quod dolentes dicimus, adeo pertinaciter obstinati sunt in reprobis viis snis qnod nec verba salutis accipere nec conversionis tramitem agnoscere voluerint; quinimo manifeste contra Deum et Romanam matrem Ecclesiam, [ad] catholice fidei et totius christiani nominis lesionem, contumeliam crucis et ignominiam imperii graviorem, ad impediendam generalem curiam pro reformatione pacis, extirpanda heretica pravitate et Terre Sancte negotio celebrando temerariis ausibus excessissent. Nam cum indemnitati pro transitu regis filii nostri et principum qni ad eamdem curiam veniebant cavere voluerimus nt decebat, per venerabilem Portuensem et Sancte Rufine episcopum, Apostolice Sedis legatum, Hierosolimitanum patriarcham, archiepiscopos, episcopos, et per magistrum domus Theutonicorum in Jerusalem, quos ad eosdem Lombardos apnd Mantnam (1) sepius misimus, nunquam obstinata protervitas eorumdem ad humilitatem et patientiam nostram, ad preces et monita potuit a concepte iniquitatis proposito declinare, quin per inhonestas et indecentes petitiones in depressionem honorum et nostrorum jurinm nos ad inconveniens deducere molirentur. Quod cnm majestatem nostram et dignitatem imperii penitus dedeceret, ac super eisdem petitionibus consilium

(1) Verisimiliter ad conventum apud Mantuam habitum quinto die junii, ut monet Corius (vid. in *Additamentis*); cui concilio affuerunt pro republica Alexandrina Guido Piovera et Johannes Ardico, rectores et cives ejusdem, qui promiserunt se inviolabiliter observaturos quidquid ibidem decisum foret. Cf. Ghilini, *ibid.*, p. 30.

predictorum Hierosolymitani patriarche, archiepiscoporum, episcoporum, principum et aliorum imperialis aule procerum quereremus, per eos nobis extitit dissuasum ut ad tam illicitas petitiones non deberemus astringi, sicut in generali scripto consilii per eosdem prelatos solemniter facto plenius continetur (1). Propterea dilectus princeps noster Hildensemensis episcopus, cui per apostolicas litteras est commissum ut, quando dominus apostolicus nos, regem filium nostrum, imperium et regnum, jura, honores et rationes nostras pro eo quod onus assumpsimus Terre Sancte sub beati Petri et sua protectione susceperat, in perturbatores bonorum nostrorum et jurium excommunicationis in personas et interdicti in terras sententiam ferret quoties a nobis existeret requisitus, citavit eosdem, et assignato eis termino quoad satisfaciendum nobis de commissis excessibus ad presentiam nostram venirent, eos inducere apostolica auctoritate non potuit nec a via erroris in quem deviaverant revocare. Nos quoque per litteras nostras universis et singulis eorum injunximus peremptorium terminum, videlicet ad sequentem diem festi sancti Johannis proxime preteriti (2) indicentes eisdem, quo se de commissis satisfacturos excessibus et injuriis nostro conspectui presentarent; quod pertinaciter contempserunt. Super quibus consultati patriarca predictus ceterique prelati necnon principes et proceres nostri, judices curie nostre ac plures alii sapientes, si possemus ac deberemus ex dignitate nostra pro tam gravibus injuriis et offensis procedere contra eos tanquam contra reos criminis lese majestatis in personis et rebus, et specialiter ad imponenda banna et privationem omnium jurisdictionum tam civilium quam criminalium, tam voluntariarum quam contentiosarum, regalium, datiorum, feudorum, donationum, privilegiorum, officiorum judicatus, tabellionatus, missorum regiorum et omnium honorum potestarie, consulatus et monetarum, et privationem etiam omnium eorum que possent eis ex pace Constantie universis aut singulis provenire, et eorum omnium que ab imperio seu a domino Friderico imperatore avo nostro seu a patre nostro

(1) Vide supra p. 609 et seqq.
(2) Scilicet 24 junii. Litteras tamen nusquam reperire potuimus.

imperatore haberent aut ab aliis imperatoribns predecessoribus nostris seu a nobis tenent, habent sen possident, tennernnt, habnerunt sen possederunt, necnon in aliis animadvertere contra eos, ex commnni deliberatione et ab approbato consilio nos id debere ac posse concorditer providerunt, sicnt memorialia eorum scripta consilii manifestant. Sed patientia nostra non destitit quin ad eornm conversionem nostra intentio libentins verteretnr. Permisimns enim predictnm venerabilem episcopum Portuensem, Apostolice Sedis legatnm, convenire cnm rectoribns, quin potins provisoribus eorumdem, qui cnm apud villam Mercarie formam quamdam pacis invenirent et de commnni assensu civitatnm conjuratarum existeret approbata [et] redacta in scriptis, per venerabilem Mediolani archiepiscopum, Mantnanum et Brixiensem episcopos, dominnm Alatrinum domini pape snbdiaconum et capellannm et fratrem Gualam de ordine Predicatorum, nostris nnnciis obtulerunt. Qne cum nobis representata fuisset, nos ad snpplicationem et instantiam prelatorum, licet instarent principes ex adverso qnod non deberet recipi talis forma petitionis tantum et forma oblate pacis, adeo hnmiliter acquievimus ut mirabile fieret universis, qui illnm qnem imperialis celsitndo deposceret in nobis animnm non viderent. Sed cum diem eis prefixerimns atque locum in qnibns venire deberent, pacem quam apnd Mercariam obtulerant impleturi, nnntiis nostris ad eos deducendos euntibns, sicut venire pro pactis adimplendis debnerant, non venerunt; sed variantes propositnm et affectum, potins illndere qnam velle satisfacere videbantur, sicnt singula sub sigillum et testimoninm prelatorum qni interfnerunt plenarie continentnr. Ne igitnr Lombardi conjurationis ejusdem snper tanta possint insolentia et illatis nobis et Romano imperio injuriis insnltare, die sabati XI presentis mensis julii, XIII[I] indictione, apud burgum Sancti Domnini, in majori ecclesia, solemni et generali curia venerabilinm archiepiscoporum, episcoporum, principum et aliorum nostrorum procerum congregata, residentibns nobis et assistente nobiscnm venerabili Hierosolymitano patriarca, presente quoque nobilium jndicnm cnrie nostre et virorum prudentium et populi mnltitndine infinita, littere sanctissimi patris summi pontificis super delegatione dicto Hildensemensi episcopo contra pertur-

batores nostrorum bonorum et jurium jam commissa, in publicum sunt deducte. Quibus solemniter recitatis, perlectis quoque et expositis scriptis domini patriarche et omnium tunc presentium prelatorum sub sigillis et testimoniis eorumdem, per que et eidem Hildensemensi episcopo qui auctoritate mandati apostolici posset in eosdem conjurationis Lombardos procedere et nobis qui juxta dignitatis nostre fastigium animadvertere et banna imponere deberemus pariter et possemus, providere consultabant, exposita quoque ultima forma pacis quam implere sicut apud Mercariam convenerant denegarunt, venerabilis Hildensemensis episcopus in civitates conjurationis et societatis illicite, videlicet Mediolanum, Mantuam, Veronam, Vicentiam, Paduam, Tervisium, Bononiam, Faventiam, Brixiam, Laudam, Vercellas, Alexandriam et ceteras civitates conjurationis ejusdem ac fautores earum, auctoritate apostolica suum est officium exequutus, excommunicationi personas et terras interdicto supponens. Prelatis quoque civitatum ipsarum apostolica fretus auctoritate prohibuit ne communicent cum eisdem, sed evitent eos et faciant arctius evitari (*a*) et divina officia interdici (1). Dicto igitur delegato suum officium exequente, nos stipati principibus nostris tam ecclesiasticis quam mundanis, de communi deliberatione ac sententia eorumdem principum nostrorum et aliorum Romani imperii procerum in eadem curia residentium, judicum quoque curie nostre ac plurium sapientum, ex auctoritate nostra et imperii pronuntiavimus et condemnavimus omnes civitates ipsas in personis et rebus, et omnes habitatores earum et districtuum et episcopatuum suorum in banno imperii posuimus, et nostros et imperii bannitos et hostes denuntiavimus et tanquam reos criminis lese majestatis privavimus tam universos quam singulos omnium jurisdictionum tam civilium quam criminalium, tam voluntariarum quam contentiosarum, datiorum,

(*a*) In Impresso *civitati*, male.

(1) « Sed eamdem sententiam postea papa Honorius revocavit, mittens Alatrinum capellanum » suum; cujus suggestione Mediolanum et multae civitates complices contra imperatorem con» juraverunt, facientes collegium quod Longobardorum societas per multa tempora est vo» catum. » GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, II, 360.

feudorum, donationum, privilegiorum, regalium, honorum, omnium officiorum judicatus, tabellionatus et missorum regiorum, potestarie, consulatus et monetarum. Privavimus etiam sententialiter predictas civitates et cives earum eis omnibus que possent eis ex pace Constantie universis et singulis provenire, ac ceteris omnibus que ab imperio seu a predictis imperatoribus avo et patre nostro et aliis predecessoribus nostris divine recordationis augustis seu a nobis tenent, habent seu possident, aut tenuerunt, habuerunt seu possederunt. Item privavimus valvasores et capitaneos ab honoribus et specialiter ab honore capitaneatus et valvasoratus, ut de cetero non possint dici nec nominari capitanei nec valvasores, et prohibemus ipsis et aliis ne de cetero ad tales vel alios honores ascendant. Item privavimus a statutis, quod statuta non faciant, facta cassamus; et quod si de cetero fecerint, ipso jure inania et irrita censeantur. Item privavimus eos omnibus legitimis actibus, ita quod nec habeant jus testandi, testificandi, alienandi, succedendi ex testamento vel ab intestato nec capiendi ex causa donationis inter vivos vel ex causa mortis, a jure codicillorum vel alio quolibet modo. Et quod ipso jure perpetuo sint infames, pronuntiantes quoque et presenti sancientes edicto ut omnes fautores eorum, civitates et loca vel ceteri qui eis de cetero auxiliari vel associari presument vel alii qui de predictis civitatibus in potestate consiliarium assessorem assument, eidem condemnationi et banno et privationi subjaceant. Scholas et studia ab eisdem civitatibus statuimus et jubemus perpetuo removeri. Doctores et scolares qui contra presentem constitutionem nostram in eisdem civitatibus atque locis docere, legere aut audire presumpserint, perpetua infamia denotantes et ab advocationis, judicatus, tabellionatus officiis et honoribus et legitimis actibus privantes eosdem. Statuimus insuper ut quicumque ipsos bannitos predictos et hostes (*a*) nostros et Romani imperii offenderit in personis et rebus, indemnis exinde habeatur, ut nullo unquam tempore possit vel debeat ab aliquo conveniri. Quare universitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatenus omnes civitates predictas et habitatores earum tan-

(*a*) In impresso *homines*, male.

quam nostros et Romani imperii bannitos et hostes habeatis et denuntiari amodo teneatis, facientes presentis condemnationis formam per totum districtum et episcopatum vestrum solemniter publicari; ipsos autem in personis et rebus persequi et capere intendatis, negotiatores et mercatores et stratas per districtum et posse vestrum eis penitus inhibentes, et interdicentes civibus et mercatoribus vestris ne participent vel mercimonia aut aliqua negotia exerceant cum eisdem; quod si presumpserint, supradictis penis et bannis se noverint subjacere.

Datum apud burgum Sancti Domnini, anno dominice incarnationis M.CC.XXVI, mense julii, XIIII indictione.

---

Fridericus, Romanorum imperator, ob dilectionem quam gerit erga Conradum Portuensem episcopum, Romanae Ecclesiae cardinalem, fratrem comitis Egenonis de Urach, ratam habet concordiam inter eumdem comitem et Henricum regem filium suum ordinatam, eidemque comiti promittit cum in subsidium Terrae Sanctae passagium inierit, se ei in auxilio triginta vel quadraginta militum affuturum. Apud burgum Sancti Donnini, 18 julii.

(Edid. Schœpflin, *Histor. Zaringo-Bad.*, Cod. diplomat., t. IV, p. 170, ex authentico Bad. Durlac.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, dilecto consanguineo et fideli suo Egnenoni comiti de Hura, gratiam suam et bonam voluntatem. Cum ex innata celsitudini nostre clementia ad gratiam nostram a qua per indevotionem recesseras, propter devotionis meritum quod te deinceps speramus non immerito promereri, personam tuam restituerimus ad plenum et liberaliter et libenter, ob dilectionem et favorem quem erga venerabilem C. Portuensem episcopum, sacre Romane Ecclesie cardinalem, fratrem tuum, specialiter gerimus et habemus, in hoc et in majoribus erga personam tuam nos

valde propicios et benignos reddere disponentes, concordiam illam et pacem que inter carissimum filium nostrum Henricum regem Romanorum illustrem ex una parte et te ex altera apud Spiream (1), deliberato principum nostrorum qui ibidem aderant consilio, provide extitit ordinata, ratam et firmam habuimus et habemus. Ceterum quia intelleximus strenuitatem tuam crucis signaculum pro Terre Sancte subsidio assumpsisse, letati fuimus ut in ipso sancto itinere te fructuosum et ydoneum supportatorem habentes, eo ad condigne remunerationis premia amplianda erga te specialius excitemur quo tue devotionis merita per cotidianas experientias evidenter ibidem poterimus experiri. Volentes igitur ut conceptum tuum favorabile votum nostra subventione securius et liberius exequaris, fidelitati tue mandamus quatinus ad executionem tam sancti propositi te potenter et magnifice studeas preparare. Nos enim cum ad nos perveneris in passagio, triginta vel quadraginta militum vel etiam ampliori tibi liberalitate (a) curabimus providere in competenti et congrua aliorum subventione; juxta consilium memorati cardinalis cui in hoc et in aliis disponimus complacere et etiam fratris H. magistri hospitalis Theutonicorum, devotionem tuam libenter et liberaliter respicere proponentes, [ita] quod eidem cardinali id erit gratissimum et acceptum, tuque proinde ad nostra obsequia in perpetuum remanebis specialius obligatus.

Datum apud Burgum Sancti Donnini, XVIII julii, XIIII indictionis.

---

Apud burgum Sancti Donnini, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiam Aquensem in specialem suam protectionem recipit, eique confirmat omnes donationes ab antecessoribus suis factas, quae ibidem seriatim et nominatim exprimuntur.

(a) In impresso *libere*, male.

(1) Deest tamen instrumentum pacis, quod tantummodo ex hac mentione noscimus.

(Edider. Quix, *Die Königl. Capelle*, p. 31.— Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. Niederrh.*, zw. Band, p. 72-73, n° 135, ex transumpt. reg. Rudolfi primi sub anno 1275.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sycilie rex. Licet nostre serenitatis clementia celesti gratia super gentes et regna imperiali majestate sublimata sanctis Dei ecclesiis fideli prudentique discretione juste et misericorditer consulere teneatur, specialius tamen Aquensi ecclesie, que sedes et caput regni familiari prerogativa inter Cisalpinas resplendens ecclesias regali et imperiali triumphat fiducia, juxta ramos ordinate caritatis consulere debet et utiliter providere. Inde est quod nos divorum augustorum nostrorum, videlicet antecessorum beati Karuli, qui prefatam ecclesiam a fundamentis erexit et laudabiliter ac mirifice decoravit, ejusque successorum, maxime karissimi patris et avi nostri Heinrici et Friderici serenissimorum imperatorum, qui prefatam ecclesiam sincere karitatis brachiis amplexabantur, vestigiis inherentes, ipsam in specialem majestatis nostre protectionem recipimus eique confirmamus universa que ab antecessoribus nostris regibus sive imperatoribus Romanis seu ab aliis Christi fidelibus juste collata sunt, vel in posterum dante Domino conferri poterunt, vel que ipsa ecclesia justo acquisitionis titulo per gratiam Dei nunc habet vel in posterum obtinebit. Specialiter autem Bastonicam (1) cum suis appendiciis et mercato et omni jure, quam Karolus Magnus eidem ecclesie dedit; Jupillam et Harstal quas Otto tertius cum omni jure et appendiciis suis et nonis et decimis dedit; Compendium (2), quam Karolus Magnus cum suis appendiciis et nonis et decimis dedit; ecclesiam in Duren quam Otto rex cum nonis et decimis dedit; nonam in Loin et Aschwilre (3) quam Lotharius imperator dedit; villam Vals et Gimenich (4) quas Hein-

(1) Bastogne.
(2) Contzen.
(3) Lohn et Eschweiler.
(4) Vaels et Gimmenich.

ricus tertius cum suis appendiciis et omni jure dedit; Mortirs quam Lodowicus imperator cum suis appendiciis et omni jure dedit; Galopiam (1) et Mere quas sanctus Heinricus imperator cum suis appendiciis et omni jure dedit; ecclesias in Vilvorde et Budele (2) quas Heinricus tertius cum suis appendiciis et jure suo dedit; ecclesias in Reno et Baneis quas Lodowicus Pius cum decimis et omni jure dedit; Moldeche quam Heinricus tertius cum suis appendiciis et omni jure dedit; Tiele quam Otto imperator cum omni jure dedit; tertiam partem thelonei in Angre (3) quam Lotharius imperator dedit; Erclenciam cum omni jure quam Otto primus dedit; Walharne, Mesche, Luncin, Seffunt (4) cum advocaticiis et omni jure, quas Heinricus tertius dedit; ecclesiam de Senzeke (5) cum decimis et quibusdam mansis et mancipiis et rebus aliis, quam Lotharius imperator dedit; Kezzelheim et Wintungen (6) cum decimis, prediis quibusdam et rebus aliis, Kezzelheim autem cum omni jure, quas Zwendeboldus rex dedit; Trabanam (7) cum omni jure et appendiciis suis, quam Lodowicus Pius dedit; nonas partes omnium rerum de quinquaginta villis : id est Aquis palatio, Gemmis, Mersana, Waracte, Linnicha, Numaga, Harna, Aschlo, Bailus, Reicheim, Tectis, Spirimonte, Haristallio, Jupilla, Astenhert, Glamaco, Carango, Watermala, Nova villa, Blamaco, Tunba, Linai, Amblavaburz, Waldeminas, Blendofia, Bullinge, Heldun, Mandelvelt, Lizau, Compendio, Satanai, Dura, Villare, Aschwilre, Flatima, Moffendorb, Lenspasisiolo, Urio, Casa Petrea, Calninciato, Gamunias, Longolare, Calviniaio, Maslapio, Clodima, Ambarlao, Bastonio, Etortao, Coriva (8), quas dedit Lotharius

---

(1) Gülpen.

(2) Buel.

(3) Locus hodie incognitus.

(4) Lootzen et Seffent.

(5) Vide Gunther, *Cod. diplom. Rheno-Mosell.*, I, nº 3.

(6) Kesselheim et Winningen (?).

(7) Traben.

(8) Vide in prima parte codicis diplomatici a Lacombleto editi, nis 75, 89 et 108. At paucae ibi adduntur variantes lectiones quae nomina ista, barbare ut videtur transcripta, elucidare va-

imperator; capellam in monte Luiesberch positam quam dedit Heinricus tertius, Harivam quam dedit Heinricus tertius, capellam et predium in Hoimbnchs quam Rudolfus una cum uxore sua Emertrnde dedit, Cnnradus rex confirmavit, ecclesias in Berge et Rihterchen [qnas] Engelbertus prepositus Aquensis ecclesie dedit. Hec et alia omnia ubique locorum sita cum omni jure, judicio et utilitate, pront eidem ecclesie collata snnt et in privilegiis imperatorum sive regum confirmata, per presentem paginam ipsi ecclesie nostra imperiali anctoritate in perpetuum confirmamus, statuentes et firmiter precipientes ne aliqua civitas, castrum, dnx, marchio, comes, advocatus, scultetus, nulla unquam persona magna vel parva, ecclesiastica vel secularis, alta vel hnmilis, predictam ecclesiam contra hujns nostre protectionis et confirmationis paginam aliqno modo ledere, molestare vel perturbare presnmat. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, a gratia imperiali exclusns in suo temeritatis vindictam centum marcas anri pro pena componat, medietatem camere nostre, reliquam vero injnriam patienti. Ad cnjns rei memoriam et robnr perpetno valiturum, presens privileginm scribi et nostre majestatis sigillo jussimns inferins communiri.

Hujus rei testes sunt Geroldus patriarcha Jerosolymitanns, Albertns Magdeburgensis archiepiscopus, Heinricus Mediolanensis, Landus Reginus archiepiscopi, Heinricus Wormatiensis, Engelhardus Nuwenbnrgensis, Cnnradus Hildesheimensis, Eckehardus Mersebnrgensis, Heinricus Basiliensis, Jacobns Taurinensis, Albertus Brixiensis, Gracia Parmensis episcopi, Ugo de Murbach et . . . de Prume [abbates], Albertus dux Saxonie, Ludovicus lantgravius Thuringie, Rainaldus dnx Spoloti.

Signum domini Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis gloriosi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense julii, quartadecima indictione, imperante domino Fri-

---

leant. Quaedam tamen corrigenda sunt : pro Gemmis, *Geminis;* pro Mersana, *Marsna (Meersen)*; pro Glamaco, Blamaco et Coriva, *Glaniaco*, *Blaniaco* et *Corvia;* pro Clodima, *Cloduna (Clotten)*; necnon pro Etortao legendum *et Ortao.*

derico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege glorioso, anno imperii ejus sexto, Jerosolimitani regni primo, Sicilie vero anno vicesimo nono, feliciter. Amen.

Datum apud Burgum Sancti Donini, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Apud burgum Sancti Donnini, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis servitiis Conradi Hildeshemensis episcopi, ei et successoribus ejus concedit in perpetuum ut decedente episcopo nec ipse nec aliquis successorum suorum bona mobilia et utensilia domus episcopalis auferre praesumat, sicut jam praecedentibus litteris ministerialibus et officiatis ejusdem ecclesiae duxerat inhibendum.

(Edit. ap. Harenberg, *Hist. Gandersh. diplom.*, diss. II, p. 429.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris per imperium constitutis tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidei magnam constantiam Conradi venerabilis Hildeshemensis episcopi, dilecti principis nostri, quam multipliciter immo efficaciter in nostris servitiis et honoribus jam sepius sumus experti, considerantes etiam magna et grata servitia ejus que quotidie nostre celsitudini exhibere non cessat, cum tanta et talia sunt apud nos merita persone sue ut non solum idem episcopus cum ejus ecclesie proprietate beneficia liberalitatis nostre, tum etiam magnificentie mereatur, concedimus eidem Hildeshemensi episcopo, ecclesie sue et successoribus ejus in perpetuum ut, sive eodem episcopo sive suis successoribus decedentibus, nec nos nec aliquis successorum nostrorum Romanorum imperatorum vel regum aut aliquis nomine et auctoritate nostra vel successorum nostrorum bona mobilia et utensilia domus Hildeshemensis episcopi rapere vel auferre presumat; sed omnia integra maneant et quieta ad opus episcopi succedentis,

maxime quum in qnibusdam litteris nostris contineatur expresse quod hujusmodi pravam consuetndinem penitus abolentes, ministerialibus et officiatis predicte ecclesie Hildeshemensis apud quos inoleverat consuetudo predicta perpetuo dnximus inhibendum ne aliquis eorum presnmeret de cetero de rebus cnjnslibet decedentis episcopi ecclesie memorate capere vel tangere violenter. Ad hujus igitur nostre concessionis memoriam et robnr perpetuo valiturum, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimns communiri.

Datum apnd Burgnm Sancti Donnini, anno dominice incaruationis millesimo dncentesimo vicesimo sexto, mense julii, XIIII indictione.

---

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat concessionem monasterio Parisiensi factam ab episcopo et capitulo Argentinensi de emendis et vendendis rebus ejus in civitate Argentinensi, sine exactione thelonei ad Argentinensem ecclesiam pertinentis. Apud burgum Sancti Donnini, julio.

(Edid. Hugo, *Sacr. antiq. Monum.*, tom. II, p. 291, ex confirmatione Caroli IV, anno 1354.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notnm facimus universis imperii fidelibns tam presentibns quam fntnris quod venerabilis abbas et conventus Parisiensis monasterii, Cisterciensis ordinis, fideles nostri, celsitudini nostre hnmiliter supplicarunt ut concessionem eis factam a venerabili episcopo et capitulo Argentinensi de emendis necessariis et rebus suis vendendis in civitate Argentinensi sine exactione thelonei ad eorum ecclesiam rationabiliter pertinentis, pront in scripto per dominnm episcopum et capitulnm eis facto plenius continetnr, dignaremur de nostra gratia confirmare. Nos igitur attendentes honestam vitam et religionem laudabilem predictorum abbatis et conventus monasterii memorati necnon grata servitia que nobis poterunt exhibere, prefatam concessionem de

supradictis rebus per episcopum et capitulum antedictos eis factam sine exactione telonii ad eorum ecclesiam rationabiliter pertinentis, quemadmodum in eorum scripto plenius dinoscitur contineri, de nostre munificentie gratia confirmamus. Mandantes et firmiter injungentes ut nullus sit qui prefatum abbatem et conventum contra presentem confirmationem nostram super premissis omnibus temere molestare vel perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus autem confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens scriptum inde fieri et sigillo celsitudinis nostre jussimus communiri.

Datum apud Burgum Sancti Donnini, anno dominice incarnationis M.CC.XXVI, mense julii, quartedecime indictionis.

---

Apud burgum Sancti Donnini, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, Mainardinum episcopum Imolensem et ecclesiam ejus sub defensione imperii recipit, eique omnes possessiones ibidem expressas confirmat cum diversis juribus et immunitatibus.

(Edider. Ughelli, *Ital. sacra*, t. II, p. 636. — Manzonius, *Hist. episcop. Imol.*, p. 170.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis imperii fidelibus presentem paginam inspecturis gratiam suam et bonam voluntatem. Imperialis regiminis cura et suscepti oneris benignitas nos admonet et inducit ut hi qui constanter et fideliter promptaque devotione subjectionem imperio et devota obsequia exhibent, imperiali munificentia in suorum bonorum ampliatione apud imperium proficiant, quatenus et ipsi condigna suorum laborum et servitiorum remuneratione gaudeant et exemplum aliis prebeant, ut ad servitium et devotionem imperii se exhibeant promptiores. Ea propter universis imperii nostri fidelibus notum esse volumus tam presentibus

quam futuris quod nos attendentes devotionem pariterque fidelitatem dilecti fidelis nostri Mainardini Imolensis episcopi et ejusdem preclara servitia nobis et imperio indesinenter exhibita, tam ipsum quam suos successores et ecclesiam Imolensem sub defensione imperii et speciali juvamine ad manus nostras recepimus, ut tam amissa quam perdita vel alicujus ingenio diminuta nostro possint et debeant auxilio recuperari, et que nunc tenet vel in posterum acquisierit ipse vel successores ejus hoc nostro valeat munimine cum tranquillitate et ex nostra concessione omni tempore pacifice possidere. Ideoque predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, predicto M. fideli nostro tanquam benemerito ejusque successoribus damus, concedimus et imperiali largitate tradimus, videlicet jure proprietario, castellarium Sancti Cassiani cum tota curte sua, castrum Bagnarie (*a*) cum tota curte et fundoris suis, caput Silicis cum tota curte sua et cum aquis et paludibus, piscariis et ripis, aucupationibus et saltibus et nemoribus, seu Petretulo (*b*) et Bachareta et Runci et Libba et Fenaria; Taulariam cum tota curte sua, Puzolum et Tauranum (*c*), cum tota curte sua, Runcum et Roccham et Maseratam cum suis curtibus et appenditiis, quarum terrarum homines in monte et castro quod vocatur Caput Runci per eumdem episcopum sunt locati et positi ad habitandum; et villam Felleti et medietatem totius castri et curtis Puzoli cum hominibus et possessionibus et juribus eorumdem ubicumque constitutis, tam in eadem curte Puzoli quam in curte Cafrezane vel alibi; quam medietatem predicti totius castri cum omnibus predictis idem episcopus a Bonifaciis comparavit; montem in quo est plebes Sancte Marie de Zisso (*d*) edificata cum suis appendiciis, montem in quo est plebes Sancti Andree cum suis appendiciis, curtem Codrignani cum montibus et appenditiis, villam Vallis Salve cum montibus et appenditiis et curte sua et castro in eadem curte per eumdem episcopum edificato; omnia autem predicta et que per ipsum episcopum specialiter vel per alios successores fuerint

(*a*) Alias tamen et in sententia inferius memorata *Ragnarie.*

(*b*) Alias quoque *Patretulo.*

(*c*) Alias, sed minus recte *Taurarium.*

(*d*) Alias autem *de Gisso.*

acquisita in episcopatu et comitatu Imolensi vel alibi sibi suisque successoribus, cum jurisdictionibus, correptionibus, amonitionibus, pascuis et aqueductibus, baunis, placitis, districtionibus et honoribus et cum omnibus adjacentiis et pertinentiis suis, nullo redditu nobis vel nostris successoribus seu imperii nuntio reservato vel exhibito, salva tamen fidelitate quam et idem episcopus pro suis omnibus nostre majestati prestitit et tam ipse quam futuri (*a*) successores ejus nobis et imperio prestare tenentur; sicut nostre constitit excellentie per sententiam latam per venerabilem fidelem imperii Gerardum archiepiscopum Ravennatem inter legatum imperii Bertoldum de Conisberg ex una parte et Henricum Corneliensem episcopum, nunc dictum Imolensem, ex altera; quam sententiam perpetuis temporibus valituram ex certa scientia confirmamus (1). Insuper diffinitionem factam inter ecclesiam Imolensem et nobiles viros comites de Bagnacavallo et comites de Cunio et Filgirardos (*b*) de curte Capitis Silicis per Johannem de Vitale et suos socios nostre majestati ostensam, simili modo confessionem dictorum nobilium de feudis factam coram Bretuldo imperiali nuntio et predictis viris, et omnes consuetudines et usantias quas ipse et sui predecessores in rebus et hominibus dicti loci habent vel habuerunt, confirmamus et approbamus. Item concedimus et largimur eidem suisque successoribus proprietatis jure omnia que barones, comites, capitanei, ceterique tam nobiles quam alii ab eodem episcopo vel suis predecessoribus in feudum vel alio modo in toto nostro comitatu Imolensi vel episcopatu ipsius et alibi detinent, ut firma et illibata sibi suisque successoribus perpetuo perseverent. Statuimus ut nulla temporis prescriptio in predictis terris aliisque rebus et juribus seu jurisdictionibus ipsi episcopatui pertinentibus vel concessis, hostilitatis vel invasionis occasione detentis, eidem ecclesie currat. Quemlibet alium pos-

(*a*) Ap. Ughellium *vestri*, male.
(*b*) Alias *Filigardos*.

(1) Quae sententia anno Domini 1186, die 7 exeunte mense octobri, indictione IV, apud Imolam lata refertur ap. Ughellium, *ibid.*, p. 630.

sessorem vel alterius cujuslibet occasionis predictarum rerum detentatorem nulla nisi centenaria prescriptio tueatur; et tam ipsum quam suos successores a prestatione sacramenti de calumnia in suis causis et ecclesie volumus esse immunes, ut nec legis occasione vel alicujus civitatis statuto ad hoc debeat coarctari. Preterea dictum episcopum ejusque successores in civitate Imolensi universoque episcopatu ipsius et comitatu nostro Imolensi judicem ordinarium facimus, dantes ei plenam et liberam potestatem atque jurisdictionem quicquid ratio juris expostulat tam in majoribus quam in minoribus, pupillis et viduis, exequendi. Nihilominus etiam ex nostra munificentia omnem concessionem, donationem seu largitatem quolibet modo a nostris predecessoribus eidem ecclesie factam confirmamus, statuentes ut nulla civitas, nullum commune, nullus princeps seu comes, nullus dux, nullus imperialis aule missus, nulla magna parvaque persona predictam ecclesiam et ipsum episcopum suosque successores aliquo ingenio in rebus predictis, jurisdictionibus, redditibus et concessionibus a nobis et predecessoribus nostris factis in judicio vel extra audeat inquietare vel molestiam inferre. Quod qui facere presumpserit, indignationem nostram et lese majestatis crimen se noverit incursurum, et in penam sue presumptionis quinquaginta librarum auri componat, medietatem camere nostre inferendam, reliquam ecclesie memorate. Si quis vero judex vel alicujus civitatis potestas seu consules occasione constitutionis vel alicujus statuti seu alio modo contra hec ipsi ecclesie a nostra majestate indulta judicare presumpserit, periculum sui honoris et dignitatis incurrat et nota infamie perpetua ipso jure percellatur. Ad cujus rei perennem firmitatem presentem paginam inde nostra jussione conscriptam majestatis nostre sigillo jussimus insigniri.

Signum domini Federici invictissimi Romanorum imperatoris. (*Monogramma.*)

Datum apud Burgum Sancti Dominici (*sic*), anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense julii, XIV indictionis.

---

Apud burgum Sancti Donnini, iulio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces episcopi Portuensis et Sanctae Rufinae, Apostolicae Sedis legati, Ægidium abbatem et conventum monasterii Fontisvivi Cisterciensis ordinis in sua protectione suscipit, possessionesque ibidem nominatas confirmat.

(Edid. Affo, *Storia di Parma*, tom. III, p. 349, in append. n° L, ex archiv. monast. S. Pauli *fuor delle mura di Roma*, cass. Q, 9.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Inter claras mansuetudinis nostre laudes illud puriore luce tanquam sidus irradiat, quod locis et viris religiosis ob Dei reverentiam devotius indulgemus. Hac igitur ducti consideratione laudabili, attendentes honestam vitam et conversationem laudabilem nec non et religionem Egidii venerabilis abbatis et conventus monasterii Fontisvivi Cisterciensis ordinis, fidelium nostrorum, pro salute nostra et remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, ad preces quoque venerabilis Portuensis et Sancte Rufine episcopi, Apostolice Sedis legati, dilecti amici nostri, monasterium ipsum et abbatem predictum necnon et monachos ibidem Domino famulantes et successores ipsorum sub speciali protectione ac defensione nostra suscepimus et omnia bona que monasterium ipsum largitione principum seu oblatione fidelium rationabiliter tenuit hactenus et possedit et que in antea justo acquisitionis titulo poterit adipisci; in quibus hec propriis vocabulis duximus exprimenda: locum in quo ipsum monasterium situm est cum pertinentiis suis, grangiam Gratigarii cum pertinentiis suis, grangiam Curtis Redaldi cum pertinentiis suis, rivum aque que dicitur de Noceta et rivum aque Tubira Maladobati. Desuper abundantiori quoque gratia . . . . . . concedimus eis ut res suas liceat eis pro utilitatibus monasterii libere vendere et distrahere, ducere et reducere ubicumque et quibuscumque voluerint sine alicujus contradictione,

non obstante consuetndine vel statuto civitatis alicujns vel loci. Et ut debita quies prefatis abbati et conventui non frangatur, districtius precipimus ut a fluvio Taronis vivi usque ad rivum Massonis et a strata Claudia nsque ad villam Maladobati que dicitur Claria circa ipsum monasterium edificia de novo non fiant, secnndum quod sibi est a venerabili Parmensi episcopo fideli nostro concessum et a Sede Apostolica coufirmatnm. Ut autem majoris mercedis in eterna vita gloriam consequamur, prefato abbati et fratribus suis sacramentum calumpnie condonamns, ita ut ipse abbas vel monachi sui personaliter illud non cogantur subire, sed per procuratorem in causis suis vel sindicum constitutum. Ad hoc districtius inhibemus ut nulla omnino persona alta vel hnmilis, ecclesiastica vel secularis, prefatum abbatem et successores suos vel monasterium supradictum in personis aut rebns contra hnjus protectionis, confirmationis et concessionis nostre tenorem molestare, inquietare sen perturbare presumat; quod qui presumpserit pro pena quinquagiuta libras anri puri componat, qnarum medietas camere nostre, reliqua vero passis injuriam persolvatur. Ad hujus itaque protectiouis, coufirmationis, concessionis et inhibitionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privileginm fieri et sigillo celsitndinis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Albertus Magdebnrgensis, Henricus Mediolanensis et Landus Reginus veuerabiles archiepiscopi, Caren Hoben (a) Cremonensis, Albertus Brixiensis, Henricus Mantnanus, Jordanus Paduanns, Tisns Tarvisinus, Ugolinus Vercellensis, Jacobus Taurinensis et . . . Novariensis, Johannes Pergamensis, . . . Vulteranus, M. Aretinus et . . . Fesulanus episcopi, Rainaldus dux Spoleti, M. de Guritia, Henricus et Hermannus de Wolemberch et Albertus de Muguilla comites, Ricardus camerarius, et alii quamplnres.

Signum domini Friderici secnndi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper angusti, Hierusalem et Sicilie regis gloriosissimi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense jnlii, quartedecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secnndo

(a) Idem qui latine dicitur *Homobonus*.

Dei gratia invictissimo Romanornm imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejns anno sexto et regni Jerusalem primo, regni vero Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

Datum apud Burgum Sancti Donnini, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Apud burgum Sancti Donnini, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium a Friderico imperatore avo suo Guercio marchioni Savonae ann. 1162 indultum Henrico marchioni filio ejusdem Guercii confirmat, additque ut si haeredes masculos non habuerit superstites, filia ejus in feudo succedat.

(Edider. Lunig, *Cod. Ital. diplomat.*, t. I, p. 2117. — Munsterer, *Mémoire sur Gênes*, p. 25. Nomina testium foede corrupta ut potuimus restituimus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus divina favente clementia Romanorum imperator, semper angustus, Hierusalem et Sicilie rex. Decet imperialis excellentie dignitatem vota suorum fidelinm clementer admittere ac ea sic effectu prosequi et complere quod et principis exhibita gratia et subditorum fervens devotio presentibus sit ad gaudium et posteris ad exemplum. Inde est quod universis fidelibus imperii presentibns et futuris fieri volumns manifestum quod cnm Henricns marchio Savone, fidelis noster dilectns, filins Henrici Guercii marchionis, privilegium qnoddam quod inclite recordationis dominus imperator Federicus concessit prefato marchioni Guercio patri sno, intuendnm nostre celsitudini presentasset, supplicans humiliter et devote ut illnd sibi et suis heredibus renovare et confirmare de nostra gratia dignaremur; nos attendentes fidem et devotionem sinceram necnon et grata servitia quo prefatns Henricns pater suus prefato imperatori Federico avo nostro et domino imperatori patri nostro dive memorie ac ipse Henricus filius ipsius specialiter nostre celsitudini sue fidei puritate constanter exhibuit et nunc

exhibet incessanter, supplicationes suas benigno prosequentes assensu privilegium ipsum presenti divali pagina transcribi de verbo ad verbum jussimus, illud sibi et suis heredibus in perpetuum confirmantes; cujus tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Apud nostram majestatem fides et devotio semper locum habuit et nostri fideles non possunt suo desiderio fraudari, illi precipue qui in personarum periculo usque ad sanguinis effusionem et rerum dispendio pro imperii honore fideliter decertaverunt. Qua propter cognoscant universi fideles imperii tam futuri quam presentes quod nos fidelem et dilectum nostrum Henricum marchionem de Savona, pro sua fidelitate quam semper circa imperium habuit et servavit, pro suis preclaris servitiis que nobis frequenter impendit, per rectum feudum investivimus de hoc toto quod marchio Bonifacius ejus pater habuit in civitate Savone et in marchia et in episcopatu et in toto districtu prefate civitatis et marchie, sive in castro et civitate, in mari et in aqua et in communi et in argentariis, in boschis et pascuis, in fodris et in bannis, offensis, placitis, districtibus, albergariis, conditionibus, usibus, operibus, fructibus, censibus, redditibus, angariis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, montibus, planitiis, captiis volucrum et beluarum, cultis et incultis, divisis et indivisis, ripis, paludibus, rupinis et omnibus castris que nunc sunt et erunt. Prefato quoque marchioni Henrico plenarie concedimus potestatem edificandi sue utilitati et suis heredibus et destruendi castrum et turrim que contra suam voluntatem fuerint in mera marchia ipsius civitatis Savone, in castro Cugliani, Signi, Noli et Pertice et Pie Orcbe, et in omnibus horum castrorum curiis quas possidet ipse marchio vel aliquis pro eo vel ab hodie in antea acquisiverit, et in omnibus aliis ejus possessionibus quas idem Henricus marchio Savone tenet et ei pertinuerunt, que de possessionibus dicti marchionis Bonifacii fuisse dignoscuntur. Concedimus etiam per istum feudum eidem marchioni Henrico totum illud honoris et regalis quod nobis pertinet vel habere debemus in ipsa prefata civitate et marchia et in unoquoque predictorum castrorum, et insuper illud quod predicto Henrico

marchioni pertinet vel per suum genitorem ei pervenit. Statuentes itaque firmiter precipimus quod nulla persona magna vel parva habeat potestatem petendi vel faciendi in prefata marchia et civitate et episcopatu et in omnibus marchionis possessionibus que ei pertinent vel pertinuerunt ex parte patris sui vel aliunde, quocunque modo dici vel nominari possunt, nisi solus marchio Henricus et sui heredes. Omnes etiam illos pedagios et bonos usus quos ipsi cives miserint et quos marchio ad honorem imperii potuerit, concedimus et confirmamus prefato marchioni, salvis omnibus servitiis que predictus marchio Henricus imperio debet. — Hujus autem concessionis et confirmationis testes sunt Reinaldus Coloniensis electus, Henricus Leodiensis episcopus, Odienus (*a*) Basiliensis episcopus, Hermannus Constantiensis episcopus, Uto (Oddo) Numburgensis episcopus, Hermannus Hildesiensis episcopus, Gasendanus (*b*) Mantuanus episcopus, Uldaricus Augiensis abbas, Hermanus Hersfeldensis (*c*) abbas, Henricus prothonotarius, Anselmus Astensis episcopus, Ricardus (*d*) Parmensis episcopus, Sirus Papiensis episcopus, Aquensis episcopus, Tordonensis (*e*) [episcopus], Conradus palatinus comes Rheni frater domini imperatoris, Henricus dux Austrie patruus domini imperatoris, Otto palatinus comes de Wintelnesbach, Theodoricus marchio, comes Theto, comes Albertus de Saxonia, comes Rudolphus de Fuliendors (*f*), comes Ulricus de Luneburg (*g*), comes Emicho (*h*), Burcardus castellanus de Magdeburg, Guillielmus marchio Montisferrati, marchio Oppizo Malaspina, comes Vido de Blandrato, Gerardus de Brugenburg (*i*) et Mar-

(*a*) In altero Friderici I diplomate sub notis chronologicis eisdem (ap. Murator., *Antiq. Ital.*, t. IV, p. 256) legitur *Hordiel* (*Ortliebus*); ap. Dumont, *Corps diplom.*, t. I, p. 295, *Ordicus*.

(*b*) Ap. Muratori *Garsendonius*.

(*c*) Ap. Lünig *Seferdensis*; ap. Muratori *Hensfeldensis*, ambo male.

(*d*) Alias tamen *Aicardus* seu *Aycardus*.

(*e*) Apud Lünig *Cordonensis*, omissa voce *episcopus*.

(*f*) Ap. Muratori *Phalendors*, verisimiliter *Pfullendorf*.

(*g*) Ibidem *de Lenhebuch*; ap. Dumont, *de Leuheburc*.

(*h*) Ap. Lünig *Donico*, pessime.

(*i*) Ap. Muratori *Gebeardus de Luggemberge*.

quardus (*a*) ejus frater, Henricus marescalcus, Guido de Sancto Nazario, Gilius de Duvara (*b*) et alii quamplures. — Signum domini Friderici Romanorum imperatoris invictissimi. — Ego Udalricus cancellarius, vice Renaldi Coloniensis electi et archicancellarii, recognovi. — Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo secundo, indictione decima, regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus decimo, imperii vero septimo. — Datum Papie apud Sanctum Salvatorem post destructionem Mediolani, quarto idus junii, feliciter. Amen.

De abundantiori quoque nostre benignitatis gratia qua consuevimus nostros fideles et benemeritos providere, de certa conscientia nostra adjiciendo concedimus et in perpetuum confirmamus et de prefata concessione investivimus, qua tam marchio memoratus quam heredes sui legitimi, masculi et femine ab eo descendentes, uno alteri succedente, gaudeant universi; et si heredes masculos continget non esse superstites, filia sua que est uxor Gratapalie fidelis nostri in feudum ipsum succedat, nec non et ejus heredes masculi et femine, legitime ex ea et ejus viro Gratapalia descendentes, uno alteri succedente; lege aliqua vel feudorum consuetudine nec non et privilegio contra hanc nostram concessionem vel additionem impetrato aliquatenus non obstante. Ad hujus autem innovationis, confirmationis et clausule additionis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium inde fieri et bulla aurea typario nostro majestatis impressa jussimus communiri. Mandantes et imperiali edicto firmiter sancientes ut nulla persona parva vel humilis, non comes, non marchio, non potestas vel communitas aut quelibet alia persona contra nostre confirmationis et innovationis ac presentis additionis tenorem ausu temerario venire presumat; quia preter indignationem nostram, penam centum librarum auri puri procul dubio sustinebit quicumque in predictis vel aliquo predictorum temerarie attemptaverit contravenire; quarum librarum medietas fisco nostro, reliqua vero prefato marchioni et suis liberis persolvatur.

(*a*) Ap. Lünig *Emirwarder*, pessime.

(*b*) Ibidem *de Donria*; ap. Dumont *de Bonaria*; verisimiliter *de Doara*.

Hujus autem rei testes sunt Geroldus patriarcha Jerosolimitanus (a), Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Henricus Mediolanensis, Landus Reginus archiepiscopi, H. Warmaciensis, Engelhardus Naumburgensis (b), Conradus Ildesemensis, E. Merseburgensis, H. Basiliensis, J. Taurinensis, Ugo Vercellensis, J. Astensis, A. Brixiensis, Gratia Parmensis episcopi, Thomas comes Sabandie, totius Italie legatus et marchio ejusdem, Raynaldus dux Spoletanus (c), Ricardus marescalcus, marchiones de Secena, domini de Gorzano (d) et alii quamplures.

Signum domini Federici secundi Dei gratia Romanorum imperatoris invictissimi, Hierusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec apud Burgum Sancti Donini, imperante domino nostro Frederico Romanorum imperatore, semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege gloriosissimo, anno imperii ejus sexto, regni Hierusalem primo, regni vero Sicilie XXVIIII, feliciter. Amen.

Datum apud Burgum memoratum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, mense julii, XIIII indictionis.

---

Apud burgum Sancti Donnini, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, communi Cremonensium confirmat omnes donationes, concessiones et privilegia Cremonensibus indulta ab imperatoribus et regibus Romanorum praedecessoribus suis, et specialiter ab avo et patre suo, sub poena indignationis suae et centum marcarum auri in contravenientes expressa.

(Memorat. ap. Ant. Campo, *Cremona fedelissima*, lib. II, p. 47.)

Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis et Henricus Mediolanensis archiepiscopi, etc.

(a) In impressis male *Gerardus patriarcha Johannes.*

(b) Ap. Dumont *Eugenius Huixemberg*, pessime.

(c) Ap. Lünig *Palatinus*, male.

(d) Rectius autem *marchiones de Ceva, domini de Gorzegno.* Cf. p. 639, inter testes.

Acta sunt hec apud Burgum Sancti Domnini, anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense julii (1), XIV indictionis, imperante domino nostro Friderico, etc., anno imperii ejus sexto, etc.

---

Fridericus, Romanorum imperator, Petro abbati monasterii de Claravalle in Lombardia et ecclesiae ejus privilegium concedit. Parmae, julio.

(Memorat. et extract. ap. GIULINI, *Memorie di Milano*, t. VII, p. 407, ex arch. monasterii ejusdem.)

Testes sunt . . . Henricus Mediolanensis archiepiscopus, Jacobus Taurinensis, Hugo Vercellensis, Johannes Bergamensis, Albertus Brixiensis episcopi, *et caeteri*.

Datum Parme, anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense julio, *etc*.

---

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium renovat quo communi Januae facultatem concedit armamentum faciendi, consules et potestates eligendi, aedificandi castrum super portum Monachi, notarios faciendi, rugam unam habendi in unaquaque civitate maritimae quam subjugaverint, pondus et mensuram peculiarem habendi, ante judices Januenses standi, et caetera in priore privilegio expressa. Apud Pontem Tremulum, julio.

---

(1) Licet Campo privilegium ad diem XXVI julii referat, quamdam confusionem suspicamur inter annum et dierum mensis numerum, quum minime verosimile sit, praesertim ex itinere sequenti, imperatorem usque ad hunc diem apud Burgum S. Donnini moram suam prorogavisse.

(Inedit. ex pergamena coaetanea penes D. Artaud, unum ex sociis Acad. Inscript., et in *libro jurium* manuscripto ap. Januam, fol. 56 recto-verso, ex transumpto ann. 1229. In utroque bullae aureae mentio fit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Preclara fidelium nostrorum obsequia manifestis indiciis operum comprobata tanto debemus libentius munificentie nostre muneribus prevenire, quanto celsitudini nostre grata exhibentur pariter et accepta. Nolumus enim a mercede repellere eos a quibus servitia recepimus fructuosa, nec benemeritos sine condigne retributionis vicissitudine preterire. Notum igitur esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum universi cives Janue, fideles nostri, propter magnam eorum fidem quam imperio et nobis omni tempore servaverunt grandis meriti sint in conspectu nostro, ipsamque nos secundum exigentiam meritorum suorum gratis beneficiis honorare volentes, concedimus et donamus communi Janue, etc. Donantes et concedentes in feudum predicto communi, etc. [*Sequitur hujus privilegii tenor de verbo ad verbum, ut in praecedenti dato in castris prope Bononiam, 4 octobris* 1220, *nisi quod pro* quas in citramarinis et ultramarinis partibus habent *legitur in hoc :* quas ubique per partes imperii nostri rationabiliter habent (1), *et dein pro* auctoritate regia *legitur* auctoritate imperiali. *Quod cum denuo transcribendum non censeamus, damus tantummodo testes notasque chronologicas.*]

Hujus vero rei testes sunt Lando venerabilis Reginus archiepiscopus, Conradus Yldesemensis episcopus, frater Johannes Boianensis episcopus, Rainaldus dux Spoleti, C. marchio Malaspina, Thomas comes Sabaudie et marchio in Italia, comes Sifridus de Vienna et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

(1) Quae verborum discrepantia notanda videtur : quum in primo privilegio antiqua jura quae in Sicilia Januenses appetebant subaudiri potuissent, in isto ad ea nullo verborum involucro vel minime alluditur.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense julii, quartedecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni Jerusalem primo et regni Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

Datum apud Pontem Tremulum, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Fridericus, Romanorum imperator, burgum Sarzanae cum pertinentiis ejus et habitantes in eo sub speciali sua protectione recipit, ita quod nulli alii subsint vel respondere cogantur, nisi sibi aut legatis et capitaneis suis qui pro tempore ibidem extiterint ordinati.

Apud Sarzanam, augusto (julio).

(Memorat. ap. Landinelli, *Dell' origin. della citta di Luni e di Sarzana,* MSS. in bibl. Beril Januens., fol. 192, extr., et ap. Schiaffino, *Annal. eccles. della Ligur.* MSS., ibid., t. II, fol. 566, extr.)

Fredericus, etc. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

predictum burgum Sarzane cum pertinentiis ejus et habitantes in eo cum omnibus burgensibus sub speciali nostra et imperii protectione recipimus, ipsum in dominio nostro, sicuti alias civitates et castra imperii, retinere volentes; ita quod per nos aut successores nostros nulli alii aliquo unquam tempore conferatur. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Burgum quoque prefatum cum pertinentiis ejus ab omni alterius jurisdictione, potestate et dominio in perpetuum eximimus, ita quod nulli alii subsint vel respondere vel cogi possint ad justitiam, vel ad servitium aliquod in civilibus aut criminalibus causis per alium teneantur, nisi per nos aut legatos nostros aut capitaneos qui ibidem extiterint pro tempore ordinati; conventionibus post predictum privilegium ipsis burgensibus

ab ipso avo nostro concessum, in prejudicium imperii cum aliqua persona ecclesiastica vel seculari contractis, presenti nostre auctoritatis decreto in irritum revocatis. Statuimus igitur quatenus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictos burgenses, etc. . . . . . . . .

Hujus rei testes, etc. . . Signum domini Frederici, etc. . .

Acta sunt hec anno Domini MCCXXVI, mense augusti (1), indictione XIV, apud Sarzanam. . . . . .

---

Apud Sanctum Miniatum, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, Johanni abbati Sancti Salvatoris et Sanctae Mariae de Ficiclo confirmat unum privilegium et unum scriptum ab Henrico patre suo eidem monasterio concessa, omniaque jura et possessiones ibidem memorata recenset.

(Edidet Soldanus, *Histor. Passinian.*, lib. II, p. 44, ex archiv. monial. S. Clarae Lucensis. — Lami, *Delic. erudit.*, t. XVIII, p. 34, et *Monum. S. Eccles. Florent.*, t. I, p. 354; qui insuper hoc diploma in suo *Hodoeporico* notis illustravit, p. 338 et pass. 743, 805, 888.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Cum omnibus ecclesiis longe lateque per Romanum imperium constitutis imperiali nobis competat provisione consulere et eas generaliter in omnibus suis justitiis gubernare, benignius et specialius circa commodum et augmentum ecclesiarum illarum debemus aciem dirigere mentis nostre, que specialiter ad dominium imperii pertinent et ejus solo patrocinio fulciuntur. Ea propter notum fieri volumus universis nostris fidelibus per imperium constitutis, presentibus et futuris, quod accedens ad presentiam nostram Joannes, venerabilis abbas sancti Sal-

(1) Clare tamen ex itineris serie liquet quoddam in notatione mensis mendum irrepsisse; unde legendum videtur *mense julii* vel. . . . *kalendas* augusti.

vatoris et sancte Marie de Ficiclo, fidelis noster, presentavit celsitudini nostre unum privilegium et unum scriptum eidem monasterio a dive memorie quondam imperatore Henrico patre nostro indulta, supplicans nobis quod tam scriptum quam privilegium supra dicta et quicquid continetur in iisdem monasterio confirmare nostra serenitas dignaretur. Continetur enim in scripto qualiter predictus imperator pater noster, intuitu pietatis divine, concessit Henrico quondam abbati et monasterio supradicto ut liceat eidem monasterio decimas universas terrarum et novorum agrorum spectantium ad curiam de Ficiculo et ejus districtu percipere et habere. Et in privilegio continetur qualiter idem pater noster monasterium ipsum cum omnibus possessionibus suis acquisitis et acquirendis pie exemit ab omni districtu, ditione vel angaria alicujus magne vel parve persone. Et statuit firmiter ut nullus presumat de possessionibus ejus, datis vel relictis a comitibus imperatoris fidelibus, scilicet Kadulo, Lothario, Bulgarello, Uguizone et Ugolino, sive a quibuslibet aliis hominibus tam in ecclesiis, videlicet monasterio Sancti Bartholomei de Capiano cum omnibus pertinentiis suis tam in terris quam in aquis, ecclesia Sancti Martini de Catiana, ecclesia Sancti Viti, cum omnibus earum pertinentibus et possessionibus, quam castellis, villis et silvis cum piscationibus, scilicet sepe de Riviana (*a*) cum molendino et cum decem et septem starioribus terrarum que sunt ex sinistra parte fluminis juxta sepem et duabus partibus unius sepis que est posita supra pontem de Capiano atque in portu vel naviglio Arni, et in plagiis et in salictis que quoquomodo per alluvionem flumiuum undique accrescunt, quid diminuere seu rapere vel etiam inquietare sive molestare vel aliquo modo audeat disvestire. In eodem privilegio continetur qualiter idem dominus imperator pater noster pro majori commoditate ipsius monasterii cassavit penitus et deduxit in annullatione quamlibet justam impignorationem vel quamdam commutationem seu alienationem bonorum monasterii supradicti, quas Gregorius quondam abbas male vivendo aliquibus personis fecit seu in ipsius monasterii prejudicium attemptavit. Nos igitur suppli-

(*a*) Forsan *Juxiana*, ut proponit Lamius.

cationibus abbatis predicti benignius inclinati, illius intuitu per quem feliciter vivimus et regnamus, ob remedium animarum augustorum progenitorum nostrorum, scriptum et privilegium supradicta et quicquid continetur in eis predicto monasterio in perpetuum confirmamus. De abundantiori quoque gratia celsitudinis nostre concedimus et mandamus ut nulla prescriptio [nisi] centum annorum nocere debeat juri monasterii supradicti. Concedimus etiam abbati et conventui ejusdem monasterii jurisdictionem, executionem et liberam coactionem habere civilium cum hominibus ipsius monasterii. Concedimus etiam ut habeat sepem de Pignano in flumine Juxiane, ita altam que possit omni tempore molendinum habere, secundum quod temporibus divorum augustorum Friderici avi et Henrici patris nostri habere consuevit; quod etiam monasterium ipsum libere possit edificare sive construere sine licentia abbatis sive conventus ipsius. Hec autem omnia predicto monasterio concedimus et confirmamus, salva in omnibus imperiali justitia et dignitate similiter et honore. Mandamus igitur et inhibemus firmiter ut nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra presentem concessionem et confirmationem nostram monasterium ipsum impedire audeat vel vexare. Quod qui presumpserit indignationem nostram et penam quinquaginta librarum auri se noverit incursurum, medietatem camere nostre et reliquam passis injuriam exsolvendam. Ad hujus autem concessionis et confirmationis robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri jussimus celsitudinis nostre sigillo munitum.

Hujus vero rei testes sunt Laudo Reginus archiepiscopus dilectus familiaris [noster], Pistoriensis, Vulterranus, Massensis, Florentinus episcopi (1), frater H. magister domus Teutonicorum in Jerusalem, Raginaldus dux Spoleti Tuscie legatus, comes Siffridus de Vienna et alii quamplures fideles nostri.

---

(1) Pistoriensi episcopo nomen erat *Gratiadeo*, ut monet Lamius; Volaterrano, *Paganus;* Florentino, *Johannes;* Massensis vero quis hoc anno fuerit, vix suspicari licet, quum ignoretur an *Marzuccus* qui anno 1202 electus est, usque ad haec tempora pervenerit.

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Hierusalem et Sicilie rex.

Acta sunt autem hec anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense julii, decima quarta indictione, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno sexto, Hierusalem primo, et regni Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

Datum apud Sanctum Miniatem, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Fridericus, Romanorum imperator, notum facit universis quod cum domus Sanctae Mariae Theutonicorum Jacobum de Amigdala filium junioris filiae comitis Jozcelini investiverit de portione quae contingit eum in bonis ejusdem comitis pro parte matris, idem Jacobus eamdem domum, haec bona ex venditione Beatricis primogenitae comitis ejusdem possidentem, assecuravit et convenit restituere eidem domui illam pecuniae quantitatem quam pro redimenda hac portione creditoribus suis exsolverat.

Apud Sanctum Miniatum, julio.

(Inedit. In archivo Berolin., ex libr. copiali ordin. Theutonic. MSS. pergam., saecul. XIII.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerosolime et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis per regnum Jerosolimitanum constitutis fidelibus nostris, tam presentibus quam futuris, quod cum frater Hermannus magister sacre domus Hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerosolima, fidelis noster, pro eadem domo sua justo emptionis titulo possideret bona que fuerunt quondam comitis Jozcelini, que comes Otto de Enneberch et Beatrix uxor sua primogenita dicti comitis Jozcelini et Otto eorum filius eidem magistro et predicte domus fratribus vendiderant, in quibus idem ma-

gister ad opus ejusdem domus assensum et confirmationem nostri culminis extitit assecutus, et investiverit Jacobum de Amigdala, filium quondam G. junioris filie comitis memorati, secundum consuetudinem regni Jerosolimitani de portione que contingit eum in eisdem bonis pro parte dicte matris sue; dictus Jacobus de nostra licencia et consensu in presencia nostra assecuravit eundem magistrum et domum ejusdem, sicut deberet assecurare pro parte prefate matris sue predictam Beatricem primogenitam comitis memorati, de cujus venditione dicta domus Sancte Marie bona eadem possidebat; et predictus Jacobinus convenit eidem domui restituere illam peccunie quantitatem quam pro redimenda eadem parte, dictum Jacobinum contingente, dudum per quondam Guilelmum de Amigdala patrem ejus obligata, creditoribus suis exolvit. Unde ad securitatem et cautelam predicti magistri et domus ipsius, presens scriptum fieri precepimus sigillo nostro et subscriptis testibus roboratum.

Testes autem qui interfuerunt sunt hii : G. Wernerus (*a*) patriarcha Jerosolimitanus, Jacobus Acconensis episcopus, Balianus dominus Sydonis, Daniel de Tenderemunde, Johannes Pisanus, Goffridus de Williers, Guido de Nubic, et alii quamplures.

Datum apud Sanctum Miniatum per manus Symonis venerabilis Tyrensis archiepiscopi, regni Jerosolimitani cancellarii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense julii, quarte decime indictionis, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerosolime et Sicilie rege, anno imperii ejus sexto et regni Jerosolimitani primo, regni vero Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

---

Apud Orgiam, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, universitatem de Massagrossa in sua speciali protectione recipit, bonasque ejus consue-

(*a*) Sic : at pro isto fictitio nomine legendum *venerabilis*.

tudines confirmat, salvis jure imperii et rationibus quas canonicis Luccensibus exhibere debent.

(Inedit. ex archiv. capit. S. Martini Lucc., banco XII, CC, n° 22, origin.; cui appendent adhuc fila serica flavi coloris, sigillum vero deest.)

Fredericus Dei gratia omanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis hominibus de Massagrossa fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Imperialis excellentie consuevit benignitas devotos et fideles suos clementi favore respicere eorumque jura illibata servare. Cognoscat igitur tam postera etas quam successura posteritas quod nos ad imitationem predecessorum nostrorum divorum augustorum memorie recolende, vos fideles ac devotos nostros universos homines de Massagrossa cum omnibus rebus et personis vestris in specialem majestatis nostre protectionem recipimus, bonasque consuetudines et libertates quas predecessorum nostrorum temporibus usque nunc habuistis, imperiali auctoritate confirmamus, concedentes vobis ut, quemadmodum consuevistis dictorum predecessorum nostrorum temporibus usquemodo, consules inter vos statuatis et habeatis, salvo in omnibus jure imperii et honore, salvis etiam rationibus et justiciis quas canonicis Sancti Martini in Lucca exhibere debetis; honorem quoque et exhibitionem triginta candelorum, cum Tusciam intramus, quam nobis facere tenemini, et insuper fodrum regale imperiali dignitati reservamus, statuentes et districte precipientes ut nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra hanc protectionem nostram in personis vel rebus aliquo modo vos gravare audeat aut molestare presumat vel perturbare hanc nostre auctoritatis concessionem. Quod qui presumpserit indignationem nostram incurret et centum libras auri pro pena componet, medietatem camere nostre et reliquam medietatem vobis passis injuriam soluturus. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presentem paginam inde scribi jussimus sigillo majestatis nostre munitam.

Datum apud Orgiam (1), anno dominice incarnationis millesimo

(1) Locus in Tuscia, non multum Senis distans.

duceutesimo vicesimo sexto, mense augusti, quartedecime iudictionis.

---

In villa Sancti Gemini, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, Tancredo Vesconte de Campilio castrum de Fighina et Balneum illi haereditario jure devoluta jure feodi confirmat.

(Inedit. ap. arch. comm. Senar., ex copia authenticata ann. 1332, *Scritture della Balzana*, n° 18. Tunc temporis extabat originale cum sigillo cereo filis sericis rubeis et croceis appenso.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum uotum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Taucredus Vescoute de Campilio fidelis uoster, ad presentiam nostram accedens, celsitudini uostre humiliter supplicavit quatenus castrum de Fighina et Balneum cum omnibus pertinentiis suis ab ejus progenitoribus ad eum jure hereditario devoluta, sicut iidem progenitores sui de concessione predecessorum uostrorum et imperatoris Frederici avi nostri nec non temporibus patris uostri imperatoris Heurici, dive recordatiouis augustorum, quiete et rationabiliter possiderunt, et idem Taucredus usque ad hec tempora uostra jure successorio noscitur possidere, sibi et heredibus suis confirmare jure feodi de innata gratia dignaremur. Nos igitur attendentes quam fideliter et devote predecessores sui nostris predecessoribus servierint, cousiderantes quoque grata et accepta servitia que predictus Tancredus culmini nostro exhibuit et exhibet incessanter ac in antea tam ipse quam heredes sui gratiora poteruut exhibere, supplicationes suas beuigno prosequentes assensu, predictum castrum de Fighiua et Balueum cum omnibus pertinentiis suis, quemadmodum ad eumdem Tancredum jure hereditario devoluta fueruut et predecessores sui juste et pacifice de coucessione clare memorie predecessorum nostrorum imperatorum et imperatoris Friderici avi nostri uec uon temporibus patris nostri imperatoris

Henrici et idem Tancredus usque ad presentia felicia tempora nostra jure successorio possedisse noscuntur, eidem Tancredo et suis heredibus de nostra gratia jure feodi confirmamus; mandantes et presenti sancientes edicto quatenus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, eumdem Tancredum et heredes suos contra presentis confirmationis nostre paginam molestare presumat. Quod qui presumpserit in vindicta sue temeritatis quinquaginta libras auri se compositurum sciat, medietatem videlicet camere nostre ac reliquam medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus itaque nostre confirmationis memoriam et stabilem firmitatem, presentem divalem paginam fieri fecimus et sigilli nostri robore jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data in villa Sancti Gemini (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, mensis augusti, quartadecima indictione, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, Ierosolimitani primo, regni vero Sicilie anno vicesimo nono, feliciter. Amen.

---

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribit ut fidem adhibeat iis quae ipsi fideliter frater Leonardus proponet. Laterani, 20 augusti.

(Memorat. in indice epistol. Honor. III, in collect. Laporte du Theil ap. Biblioth. Paris.)

Datum Laterani, XIII kalendas septembris, anno XI.

---

Fridericus, Romanorum imperator, Honorio papae conqueritur de conjuratione Lombardorum et eorum qui post concordiam apud Asculi, 29 augusti.

(1) Hodie *San Gemino* juxta Narniam.

Mercariam firmatam, eidem conjurationi adhaeserunt, sibique et imperio graves injurias intulerunt, curiam impediendo Cremonensem; causam vero inter se et Lombardos praedictos ordinationi Papae et cardinalium committit.

(Edider. Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 65. — Raynald., *Annal. ecclesiast.*, tom. I ad ann. 1226, § XXI. — Hennes, *Cod. ord. Theutonic.*, p. 78, n° 71.)

Sanctissimo in Christo patri domino Honorio Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Fredericus eadem gratia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, salutem et reverentiam tam debitam quam devotam. Qualiter nobis pridem euntibus in Lombardiam pro curia celebranda Cremone, specialiter pro negotio Terre Sancte, quidam Lombardi conjurationis illicite, videlicet Mediolani, Placentie, Laude, Vercellarum, Brixie, Mantue, Verone, Tervisii, Padue, Vicentie, Bononie et Faventie civitatum, et ii qui tempore illo quo apud Mercariam per venerabilem patrem Portuensem et Sancte Rufine episcopum, tunc Apostolice Sedis legatum, venerabiles Tyrensem et Mediolanensem archiepiscopos et Brixiensem et Mantuanum episcopos et alios quamplures prelatos, H. venerabilem magistrum domus Sancte Marie Theutonicorum in Hierusalem et Alatrinum capellanum vestrum concordia inter nos et ipsos fuerat ordinata et per ipsos unanimiter acceptata, conjuraverunt cum eisdem, tam salubri negotio se temere opponentes, nobis et imperio graves intulerint injurias et enormes, regi filio nostro et principibus aliis ad eamdem curiam convocatis nequiter interdicentes accessum, beatitudinem vestram credimus bene scire. Scit etiam omnium cognitor secretorum quod postpositis omnibus ad ejus servitium intendentes, ad eam appropinquante termino celebrandam iveramus in spiritu dilectionis et gratie circa omnes, nec habebamus animum aliquem offendendi nec conceperamus aliquod odium contra aliquos propter quod oporteret de nobis merito dubitare, licet quidam de partibus illis nos et imperium graviter offendissent; quorum offensas nolebamus taliter vindicare sicut imperii nostri dignitas exigebat, et ostendebamus etiam in

affectu. Immo pro reverentia Salvatoris cujus negotium intendebamus efficaciter procurare, volebamus inde benigne agere cum eisdem et talia facere que nullatenus fecissemus, nisi causa tam sancta, immo sanctissima nos urgeret. Sed statim quod ivimus, pro pace scandalum et pro benignitate malitiam adeo in eis invenimus quod nec quantum uteremur benigne circa ipsos agere, non potuimus eos ab iniquo proposito revocare. Sicque factum est quod eorum nequitia perdurante tam celebris curia pro re tam digna, immo dignissima constituta debitum non potuit habere processum. In quo quantum ipse Deus cujus negotium agebatur graviter sit offensus, quantum honori sancte Romane Ecclesie nec non et nostro et imperii fuerit derogatum, vestra sanctitas advertere poterit diligenter. Sane, beatissime Pater, licet potuissemus hactenus et possimus tantas et tales injurias vindicare, quia tamen negotium redemptionis quod nostris duximus humeris applicandum postponere nolumus nec debemus et ad executionem ipsius ardenti desiderio aspiramus, ejusdem insuper sequentes exemplum qui mortem pro nobis recipiens temporalem suas sustinuit injurias patienter, quia etiam de benignitate vestra pleniorem fiduciam obtinemus, hujusmodi causam inter nos et Lombardos predictos ordinationi, dispositioni et voluntati vestre ac fratrum vestrorum venerabilium cardinalium duximus libere committendam, scientes nos ratum habituros et firmum quicquid providentia vestra decreverit exinde faciendum.

Datum Asculi, vigesimo nono augusti, quartedecime indictionis.

---

Fridericus, Romanorum imperator, universitati castri Sancti Miniatis et omnibus fidelibus ad eamdem castellaniam pertinentibus mandat ut intendant et respondeant Everardo nepoti Rainaldi ducis Spoleti et imperialis Tusciae legati, nunc castellano Sancti Miniatis constituto. Foggiae, 27 septembris.

(Ediderunt Camici, *Notiz. istor. supplem. de' vicar. imper. di Federigo II*, t. XI, p. 61.— Lami, *Monum. eccles. Florent.*, tom. I, p. 492. Ambo vero errant dum hoc mandatum ad alterum indictionis cyclum, scilicet ad ann. 1242, referant. Quod rerum ordinem omnino turbavit, ut recte monet Boehmerus, *Regest. Freder. II*, p. 137, n° 629.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universitati castri Sancti Miniatis, curie et districtus ejus, Ficecli et vallis Arni, vallis Nevoris et Arriane et Lime et ville Basilice cum pertinentiis suis, necnon et universis ad castellaniam Sancti Miniatis et jurisdictionem ejus pertinentibus, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Quia Rainaldus dux Spoleti et Tuscie legatus, dilectus fidelis noster, constituit castellanum Sancti Miniatis Everardum (a) nepotem suum, fidelem nostrum, universitati vestre mandamus firmiter injungentes quatenus juxta tenorem litterarum ejusdem legati nostri, castellano predicto de omnibus intendatis et respondeatis fideliter et devote.

Datum Fogie, XXVII septembris, XV indictione (1).

[Sequuntur litterae ipsius Rainaldi cum notis chronologicis eisdem, quibus castellanum Sancti Miniatis constituit Eberardum nepotem suum cum justitiis, juribus, rationibus et omnibus imperii honoribus in terris predictis.]

---

Foggiae, 1° octobris.

Fridericus, Romanorum imperator, magistrum Arnoldum [in Alemannia verbum crucis praedicantem] monet quomodo curia Cremonensis a rebellibus Lombardis fuerit impedita, rem autem

(a) In impresso apud Camici, sed male *Gherardum*.

(1) Legitur apud Camici : *dat. Fogie, XVII kal. sept., XV indict.*, scilicet 16 augusti 1227, secundum nostrum computandi modum. Majorem vero fidem Lamio adhibendam putamus qui documenta ex archivio Miniatensi deprompsit. Vide insuper infra p. 686, ipsius Rainaldi mandatum, quod omne prorsus dubium tollit.

ordinationi summi pontificis ipse commiserit; rogatque ut crucesignatos inducat ut veniant tempore indicti passagii generalis.

(Edidit H. Sudendorf, *Merkwürdige urkunden für die Deuts. Gesch.*, erst. Theil, p. 100, n° L, ex diplomatario Hildeshem. manuscr. hactenus inedito; sed minus recte ad ann. 1227 hanc epistolam collocavit.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator augustus, Jherusalem et Sicilie rex, magistro Arnoldo dilecto fideli suo gratiam suam et omne bonum. Quod ex longo tempore ad honorem Dei [et] Redemptoris filii ejus Jhesu Christi Domini nostri assumpserimus solempniter et voluntarie signum crucis, totus orbis terrarum undique plenius jam cognovit; nec ignotum est etiam quod nos cum dispensatione et deliberatione sacrosancte Romane Ecclesie plures prorogavimus terminos in hoc facto ut pacificatis regionibus et provinciis ubicumque potentie nostre ac dignitatis dominium preminet, exercitus Christi quem ad ejus obsequium ducere proponebamus magnifice, per pacem generalem fidelium vires cotidie majores assumeret, et sic nos cum beatitudine pacis in subsidium Terre Sancte transiremus feliciter et in servitio nostro glorificaretur Altissimus et secundum desiderium et votum nostrum proficeremus utilius contra hostes. Unde contigit quod pro reformanda universali pace firmiter et ubique per mundum et pro inducendis fidelibus ad obsequium crucifixi, indiximus curiam generalem Cremone. Ad quam principibus universis imperii et de diversis partibus mundi nobilibus convocatis, appropinquante termino, in spiritu benignitatis et pacis processimus ad eamdem. Et cum prope locum indicte curie jam essemus, Lombardi quidam se opponentes patenter et invidentes potius servitio Dei quam nobis, ne curia celebraretur predicta occasiones invenerunt dissensionis et scandali, et in lubrico erroris hujusmodi voluntarie ultra modum collapsi, contra monitiones freqnentes et patientiam nostram adeo processerunt inique quod carissimus [filius] noster Henricus, rex Romanorum illustris, et multi principes et magnates imperii qui pro devotione speciali et negotio Jhesu Christi in exemplum totius populi christiani ad predictam curiam veniebant, dum ex insperato, resistentibus Lombardis jamdictis, veniendi ad

locum indicte curie memoratis principibus non pateret accessus, redierunt inviti. Nos vero licet post tantam injuriam potuissemus procedere ad vindictam, volentes tamen Christi negotium vindicationi et factis nostris omnino preponere, qui tantas injurias et mortem etiam sustinuit patienter pro nobis, tanquam si nullas sustinuissemus injurias a Lombardis, sine aliqua illorum offensa, ne videremur serio et voluntarie forsitan ipsis et aliis materia esse scandali qui Deum non diligunt nec letantur in servitio sancto ejus, pacifici et mansueti redivimus in regnum nostrum; factum hujusmodi ordinationi, dispositioni ac voluntati sanctissimi in Christo patris nostri summi pontificis et cunctorum sancte Romane Ecclesie cardinalium committentes omnino, et intendentes sollicite super necessariis aliis que negotio expediunt Jhesu Christi, ut termino adveniente passagii, honorifice, sicut decet, ad ejus servitium transeamus. Quapropter discretionem tuam requirimus, ex parte Dei et ex nostra monemus attentius et rogamus quatenus tam crucesignatos quam crucesignandos moneas propensius et diligenter inducas ut ad idem servitium tempore indicti passagii generalis hilariter et festinanter accedant. Nos enim, licet in colloquio quod cum nuntiis sancte Romane Ecclesie cardinalibus apud Sanctum Germanum anno preterito celebravimus, certum numerum militum et pugnatorum aliorum ducere promisissemus nobiscum, pro reverentia tamen Dei et devotione maxima quam habemus ad ipsum, preter promissum numerum cunctis aliis transire volentibus de nostro consilio et auxilio ac passagio etiam taliter succurremus, quod Redemptori nostro pro cujus honore et amore id facimus et cunctis fidelibus valde poterit esse gratum.

Datum Fogie, primo die octobris, XV<sup></sup>

---

Foggiae, octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, Raymundo Berengario comiti Provinciae confirmat comitatum Provinciae et Forcalquerii nec non omnia privilegia a praedecessoribus suis antecessoribus ejus

indulta, ad revocationem ablatorum plenariam ei concedens potestatem.

(Edidit NOEL GAILHARD, *Remontrances de la noblesse de Provence au roi pour la révocation des arrêts de son conseil, preuves*, p. 52 (Aix, 1669, rare), ex copia authentica in registro pergamenorum, fol. 19. — Coll. cum altera copia ap. *Livre d'or de l'archev. d'Arles*, n° 90, in arch. praefect. Massil., maculata vero et quibusdam locis oblitterata.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia imperator Romanorum, semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Romani principis favor extollitur et imperialis gloria dignitate longe lateque rutilat et coruscat, cum ad emeritas et illustres personas beneficia sue liberalitatis extendit et subditis suis ad jura propria conservanda statum eorum munificentie sue donis corroborat et augmentat, presertim quos Romano imperio constat ab avis et proavis fidelissimos extitisse. Ea propter noverit tam presens nostrorum fidelium etas quam futura posteritas quod Raymundus Berengarius comes et marchio Provincie et comes Forcalquerii, dilectus affinis et fidelis noster, per specialem nuntium celsitudini nostre devote et humiliter supplicavit quatenus comitatum et marchionatum Provincie et comitatum Forcalquerii, sicut predecessores sui eorum temporibus possederunt, nec non privilegia predecessorum nostrorum et donationes eorum antecessoribus comitis ejusdem indulcta, prout in eorum privilegiis continetur, de nostra dignaremur gratia confirmare. Nos igitur attendentes devotionem ac fidem sinceram nec non et ardua servitia comitis memorati, que nobis et Romano imperio exhibuit et exhibet incessanter ac in antea poterit exhibere gratiora, de innata nobis liberalitate confirmamus ei et heredibus ejus in perpetuum comitatum et marchionatum Provincie et comitatum Forcalquerii cum pertinentiis suis, quemadmodum parentes et predecessores sui tenuisse et possedisse noscuntur; si que vero de tenimentis et juribus eorumdem comitatuum per dolum aut potentiam alicujus universitatis vel cujuslibet private persone noscuntur fuisse subtracta, ad revocationem ipsorum damus eidem comiti plenariam potestatem. Confirmamus insuper ei et

heredibus ejus omnia privilegia antecessoribns snis a clare memorie Romanorum principibns predecessoribns nostris indulta nec non concessiones et donationes factas antecessoribus suis a predictis predecessoribus nostris infra terminos vel in confinibus predictorum comitatunm, prout in privilegiis concessionum et donationum inde sibi factis plenius continetur. Statuentes et presenti prohibentes edicto qnatenus nullns princeps, dux, marchio, comes, potestas, rector, consul, nullaque publica vel privata persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, eumdem comitem vel heredes ipsius contra presentis confirmationis nostre paginam tnrbare vel molestare presnmat. Quod qui presumpserit penam mille marcharnm argenti se noverit incnrsurum, qnarum medietas curie nostre et reliqua comiti Provincie injuriam patienti solvetnr. Ad hnjus itaqne confirmationis memoriam et robur perpetno valiturum, presens privilegium fieri fecimus et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Testes antem hnjus rei sunt hii Lando Reginensis archiepiscopns, Julianus Mazariensis et Joannes Boianensis (a) episcopi, R. dnx Spoleti, Siffredus comes Viannensis, Riccardus de Principatn imperialis aule marescallus, Riccardns camerarius et plures alii qui interfuernnt.

Signum domini Frederici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense octobris, decime quinte indictionis, imperante domino nostro Frederico invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege, anno ejus Romani imperii sexto, regni vero Ierusalem primo, regni autem Sicilie vicesimo nono, feliciter. Amen.

Datum Fogie, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Foggiae, octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, jurisdictiones, potestates, consulatus, regimina et alia statuta quae in comitatu Provinciae et

(a) In exemplaribus manuscriptis *Baiocensis*, male.

Forcalquerii quaedam civitates contra imperii dignitatem exercent, revocat et cassat, similia de caetero fieri prohibens.

(Edider. Papon, *Histoire de Provence*, t. II, preuves, p. 50, ex archivo Aquensi. — Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 256.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis per comitatum Provincie et Forcalquerii constitutis quibus presentes littere ostense fuerint, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Pervenit nuper ad notitiam nostram quod quorumdam civitatum, villarum et aliorum locorum universitates in comitatibus ipsis degentes proprio motu et voluntate constituerunt jurisdictiones, potestates, consulatus, regimina et alia quedam statuta que ad sue arbitrium voluntatis exercent; et cum jam apud quasdam. . . . . . . . in abusum et pravam consuetudinem inoleruut, allegantibus nonnullis eas que per excessionem (*a*) super his per comitem Provincie et Forcalquerii habuerunt atque assensum. Cum igitur indecens sit et indignum ut ab universitatibus talia presumantur que ledunt Romani imperii dignitatem, et in quibus debite fidelitatis et subjectionis tramitem excedentes, moliuntur sibi partem eorum que ad merum spectant imperium vendicare, nec comites Provincie et Forcalquerii eadem concedere potuerunt, quum (*b*) nostra interest hujusmodi enormitatibus obviare, nos ex imperiali auctoritate tam jurisdictiones, consulatus, regimina, potestates et statuta cetera per universitates civitatum inventa, insuperque (*c*) concessiones super his per comites Provincie et Forcalquerii ab eis obtentas ex certa scientia revocamus et inania esse censemus, similia de cetero fieri prohibentes. Mandamus igitur et presenti statuentes sancimus edicto sub pena. . . . . librarum auri singulis universitatibus injungentes quatenus ab eisdem [que] interdicuntur potestatibus, consulatibus, regiminibus et statutis deinceps omnino cessent, et nulla universitas civitatum, villarum seu locorum ea exercere presumant vel inania similia accep-

(*a*) Verisimiliter legendum : *litteras quas per concessionem.*

(*b*) In impressis *quod,* minus recte.

(*c*) Apud Papon *perque,* minus recte.

tare; transgressoribus si qui fuerint pena imposita puniendis, quam ad comitem Provincie et Forcalquerii devolvi censemus. Ad hujus itaque revocationis memoriam et perpetuam firmitatem, presentem paginam fieri fecimus et bulla aurea tipario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Datum Fogie, anno incarnationis dominice MCCXXVI, mense octobris, XIV (a) indictionis.

---

Foggiae, octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, revocat omnes immunitates, concessiones et alienationes, imperii honori contrarias, factas per Ildefonsum et Raymundum Berengarium filium ejus comites Provinciae, tunc in minori aetate constitutos.

(Inedit. in collect. Peyresc. ap. Biblioth. Carpentor., regest. cui titulus est *Aurenge*, n° I, initio. Pendebat adhuc Peyrescii tempore aurea bulla cum filis sericis, rubri et flavi coloris.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, universis per comitatus Provincie et Forcalquerii constitutis quibus presentes littere ostense fuerint fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Pervenit ad noticiam nostram quod in eisdem comitatibus quedam questiones jurisdictionum que ad nostrum spectant imperium et immunitates nec non alienationes rerum immobilium, pedagiorum et census perpetui quondam per Ildefonsum comitem Provincie, deinde per Raymundum Berengarium filium ejus comitem Provincie et Forcalquerii, in minori etate constitutos, facte sunt et indulte; que predicta omnia honorem Romani imperii et utilitatem ipsorum comitatuum ledunt immodice et evidenter offendunt. Verum quum nostra interest malefacta corrigere ac ea que improvide concessa vel alienata sunt per comites ante-

(a) Sic in duobus. Recte tamen *XV*, ut in praecedenti et sequenti documento.

dictos sicut condecet revocare, omnes easdem concessiones, etc., que ab eisdem comitibus in etate minori existentibus facte fuerunt, ex certa scientia revocamus et per Raymundum Berengarium comitem Provincie et Forcalquerii, affinem et fidelem nostrum, revocari mandamus, et de cetero nullius decernimus esse momenti, universis et singulis vestrum sub pena centum librarum auri, etc., quam ad dictum comitem Provincie et Forcalquerii devolvi censemus, etc.

Data Fogie, anno Domini MCCXXVI, mense octobris, quinta decima indictione.

---

Fridericus, Romanorum imperator, Gerhardo comiti Gelrensi privilegium suum datum apud Ferentinum (martio 1223) de translatione thelonei ejus apud Arnheim ad villam Lobith, renovat et confirmat, firmiterque sub poena indignationis suae praecipit ne quis eumdem comitem in percipiendo theloneo impedire praesumat. Foggiae, octobri.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 136, n° 616, ex copia in codice seculi XV apud Arnheim, a Bethmanno communicata.)

Testes hujus rei sunt . . . Reginus archiepiscopus, Rainaldus dux Spoleti, S. comes de Vienna, etc.

Datum Fogie, anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense octobris, indictione XV. . . . . . . . . . .

---

Rainaldus, dux Spoleti et totius Tusciae legatus, universis per Tusciam constitutis notum facit se, cum ad praesens ad negotia Tusciae peragenda personaliter adesse nequeat, Eberardo castellano Sancti Miniatis nepoti suo vicariam Tusciae generalem et specialem commisisse Romae, 2 novembris.

(Edider. CAMICI, *Notiz. istor. suppl. de' vicar. imper.*, t. XI, p. 62.—LAMI, *Monument. eccles. Florent.*, t. I, p. 493. Ambo tamen erronee ad ann. 1242 se referunt, quum tunc temporis dux Spoleti nullo modo Tusciae legatus fuerit. Vide supra, p. 678.)

Rainaldus Dei gratia dux Spoleti et totius Tuscie legatus, universis per Tusciam constitutis imperii fidelibus, dilectis amicis suis, salutem et sincerum dilectionis affectum. Cum pro arduis domini nostri imperatoris negotiis ad peragenda negotia Tuscie nequeamus personaliter ad presens adesse, confidentes de prudentia et discretione nobilis viri domini Averardi castellani Sancti Miniatis, dilecti nepotis nostri, ac de ipsius circumspectione indubitatam gerentes fiduciam, ubique per Tusciam super imperii negotiis tractandis et faciendis, sibi vicem et auctoritatem nostram plenius duximus committendam et ipsum vicarium nostrum generalem et specialem super predictis omnibus constituimus exercendis, ratum et firmum habentes quicquid exinde duxerit faciendum. Quare universitati vestre auctoritate imperiali qua fungimur sub debito fidelitatis qua imperio tenemini districte precipiendo mandamus quatenus ei tanquam vicario nostro de omnibus que ad imperium pertinent obedire plenius et intendere debeatis; ita quod apud dominum nostrum imperatorem devotionem vestram commendare possimus, et vobis generaliter et specialiter grata respondere vicissitudine teneamur. Pro certo scientes quod quicquid ipse fecerit vel imposuerit tam in penis et bandis (*sic*) quam super ceteris aliis, tanquam a persona nostra factum et compositum atque gestum reputabimus et firmum habebimus.

Datum Rome, secundo novembris, XV indictione.

---

Altelis, 8 novembris. Thomas comes Sabaudiae, vicarius in Lombardia Friderici Romanorum imperatoris, Ugolino Donedamae potestati Massiliae promissionem solemniter jurat de jurisdictione ordinaria et mero

imperio eidem communi concedendis, atque de diversis libertatibus ibidem expressis, addens quod privilegium in hac forma ab imperatore Friderico confirmari faciet et bannum imperiale relaxari.

(Edit. ap. Méry et Guindon, *Hist. analyt. de la municipalité de Marseille*, t. I, p. 318 et seqq. — Amplius vero ap. Guichenon, *Hist. généal. de la maison de Savoie*, preuves, p. 54; et ap. Dumont, *Corps diplom.*, t. I, p. 164.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Ego Tomas comes Sabaudie, vicarius in Lombardia domini Federici per Dei gratiam Romanorum imperatoris et regis Sicilie et Surie, promitto tibi Ugolino Donedame potestati Massilie nomine communis Massilie et pro eo stipulanti et recipienti, si dominus imperator commiserit mihi partes suas in sopienda discordia ipsius imperatoris et communis Massilie, et in concedendo privilegio dicto communi Massilie, quod ex tunc infra tres menses nisi fuerit prorogatum tempus vel nisi remaneret de voluntate communis Massilie, dabo et concedam nomine dicti imperatoris et tanquam vicarius ejusdem privilegium dicto communi Massilie aut alicui certe persone nomine dicti communis recipienti et pro eo, in modum infra scriptum: scilicet quod dabo et concedam communi Massilie jurisdictionem ordinariam et merum imperium in tota civitate Massilie et ejus burgis et hominibus eorumdem, tam in villa superiori Massilie que dicitur episcopalis et canonicalis quam in villa inferiori Massilie que dicta fuit vicecomitalis, sicut circuitur muris et vallatis a portu Porte Gallice usque ad portam Calade et a porta Calade usque ad Sanctum Johannem et ab ecclesia Sancti Johannis usque ad dictum portum Porte Gallice; dando etiam et concedendo ipsi communi Massilie quod ei liceat facere consules aut potestatem aut alios rectores, prout sibi placuerit in civitate Massilie et ejus hominibus, sicut supradicta civitas terminata est, et quod liceat dicto communi dictam civitatem Massilie supra distinctam muris et vallatis et turribus vel aliter munire ad ipsius communis voluntatem, et quod liceat dicto communi facere seu condere monetam publicam, legalem et licitam, aeream aut argenteam aut auream, prout dicto communi placuerit, salvo jure et ratione comitis Provincie; et quod dabo et concedam dicto communi Massilie mare et ripam maris et portus et insulas

a portu Aquarum Mortuarum usque ad portum Olivelli, et quod liceat in eis dicto communi edificare aut construere castra et alia edificia et usatica ibi habere seu facere, congruo tamen modo, ad ipsius communis voluntatem, et quod liceat dicto communi vel illi qui preerit dicto communi exercere jurisdictionem ordinariam et merum imperium in toto episcopatu Massilie et in toto districtu civitatis Massilie quod nunc habet dicta civitas et Deo propitio in antea acquisierit; et quod dabo et concedam dicto communi Massilie et hominibus ejus districtus immunitatem exactionum et toltarum et franchesiam in toto regno Surie et specialiter in Achone et in toto regno Sicilie et Apulie, eo modo et ea forma quo sunt immunes et franchi et esse consueverunt de facto aut de jure Pisani aut Januenses; et quod dicto communi Massilie liceat habere consulatum et exercere jurisdictionem in dictis regnis in homines Massilie et ejus districtus. Promittens etiam ego dictus Tomas comes Sabaudie tibi dicto Ugolino potestati Massilie, recipienti et stipulanti nomine dicti communis Massilie et pro eo vel alii pro eo, quod dominus Federicus imperator post concessionem dicti privilegii a me factam in dicta forma dicto communi, illud idem privilegium corroborabit et laudabit et confirmabit et bullari sigillo suo bulla aurea faciet, recipiendo idem imperator in sua protectione tam in mari quam in terra omnes homines Massilie et ejus districtus in rebus et in personis, eximendo idem imperator ab omni banno imperiali commisso aut hinc retro dato dictum commune Massilie et ejus homines et districtus et civitatem Massilie; quod liberabit idem imperator aut alius pro eo e vinculo carcerum libere et quiete, nullo obstaculo mediante, Petrum de Sancto Jacobo et Guillelmum Vivaldum Toselum. Confitens etiam et recognoscens ego dictus Tomas comes Sabaudie quod predicta omnia debeo complere et facere ad effectum pervenire, pro fidelitate quam debet facere commune Massilie dicto domino imperatori et pro duabus millibus marchis argenti quas solvendo inde debeo recipere a communi Massilie, et etiam si visum fuerit dicto Ugolino et Gratapalie; cum nobis (*sic*) inde data sit potestas tam a parte communis Massilie quam a me quod pro predictis omnibus attendendis et complendis ultra dictas duo millia marchas possim et debeam habere a dicto communi Massilie usque ad summam mille marcha-

rum argenti tantum. Et quod predicta omnia et singula attendantur et compleantur bona fide et sine fraude in perpetuum dicto communi Massilie, tactis a me corporaliter sacrosanctis evangeliis, juro ego Tomas comes Sabandie et mei sigilli munimine hanc cartam publicam corroborari jubeo; et nos Henricus de Carreto marchio et Amedens filius dicti Tomasii comitis Sabaudie et Gratapalia in animabus nostris et dicti comitis Sabaudie, tactis a nobis sacrosanctis evangeliis, quod predicta omnia et singula attendantur et compleantur dicto communi juramus. Et est sciendum quod nuntii domini comitis qui Deo auctore debebunt ire ad confirmationem dicti privilegii faciendam coram dicto domino imperatore, ibunt ad expensas communis Massilie, eundo, redeundo et stando in eodem itinere. Preterea sciendum est quod dictus dominus comes non est obligatus neque tenetur communi Massilie deliberare predictos, scilicet Petrum de Sancto Jacobo et Guillelmum Vivaldum Toselum, si in ipsius comitis pervenerint potestatem, si dictus imperator nollet confirmare dictum privilegium et predicta omnia. Preterea sciendum est quod deliberatis predictis Petro de Sancto Jacobo et Guillelmo Vivaldo Toselo a vinculo carcerum, debent expediri libere et quiete a carceribus per commune Massilie Rolandus Lupus et Albertonus de Phariseis, qui detinentur capti a communi Massilie.

Actum in civitate Albdiga (1), anno nativitatis Domini MCCXXVI, indictione XIV^a^, die VIII^a^ mensis novembris. Testes Æglerius de Martenascho civis Albensis, Anselmus Ferri de Massilia, Bertrandus Sardus, Petrus Vetulus, Martinus Castanea Amator, Guillelmus de Rivotorio civis Placentie. Et ego Guillelmus Marrazanus, notarius sacri palatii, rogatus hanc cartulam scripsi et his omnibus interfui.

---

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Sancti Emmerami apud Ratisponam, cum omnibus possessionibus ejus, in specialem suam recipit protectionem. Foggiae, novembri.

(1) Verisimiliter *Albenga*, in ripa maritima Januensis sinus. Legitur ap. Méry *Albelis*, forsitan *Albenis*, *Albens* in Sabaudia.

(Edit. in *libro Probationum Sancti Emmerami*, 162, num. 64, et in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 142, num. DCLXXVIII, ex originali, unde sigillum in omni ora laesum appendet ex filis sericis flavi et nunc fusci coloris.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris imperii, tam presentibus quam futuris, quod nos ob reverentiam regis regum per quem feliciter vivimus et regnamus, ad imitationem quoque imperatoris Henrici quondam patris nostri recolende memorie, venerabilem abbatem monasterii Sancti Heimeramii et fratres ejus ibidem Altissimo famulantes cum omnibus possessionibus et bonis suis mobilibus et stabilibus que juste tenent et possident et in antea prestante Domino justo titulo poterunt adhipisci, sub speciali protectione et defensione nostre recipimus majestatis. Auctoritate presentis scripti sub pena gratie nostre precipientes firmiter universis quatinus nullus sit tam ausus, qui predictum abbatem, monasterium et fratres ejus, contra hujus nostre protectionis tenorem, in personis vel possessionibus et bonis suis que juste tenent et possident et in antea justo titulo poterunt adhipisci, temere molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque protectionis et defensionis nostre memoriam et robur de cetero valiturum, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Fogie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense novembris, quintedecime indictionis.

---

[Foggiae], novembri. Fridericus, Romanorum imperator, mandat abbatem et conventum Sanctae Mariae de Stella Florensis ordinis, Amalphitanae dioecesis, debere gaudere omnibus privilegiis, immunitatibus et libertatibus quas ordo Florensis tempore imperatoris Henrici patris sui habere consuevit. Suscipit insuper monasterium in sua protectione eique confirmat bona quaedam apud Majorum.

(Memorat. ap. UGHELLI, *Ital. sacr.*, t. VII, p. 219, ex tabular. eccles. Amalph.)

Datum . . . . . ., anno Domini MCCXXVI, mense novembris, indictione XV (1).

---

Fridericus, Romanorum imperator, Honorium papam rogat ut negotium Lombardorum, quod quasi importabile recusavit, humeris sustineat, promittens a se ratum habendum quidquid in hac re pro honore imperii et Ecclesiae fuerit ordinatum; nuntiatque se Tyrensem et Reginum archiepiscopos magistrumque Theutonicorum ad curiam Romanam mittere, quibus fidem plenam adhibere debeat. Foggiae, 17 novembris.

(Edider. RAYNALD., *Annal. ecclesiast.*, tom. I ad ann. 1226, § XXXIII, e regest. Honor., lib. XI, epist. 430. — HENNES, *Cod. ordin. Theuton.*, p. 79, n° 72.)

Sanctissimo patri domino Honorio, etc., Fredericus, etc. Placuit beatitudini vestre super reconciliatione Lombardorum mediante vestra providentia facienda per venerabilem Tyrensem archiepiscopum, regni Hierosolymitani cancellarium, et fratrem Hermannum magistrum domus Hospitalis Theutonicorum, dilectos familiares et fideles nostros, noviter respondere nobis, videlicet quod visum erat apostolatui vestro et vestris fratribus universis imposuisse nos importabile onus vobis, eo quod ita recipiebatis super vos et sacrosanctam Romanam Ecclesiam specialiter factum istud. Et quoniam dubium videri posset aliquibus ut quod modo promittimus processu temporis forsitan irritare vellemus, testimonium

---

(1) Apud Ughellium *indictione* 5, omisso in typis ut arbitramur numero 1. Quum tamen ecclesia Sanctae Mariae de Stella circa annum 1233 ordini Florensi unita fuisse videatur, ut ex litteris Gregorii noni patet (cf. *Ibid.*, p. 219, 220), chronologicas hujus privilegii notas dubias habemus. Melius enim conveniret anno 1232; quo tempore, et ipso etiam mense novembri, aliud eidem ecclesiae privilegium a Friderico concessum invenimus.

super hoc invocamus illius qui rimatur secreta cordium, qui novit omnia antequam fiant, quod in fidei puritate hoc facimus et istud vobis commisimus in vera rectitudine cordis nostri. Et cum circa honorem nostrum sancta mater Ecclesia sollicita semper fuerit, sicut novimus, tanto nobis debet esse nunc efficax in hoc facto quanto specialius videmur id facere propter Deum. Unde sicut jam fecimus et litere nostre protestantur quas misimus, iterato vobis cum omni fiducia committimus factum istud, beatitudinem vestram de qua fiduciam specialem habemus attente rogantes quatenus super facto ipso quod jam utiliter assumpsistis firmiter et securiter procedentes cum Deo, illud inde facere, statuere ac ordinare velitis quod ad honorem Dei et sancte Romane Ecclesie, imperii atque nostrum valeat redundare, et servitium Terre Sancte quod teste Deo ex nimia devotione et affectione cordis diligenter preponimus omnibus factis nostris, in injuriam Christi et christiani nominis ignominiam propter hoc nequeat impediri; quoniam quidquid statueritis de reconciliatione predicta ratum et gratum habebimus et juxta providentiam et ordinationem vestram confirmationis litteras et scripta exinde faciemus, ita ut nunquam pia mater Ecclesia assumpsisse super se peniteat onus istud, sed pro nobis potius tanquam pro speciali filio, si necesse fuerit, majora facere teneatur. Si vero ubi humiliando nos propter Deum arbitrio et voluntati ac ordinationi vestre commisimus factum istud, Lombardi forsitan, quod non credimus, ordinationi vestre parere noluerint, suppliciter rogamus et petimus ut Deum et patientiam nostram habentes pre oculis quod vestrum est exinde facere debeatis. Ceterum quidquid super hoc et aliis predictus Tyrensis regni Hierosolymitani cancellarius et L. Reginus archiepiscopus ac memoratus magister, dilecti familiares et fideles nostri, exponent vobis oretenus ex parte nostra, illam fiduciam verbis et dictis eorum adhibeatis si placet, ita ois firmiter et secure credatis, tanquam si prolata hec ab ore nostro personaliter audiretis.

Datum Fogie, XVII die novembris, XV indictione.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori roganti ut ea quae quondam Raymundus comes Tolosanus ab imperio tenuit, ipsi restituantur, respondet se Romano Sancti Angeli diacono cardinali, in his partibus apostolicae Sedis legato, dedisse in mandatis quod jura imperii servarentur illaesa et terrae per episcopos custodirentur diligenter, donec, inquisitione a legato facta, restitutio sine incommodo fieri possit. Laterani, 22 novembris.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.*, tom. I ad ann. 1226, § XXXI, e regest. Honor., lib. XI, epist. 385.)

Honorius, etc., Frederico, etc. Tue sublimitatis sollicitudo non improbe postulavit ut civitates, castra et alia loca ad imperium pertinentia in partibus Provincie ac regni Arelatensis, et nominatim ea que quondam Raymundus comes Tolosanus tenuit ab imperio, tibi, sive ad dilecti filii nostri R. Sancti Augeli diaconi cardinalis apostolice Sedis legati sive ad cujuscumque alterius manus, occasione exercitus facti ob extirpandam de partibus illis pravitatem hereticam, devenerunt seu adhuc forte devenient, restitui faceremus. Noverit itaque tua serenitas nos qui tua et imperii jura minui nolumus, sed augeri, viva voce dixisse cardinali predicto, dum esset in nostra presentia constitutus, ac postmodum eidem litteris apostolicis mandavisse (1) quod volebamus terram illam sic heretica pravitate purgari ut jura imperii servarentur illesa. Licet igitur tua petitio a nostro proposito non discordet, restitutionem tamen hujusmodi providemus differendam, donec que terre ad imperium in partibus illis pertineant ac totius negotii circumstantie per relationem ipsius legati plenius innotescant. Ipsi autem cardinali ad presens per scripta nostra mandavimus ut terras ad ipsum imperium pertinentes in sua et Ecclesie potestate retineat,

(1) Extant hae pontificales litterae in eodem regesti libro, sub n° 271.

faciendo eas per episcopos et alios ecclesiarum prelatos cum diligentia custodiri; qui terras easdem salvo jure tuo custodiant, tua in ipsis et imperii fidelitate servata, ut cum ex insinuatione legati jamdicti nobis de predictis constiterit, jura tua nuntiis vel ordinatis tuis sine periculo pacis et fidei restitui faciamus. Imperialis igitur circumspectio dilationem hujusmodi sustineat patienter, necessariam negotio pacis et fidei que cum in partibus illis nunc quasi de novo plantetur, eradicari posset levis turbationis impulsu : quod ne accidat tua debet optare devotio et nostre sollicitudinis instantia precavere, etc.

Datum Laterani, X kalendas decembris, [pontificatus nostri anno XI.]

[Scriptum est de eodem argumento ad Romanum S. Angeli diaconum cardinalem; quae litterae extant in eodem regesto, sub n° 386.]

---

Foggiae, 26 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Petro de Ebulo mandat ut capitula inter se et magistrum Hospitalis (Sancti Johannis) in Jerusalem per summum Pontificem ordinata exequatur, et quicquid frater Cubaldus Rodianus nomine dicti magistri rogaverit, observet et ab omnibus officialibus curiae faciat observari.

(Edider. LUNIG, *Cod. Ital. diplomat.*, t. II, p. 1650. — MARULLI, *Vite de' gran maestri della S. Relig. Gierosol.*, p. 150 et 159; qui quidem Italicam quoque versionem exhibens, asserit originale quondam fuisse inter scripturas Reg. Joann. Fr. d'Aponte.)

Federico II imperadore, etc., Pietro conte d'Evoli (1) nostro fedel diletto. Con le presenti lettere alla fedeltà tua volemo che sia noto come il santissimo in Christo padre e signore il sommo Pontefice per la ricupera-

(1) Nusquam tamen istum titulo comitis exornatum invenimus, cum hoc anno et praecedente apud Riccardum de Sancto Germano simpliciter appelletur *Petrus dominus Ebuli*. Vide infra p. 697.

tione di Terra Santa ha stabilito alcuni capitoli tra la serenita nostra e il maestro della casa dell' hospedale di Giernsalem (1), quali furono publicati per fra Cubaldo Rodiano (a). Onde confidati nella tua industria e diligenza, te in tutto e per tutto destinamo commissario sopra la speditione ed osservanza de' predetti capitoli. Per la qual causa alla tua devozione raccommandamo, per qnanto amore porti alla persona nostra, che a nostro peso tutto qnello che detto fra Cubaldo dimandera in nome del predetto maestro della casa dell' Hospedale, per quanto a te spetta concedigli et onninamente osservagli e fagli da qualsivoglia officiale della curia, tanto secreti quanto vicesecreti, castellani, etc., inviolabilmente osservare. Che se da te o altri il contrario si facesse, si verrebbe contro li trasgressori all' esecutione della pena debita.

Data in Foggia a XXVI di novembre MCCXXVI.

*Latinam restitutionem addimus:*

Fridericus [Romanorum] imperator, etc., Petro comiti de Ebulo, dilecto fideli suo, etc. Presentibus litteris fidelitati tuae volumus esse notum qualiter sanctissimus in Christo pater et dominus summus Pontifex pro recuperatione Terrae Sanctae quaedam ordinavit capitula inter serenitatem nostram et magistrum domus Hospitalis in Hierusalem, quae per fratrem Cubaldum Rodianum fuerunt publicata. Unde de tua industria et diligentia confisi, te in omnibus et per omnia destinandum duximus super predictorum capitulorum expeditionem et observantiam. Quapropter devotioni tuae mandamus, sicut amorem habes erga personam nostram, quatinus consideratione nostra quidquid praedictus frater Cubaldus nomine praedicti magistri domus Hospitalis rogaverit, in quantum ad te spectat ei concedas et omnino observes faciasque a quolibet officiali curiae nostrae, tam secretis quam vicesecretis, castellanis, etc., inviolabiliter observari. Sin autem per te vel per alios fieret in contrarium, contra transgressores hujusmodi ad executionem poenae debitae veniremus.

Datum Fogie, XXVI novembris, [anno] MCCXXVI.

(a) Sive *Rodioso*, ut monet Marulli.

(1) Scilicet Guarinus de Monteacuto, *Guérin de Montaigu.*

---

Foggiae, 3 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, universis officialibus per regnum Siciliae constitutis inhibet ne monasterium Sanctae Mariae Montis Virginis in liberis plateaticis et pascuis pro omnibus animalibus obedientiarum ejus, contra tenorem privilegiorum a se eidem monasterio indultorum, in aliquo molestare audeant.

(Inedit. ex archiv. monast. Mont. Virg., origin. in pergam., vol. VIII, n° 65. Transumptum invenitur, sed minus correcte, in quodam instrumento ann. 1239 (1240), mense januario, XIII indict., quo Johannes de Castromari, Avellini judex, ad requisitionem Johannis abbatis Montis Virginis idem mandatum redigi jubet in scripturam publicam per Salernum, publicum Avellini notarium. Origin. ibid., n° 75.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, comitibus, baronibus, justitiariis, camerariis, militibus, bajulis, curatoribus et universis per regnum Sicilie constitutis quibus presentes lictere ostense fuerint tam presentibus quam futuris, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Grave gerimus et molestum quod cum venerabili monasterio Sancte Marie Montis Virginis libera plateatica et pascua pro omnibus animalibus suis obedienciarum, locorum, pastorum, hominum et vassallorum suorum sint a divo augusto patre nostro et a nobis pia liberalitate concessa, sicut in privilegiis exinde a nostra majestate indultis plenius continetur, vos contra tenorem ipsorum privilegiorum et concessiones nostras, sicut venerabilis abbatis et conventus ejusdem monasterii fidelium nostrorum nobis querimonia patefecit, fratres et procuratores dicti monasterii obedientiarum et locorum suorum, pastores, homines et vassallos suos sepius in predictis contumaciter molestatis. Quod utique, si verum est, tanto grave ferimus et indignum quanto contra privilegia et concessiones nostras venire temere attemptatis. Quare fidelitati vestre mandamus firmiter preci-

pientes quatinus sic ab omnibus molestiis predictorum, tam super plateaticis et pascuis liberis eorumdem quam et aliis omnibus libertatibus que in eorum privilegiis continentur, de cetero desistatis, quod ad nos justus clamor eorum occasione hujusmodi non recurrat; scituri pro certo quod si privilegiorum et mandatorum nostrorum inveniamini de cetero transgressores, pena docente scietis quam temerarium sit privilegiis et preceptis imperialibus obviare.

Datum Fogie, tercio decembris, XV indictione.

---

Fridericus, Romanorum imperator, Stephano abbati Cassinensi post inquisitionem factam jura et rationes confirmat, scilicet de procurationibus secundum antiquum morem ab ipso abbate et officiatis suis colligendis. Foggiae, [decembri.]

(Edit. ap. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.* 1226, ex editione quam emendatius exhibuit Gattola, *ad Hist. Cassin. access.*, pars II$^a$, p. 787.)

Fredericus, etc., Stephano venerabili Cassinensi, abbati fideli suo, etc. Fidelitati tue presentibus volumus esse notum quod ad supplicationem tuam quam per judicem Petrum de Sancto Germano fidelem nostrum nostro culmini porrexisti, petitiones tuas clementer admisimus, super eo videlicet quod antiqua jura et rationes quibus tempore regis Guillelmi recolende memorie tuum monasterium est provisum, tibi et ipsi monasterio conservare de nostra gratia dignaremur. Verum quia de ipsis juribus et rationibus non constabat, per Petrum de Ebulo et Nicolaum de Cicala justitiarios Terre Laboris (1) inquisitionem fieri fecimus diligentem. Qua

(1) Hoc anno, verisimiliter in septembri : « Nicolaus de Cicala et Petrus dominus Ebuli » cedunt officio justitiariatus, et Roggerius de Galluccio et Marius Rapistrus de Neapoli sub» stituuntur eisdem. » Ricc. de S. Germ., *ibidem*.

clementer inspecta et per judices curie nostre diligenti provisione discussa, capitula que inferius continentur, sic[ut] legitime sunt probata, videlicet : quod tempore regis Guillelmi secundi, dum ipse rex causa orationis venisset ad monasterium Cassinense et . . . . . . . . . . . procuratio, pro ipso domino rege Petrus de Insula tunc Cassinensis abbas fecit colligi collectam per totam abbatiam per ordinatos bajulos suos, et ipse procuravit eum. Item quod cum aliquis condemnabatur in mercede curie regis, justitiarii faciebant de persona velle suum, terra remanebat ecclesie et omnia bona sua recipiebat monasterium Cassinense, et si persona que erat condemnata volebat se redimere, licebat ei vendere de rebus suis. Item quod cum imperator Henricus mandasset redemptionem colligi per totum regnum, abbas fecit colligi partem contingentem ipsam abbatiam. Item quod procuratio que prestabatur regi Guillelmo per abbatem fiebat et ministri abbatis colligebant per terram monasterii procurationem ipsam, et bajuli regis nunquam visi sunt ibi ad hoc. Item quod si quando aliqua servitia injungebantur a domino rege abbati vel etiam hominibus abbatie, quod expediebantur per abbatem, monachos et ministros ejus. Item quod si que injungebantur abbatie, expediebantur per abbatem et per homines suos. Item quod quando rex misit stolium in Romaniam, abbas Cassinensis dedit milites domino regi et ipse collegit per abbatiam solidos, tibi et monasterio tuo duximus confirmanda. Quare mandamus fidelitati tue quatenus dictis juribus et rationibus per te et officiatos tuos uti debeas, sicut per inquisitionem ipsam legitime sunt probata.

Datum Fogie, etc. (1).

---

(1) Notae autem chronologicae ex Riccardo de S. Germano exhibentur, hoc loco : « Imperator mense decembris cum imperatrice consorte sua in Siciliam transfretat, et tunc Stephano abbati Cassinensi has indulgentiae litteras mittit. » Henricus de Morra, magister justitiarius, in regno cum auctoritate imperiali relictus est, et tunc temporis plurima statuta tranquillitati publicae perutilia edidit. Cf. RICC. DE S. GERM., *Chronic.*, ad calcem anni 1226.

Fridericus, Romanorum imperator, fratres Sepulchri Dominici apud Denkendorf et ecclesiam ipsam cum omnibus appenditiis et rebus in sua speciali protectione recipit.

Apud Tres Sanctos, decembri.

(Edid. Besold, *Docum. rediv. monast. Wirtemb.*, t. 1, p. 282.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes honestam vitam et religionem laudabilem venerabilium fratrum, in ecclesia Denckendorf Dominici Sepulcri eidem Domino laudabiliter famulantium, fidelium nostrorum, considerantes etiam zelum pie observantie regularis qua predicti fratres florere noscuntur necnon et devotionem sinceram quam ad nostram habere celsitudinem irrefragabiliter dignoscuntur, intuitu quoque Salvatoris nostri Jhesu Christi ob cujus gloriam nominis sacra ecclesia nuncupatur, jamdictos fratres et ecclesiam ipsam cum omnibus appenditiis suis, agris, cultis et incultis, pratis, pascuis, et cum omnibus aliis rebus que ipsi ecclesie pie collate sunt aut in posterum justa largitione seu oblatione fidelium conferentur, in nostram et imperii protectionem recepimus specialem, et eos speciali volumus nostri patrocinii gratia confoveri. Mandamus igitur et districte precipimus universis quatenus nullus de cetero sit tam ausus qui predictos fratres et jam dictam ecclesiam in personis, possessionibus, domibus et vineis suis in Denckendorf ac supradictis omnibus aliis bonis suis contra hujus protectionis et gratie nostre favorem temere molestare seu modo quolibet inquietare presumat. Quod qui presumpserit indignationem culminis nostri se noverit graviter incursurum. Ut autem hec nostra protectio et specialis nostre gratia majestatis rata semper et inconvulsa permaneat, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Julianus venerabilis Mazariensis et Johannes

venerabilis Boianensis episcopi, Riccardus de Principatu marescalcus, frater G. de Merern dapifer, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense decembri, quintedecime indictionis.

Datum apud Tres Sanctos, anno, mense et indictione prescriptis.

---

Procidae (Procinae), decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem episcopi Asculani, decimas camporum suorum Asculi et Candelae ac decimam bajulationum earumdem terrarum ei et ecclesiae ejus confirmat, aliaque jura eidem ecclesiae concessa summarie in isto privilegio inserit.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. VIII, p. 226. — Confirmatum et insertum a Carolo I Andegav. in privilegio dat. Neapoli, 10 febr. 1280, VIII indict.)

Fredericus Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod veniens coram nobis venerabilis episcopus Asculanus, fidelis et familiaris noster, majestati nostre humiliter supplicavit quatenus decimas camporum nostrorum Asculi et Candele ac decimam bajulationum earumdem terrarum, secundum quod tempore regis Gulielmi II consobrini nostri felicis memorie predecessoribus suis dari consueverunt, sibi et sue ecclesie mandaremus misericorditer exhiberi, tam pro anno ipso presenti quam etiam pro temporibus ceteris in futurum, ac etiam solita clementia inde sibi privilegium edere dignaremur; petens nihilominus inseri in eodem alia jura sue ecclesie concessa et confirmata alias ex privilegiis dicti regis. Verum cum nos primo super premissis decimis per episcopum Joannem de Monte fidelem nostrum preceperimus diligenter inquiri si predicte decime tam camporum quam bajulationum prefato episcopo et predecessoribus suis solverentur supradicto tempore, [et] nobis plene constiterit ex ipsius inquisitione quod

prefate decime tam camporum quam bajulationnm episcopo Asculano solvebantur, nos vero piis ejns precibus annuentes decimas tam de predictis campis qui snnt Asculi et Caudele quam de bajulationibus earumdem terrarum ex nunc in antea, remota omni objectione vel occasione, integre ad ipsius episcopi requisitionem vel nuncii ejus seu successorum pro parte ecclesie Asculaue sine mora qualibet precepimus exhiberi; nec volumus iu ulterius aliam probationem ab eo vel successore suo seu inquisitionem fieri aut mandatum aliud expectari; ex quo nobis plene constat quod tempore dive auguste matris nostre imperatricis Constantie abinde usque nunc in pacifica possessione fuerunt perceptionis ipsarum, dum tantummodo quandocumqne privilegium nostrum vel progenitorum nostrorum ostenderint. Illud idem de decimis baronum et militum et quorumcumque in predictis terris et territoriis laborantium ad petitionem vel conquestionem ipsius vel successorum precipimus firmiter observari; pena dupli, scilicet dum simplum de sua solvat, imposita tam officialibus quam baronibus et aliis supradictis, si decimas ipsas subtrahant vel negaverint; et si propter hoc ad superiorem recursum habuerint ipse vel nuncius ejus pro parte Asculane ecclesie, et justitiam negaverint aut detrectaverint, puniantur tanquam in officio delinquentes in causis aliis fidelium privatorum. Preterea quedam alia ipsius ecclesie jura concessa et confirmata ex ejusdem regis privilegiis de gratia speciali in hujus nostri privilegii serie summarie duximus inserenda. Volumus itaque et mandamus ut super temporali jurisdictione quam ecclesia Asculana obtinet super judaica, ut nobis constitit ex concessione prefati regis, et in clericos et judeos Asculi et Candeli super redditibus, plateaticis vulgariter appellatis, qui provenerunt ex venditione eorum que venduntur a clericis undecumque habeant et a judeis undecumque sint, nullus predictam ecclesiam aliquo modo molestare presumat. Amplius jubemus ut super adulterio et aliis criminibus ad jus ecclesiasticum pertinentibus, ad corrigenda et coercenda teneantur magistri jurati et bajuli requisiti pro viribus dare auxilium et favorem per totam diocesim Asculanam. Postremo probibemus districte ne quis prefato episcopo vel ei qui fuerit successor, predicte ecclesie nomine presidenti, molestiam inferat ullo modo contra

nostre hujusmodi concessionis et confirmationis tenorem, super aliqua premissorum vel etiam subscriptorum, videlicet super territorio sito in pertinentiis Asculi juxta casale Corneti, per privilegium supradicti regis distincto suis finibus et conservato olim Goffredo Asculano episcopo, quod quidem territorium ecclesia Asculana ibidem habuit et possidet ab antiquo tempore cujus non extat mentio. Illud de domo precipimus quam habet et possidet in platea Corneti, ante quam domum liceat habere et tenere plancam portatilem ad vendendum mercimonia et tenere fenestram apertam, sicut nobis constat olim fuisse sententialiter diffinitum, ulla eidem ecclesie detentione, interruptione, prescriptione diutina vel cujuscunque temporis si qua intervenerit non obstante, necnon privilegio aliquo cujuscunque predecessoris nostri donationem factam alicui continente; quod contra predictam ecclesiam Asculanam volumus non valere, sed cassum et inutile perpetuo haberi quidquid presumptum fuerit contra aliquod premissorum, similiter et de vinea et de quibuscumque personis stabilibus suis in territorio antedicto. Quod qui molestare presumpserit, indignationem nostre celsitudinis se noverit incursurum et penam ducentarum unciarum auri, medietatem ejus nobis nostroque cuilibet successori et aliam medietatem sancte Romane Ecclesie, si clericus fuerit inferens, exsolvendam; et si laicus fuerit, predicte ecclesie vel ejus episcopo ipsius nomine exsolvatur. Quam quicumque presul fuerit, auctoritate propria pro tempore, sine requisitione nostra vel judicis alicujus cujus de predictis cognitio pertineret, capere posset et ad ejus arbitrium retinere et facere velle suum sine appellatione, defensa, exceptione seu supplicatione a quocumque opposita non obstante. Ad hujus autem rei memoriam et Asculane ecclesie in futurum perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo nostre majestatis jussimus communiri.

Datum Procide (1), anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense decembris, XV indictionis.

---

(1) Sic; rectius tamen ex itineris serie legendum *Procine* seu *Precine*. Vid. supra p. 283 et not. 2.

## ANNO 1227. — INDICTIONE 15.

Honorius papa rectoribus Societatis Lombardiae, Marchiae ac Romaniolae mittit compromissi formam quod ipsi et Romanorum imperator in providentia sua et fratrum suorum posuerunt : scilicet quod imperator omnem in eos rancorem remittet bannaque et constitutiones editas relaxabit; ipsi autem dabunt imperatori pro subsidio Terrae Sanctae per biennium quadringentos milites, et in adhaerentes imperatori omnem rancorem dimittent; mandans ut patentes litteras sigillis munitas usque ad proximam dominicam instantis quadragesimae sibi transmittant. Laterani, 5 januarii.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.*, t. I, ad ann. 1226, § XXVI, e Regest. Honorii, lib. XI, epist. 440.)

Honorius, etc., rectoribus Societatis Lombardie, Marchie ac Romaniole, etc. Ejus locum licet immeriti obtinentes in terris qui pax nostra fecit utraque unum, duos parietes venientes e diverso conjungens in seipso lapide angulari, nascentibus debemus obviare discordiis et intendere sollicite ac diligenter ad ea que sunt concordie, unitatis et pacis. Cum ergo nuper inter charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum imperatorem, semper augustum et regem Sicilie atque vos discordia orta esset, nos attendentes quod res nisi obsisteretur principiis videbatur altius progressura et preter difficultates alias allatura impedimentum negotio Terre Sancte, pro quo est tanto tempore laboratum, dignum duximus interponere partes nostras, et igne hujusmodi antequam vires assumpsisset extincto, gravibus obviare periculis, que quidem ex hoc

nisi tempestive occurreretur poterant evenire. Ipso igitur imperatore ac vobis totum ipsum negotium in nostra et fratrum nostrorum providentia et dispositione libere ac absolute ponentibus idque declarantibus per litteras et publica instrumenta, necnon per solemnes procuratores et nuntios propter hoc ab utraque parte ad nostram presentiam destinatos, cum inter cetera fuisset ex parte ipsius imperatoris propositum quod impediente societate vestra nequiverat juxta propositum suum procedere contra pravitatem hereticam que partes illas dicitur graviter infecisse, ac relevare libertatem ecclesiasticam que ibidem multipliciter asserebatur oppressa, nec procurare subsidium Terre Sancte, propter quod specialiter ad partes ipsas duxerat accedendum, quodque captivi sibi contra jus et honorem imperii fuerant denegati; nos his et aliis que fuerunt hinc inde proposita plenius intellectis, de providentia sic duximus statuendum ut videlicet ipse imperator pro reverentia Jesu Christi et negotio Terre Sancte, suo et filii sui ac imperii nomine iis qui sunt de societate jamdicta universaliter singulis et singulariter universis remittat omnem rancorem, malevolentiam, injurias et offensas; omnia quoque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta que fecit vel imposuit per se vel per alium aliusve pro eo societati vel alicui de societate predicta, civitatibus, locis et personis de ipsa societate, et quecumque ex eis vel ob ea secuta sunt penitus revocet et specialiter constitutionem factam de studio et studentibus Bononie; universos et singulos qui occasione alicujus predictorum lesi videntur restituens in integrum in omnibus et per omnia suo statui atque fame, remittendo infamiam omnem et penam que secute sunt ex aliquo predictorum, ita quod ea que medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant quod alias debuerant obtinere. Ad hec civitates, loca et personas de ipsa societate recipiat in sue gratie plenitudinem et eis faciat firmam pacem, specialiter marchioni Montisferrati, Mediolano, Placentie, Vercellis, Bononie, Faventie, Alexandrie, Taurino, Laude, Bergamo, Brixie, Mantue, Verone, Padue, Vicentie, Tervisio, Creme, Ferrarie et comitibus de Blandrato aliisque locis et personis quibuslibet societatis ejusdem. Faciat etiam restitui captivos qui sunt capti occasione hujus discordie cum bonis eo-

rum ac alia que occasione ipsius discordie capta sunt vel detenta. Insuper quoque faciat fieri patentes litteras ex parte filii sui quod pacem et concordiam istam ratam habebit et firmam et remittet illis de societate omnem rancorem, malevolentiam, injurias et offensas. Ii vero qui sunt de societate jamdicta, ad honorem Dei omnipotentis et Ecclesie sancte sue ac ipsius imperatoris dent eidem imperatori pro subsidio Terre Sancte in expensis ejusdem societatis per biennium milites quadringentos, ac civitatibus, locis et personis imperiali excellentie adherentibus, tam ecclesiasticis quam mundanis, faciant pacem et inviolabiliter servent, remittentes eis omnem rancorem, malevolentiam, injurias et offensas, ac revocent omnia banna, constitutiones, sententias et ordinamenta que fecerunt vel imposuerunt civitatibus, locis et personis imperiali celsitudini adherentibus et quecumque ex eis secuta sunt vel ob ea. Captivos qui occasione hujus discordie capti sunt cum bonis eorum et alia que occasione ipsius discordie capta sunt vel detenta restituant, ita quod adherentes ipsi imperatori similiter eis faciant et observent; alii autem captivi secundum jus imperii restituantur, cum ipse imperator legatum suum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes duxerit destinandum. Constitutiones vero, leges et statuta ab ecclesia Romana et Romanis imperatoribus et specialiter ab ipso imperatore contra hereticos, receptatores, defensores, credentes et fautores eorum hactenus promulgata vel in posterum promulganda recipiant et observent inviolabiliter et efficaciter exequantur; constitutionibus municipalibus editis contra tales nihilominus in suis locis firmiter observandis. Potestates autem, consules et rectores civitatum aliorumque, locorum quocumque nomine censeantur, jurent quod illas fideliter observabunt idque suos jurare faciant successores, ponentes eas in statutis civitatum aliorumque locorum, illas inde nequaquam in posterum deleturi. Statuta omnia communia et particularia facta contra ecclesias et ecclesiasticam libertatem penitus revocent, de suis constitutionibus deleant et ea vel eis similia de cetero non resumant. Lateranensis quoque statuta concilii et constitutiones a nobis et leges ab ipso imperatore super his editas observent et jurent in posterum observare suosque jurare faciant successores. Porro predictos quadringentos milites

in eundo, morando, redeundo sub nostra et speciali Sedis Apostolice protectione suscipimus cum omnibus bonis suis. Iidemque teneantur ire in ipsius imperatoris passagio, quod ab eo statutum est et a Romana Ecclesia approbatum. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus quatenus supradicta omnia pro parte vestra inconcussa servetis ac super hoc nobis et imperatori, juxta tenorem quem vobis transmittimus (1), vestras patentes litteras usque ad proximam dominicam instantis quadragesime transmittatis, per manum publicam scriptas et vestri ac prefati marchionis et quarumlibet civitatum de ipsa societate sigillorum appensione munitas.

Datum Laterani, nonis januarii, pontificatus nostri anno XI (2).

---

Messanae, 13 januarii.

Fridericus, Romanorum imperator, universis comitibus, baronibus et communitatibus Romaniolae mandat ut ad restaurationem civitatis Imolae consilio et effectu ipsi contribuere debeant.

(Edid. MANZONIUS, *Histor. episc. Imolens.*, p. 177.)

Datum Messane, XIII jannarii, XV indictione.

---

Laterani, 13 januarii.

Encyclica Honorii papae qua notum facit se sub beati Petri et sua protectione Fridericum imperatorem et filium ejus cum im-

(1) Adjectae sunt etenim in regesto pontificio (nis 443, 444 et seqq.) litterae certa verborum forma conceptae, quas Lombardi ad imperatorem vicissimque ad ipsos Fridericus, tum illi ad pontificem transmissuri essent, ut pax nexu valido firmari posset.

(2) Extat ibidem sub notis chronologicis eisdem altera Honorii ad Fridericum epistola, qua eum rogat ut juxta decisionem a se factam marchionem Montisferrati in gratiam recipiat. *Index epistol.* in collect. Laporte du Theil.

perio et regno suscipere, quum iste ad liberationem Terrae Sanctae se potenter accingat.

(Edit. in *Cod. diplomat. Lubec.*, pars I[a], p. 52, n° XL. — Adest altera tenoris ejusdem epistola archiepiscopo Maguntino et episcopo Bambergensi directa, apud WURDTWEIN, *Nova subsid. diplomat.*, t. IV, p. 138.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Bremensi et dilecto filio abbati Stadensi salutem et apostolicam benedictionem. Sincera devotio quam carissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, ad Deum et Ecclesiam habere dinoscitur, nos inducit ut ad ejus tranquillitatem et pacem diligenti studio et studiosa diligentia intendamus. Cum igitur idem zelo fidei ac devotionis accensus ad liberationem terre in qua Rex regum et Dominus dominantium Jhesus Christus generis humani salutem dignatus est misericorditer operari, potenter, sicut imperialem decet magnificentiam, se accingat, nos ut tam pium et salubre propositum melius valeat adimplere, suam et filii sui personas cum imperio, regno, juribus et honoribus suis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, districtius inhibentes ne quis interim ea invadere, minuere vel modo quolibet perturbare presumat, sed usque ad reditum ejus sub speciali Apostolice Sedis et archiepiscoporum et episcoporum defensione libera et quieta consistant. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus quatinus si qui contra prohibitionem nostram ausu temerario venientes, ipsius imperatoris honores et jura que infra fines tue metropolis, frater archiepiscope, obtinet, invadere vel minuere seu quomodolibet presumpserit indebite perturbare, hujusmodi presumptores, undecumque fuerint, ut a sua presumptione desistant et de presumptis debitam satisfactionem impendant, monitione premissa per excommunicationem in personas et interdictum in eorum terras, appellatione remota, cogatis, quotiens fueritis requisiti. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur.

Datum Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

---

Laterani, 27 januarii. Honorius papa Fridericum Romanorum imperatorem hortatur ut Johannem Hierosolymitanum regem, socerum ejus, ex ipsa affinitate depressum unde multi honoribus promovendum sperabant, in imperialis gratiae plenitudinem reassumat, mittens ad ipsum super hoc tractando negotio abbatem Sancti Martini Viterbiensis.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.*, tom. I ad ann. 1227, § II, e Regest. lib. XI, epist. 496.)

Honorius, etc., Frederico illustri Romanorum imperatori, semper augusto et regi Sicilie. Non dubitat, sicut credimus, tua serenitas quin te sincero diligamus affectu et qnin ad incrementum tui honoris ac nominis aspiremus : unde cum ea tne celsitudini suademus que ad honorem tuum novimus pertinere, debes suasiones nostras gratanter accipere ac eis acquiescere reverenter. Sane charissimo in Christo filio nostro Johanne illustri rege Hierosolymitano tue sublimitati affinitate conjuncto, communis fuit omnium vox et opinio quod quasi in immensum successisset eidem et qnod Dens ipsam sublimitatem ejus per affinitatem tanti principis magnifice sublimasset. Nec mirum si hoc homines crediderunt, considerantes hinc excellentie tue potentiam, cui esse facile cognoscebant non solum in sua sublimitate conservare sublimes, sed etiam humiles novis honoribus sublimare, illinc vero strenuitatem et industriam dicti regis, non solum dignam ut ei suum conservares honorem, sed ut illum etiam ampliares. Et ecce res videtur in contrarium versa esse, cum rex ipse inde nisi alio modo provideris, contra spem nostram et suam ac aliorum graviter sit depressus unde sperabatur magnifice sublimandus. Omnes qui hec audiunt vehementer admirantur et dicunt : « Que est hec imperialis industrie providentia alienasse a se tante prudentie, tante strenuitatis, tante indnstrie, tanti consilii virum et tanto sibi vinculo copulatum, de quo poterat tanquam de semet ipso confidere, cujus honorem

et statum deberet proprium reputare? Cui fiducialius poterit regnum Hierosolymitanum committere? Quis fidelibus ibi existentibus gratiosior? Quis terribilior infidelibus? Quis utilior toti negotio Terre Sancte? Ecce si nulla sibi esset affinitate conjunctus, deberet tamen propter strenuitatem et industriam ejus et propter eam quam habet gratiam hominum notitiamque locorum sibi regnum committere supradictum; sed etsi simplicem militem in socerum assumpsisset, deberet eum decorare regia dignitate. An pulchrius sibi est militis generum esse quam regis? An pulchrius erit filiis quos ex filia dicti regis suscipiet, avum militem habere quam regem?» Hec et similia parvi loquuntur et magni, admirantes super hujusmodi facto et illud, ut loquamur verius, detestantes. Nobis quoque ac fratribus nostris insultatur a multis eo quod hujus affinitatis mediatores extitimus, ipsaque regis depressio nobis quodammodo imputatur. Denique per factum inter te et ipsum regem dissidium multorum devotio circa Terre Sancte subsidium ut dicitur refrigescit, quam facies recalescere si ad ipsum regem tuum ut decet vultum et animum curaveris serenare. Desiderantes ergo hanc quasi quamdam nebulam a tui serenitate nominis removere ac simul pro ipsius Terre Sancte subsidio, cui tua et ejusdem regis reconciliatio est plurimum necessaria, satagentes, serenitatem tuam monemus, rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo postulantes pro munere speciali quatenus tecum ipse recogitans quam absurdum sit tantum et talem virum occasione affinitatis tue magnificentie deprimi, cum solam familiaritatem tue sublimitatis adeptos per eam deceat exaltari, ac sepedicte Terre Sancte utilitatem attendens, dictum regem in imperialis gratie plenitudinem reassumas, eumque tibi sic efficaciter reconcilies quod tui serenitatem animi erga eum ipsa exhibitione operis manifestes; cum si diligenter attendas illud quo tibi junctus est vinculum, facile possis advertere neminem esse, persona filii tui dumtaxat excepta, qui te sincerius ipso rege diligere debeat vel de quo tua sublimitas fiduciam possit gerere certiorem. Ut autem intelligas plenius quam intime reconciliationem hujusmodi affectemus, ecce propter hoc specialius mittimus ad te dilectum filium abbatem Sancti Martini Viterbiensis, Cisterciensis ordinis, latorem presentium, virum utique prudentem, religiosum et fidum,

serenitatem tuam deposcentes attente quatenus ipsum, immo verius nos in ipso, cures in iis qne ad hoc negotinm pertinent et audire clementer et efficaciter exandire.

Datnm Laterani, VI kalendas februarii (1), pontificatus nostri anno undecimo.

---

[Januario exeunte.] Honorius papa in hos invehens qui frumentum malitiose occultant, Fridericum Romanorum imperatorem rogat ut mittat frumentum ad Urbem tempore famis, exemplumque memorat paparum Alexandri et Lucii qui in simili casu ad reges Siciliae habuere recursum et benignum responsum acceperunt.

(Inedit. ex cod. Bibl. maj. Paris., n° 8604, fol. 62 verso et 63 recto, epist. lib. VII.)

[Honorius, etc.]. Celestis altitndo consilii alta et ineffabili pietate universa disponens rerum vicissitudines non sine dispositione certe rationis alternat, nunc egentes faciens babundare, nnnc habundantes egere, ut humana conditio per alternationem hujusmodi seculi sui status instabilitatem agnoscat, et alter alteri compatienti subveniens impleat legem Christi, quia jnbemur proximos nostros diligere et alter alterius honera supportare. Ecce qnia famem vocasse videtnr Dominus super Urbem et in ea fomentum panis graviter decrevisse (2), nonnnlli tamen ipsius Urbis quos

---

(1) Eodem die, litteris ad universos Ecclesiae Romanae subditos directis, regimini et custodiae ipsius Johannis de Briena totum patrimonium a Radicofano usque Romam summus pontifex commisit, excepta marchia Anconitana, ducatu Spoleti, Reate ac Sabinia. *Regest.*, *ibid.*, epist. 497, et ap. RAYNALDI, *Annal. eccles.*, ibidem, § V.

(2) « MCCXXVII, mense januario, carestia frumenti tanta in urbe Roma facta est ut rubus » tritici pro 20 solidis denariorum senatus haberi vix posset. Honorius papa suos ad imperatorem in Siciliam nuncios mittit ut sibi et Romanae curiae in victualibus subveniret; qui per » Henricum de Morra magistrum justitiarium hoc fieri mandat. » RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.*

babnndare nulli dubium est, malitiose suam babundantiam occultantes, neqnaquam illnd maledictnm advertunt : « Maledictus homo qui frumentum abscondit in popnlo; » non curantes illam benedictionem accipere de qua continue snbinfertur : « Benedictio autem super caput vendentium » nec denique attendentes quod necessitas bnjusmodi habundanti tribuit magnam misericordiam diminnendi peccata et divinam gratiam ulterius promerendi. Urgente igitur necessariornm inopia, confluunt ad nos populi multitndo quos sine lacrymis andire non possumus, alimenta deposcens, et nec aliter qnam si lapides convertere possimus in panem aut in farinam terre pulverem commutare. In hujusmodi ergo necessitatis articulo ad te, fili, dnximus fidncialiter recurrendum, recognoscens quod felicis recordationis Alexander et Lucius Romani pontifices predecessores nostri ad reges Sicilie predecessores tnos in casu simili babnere recursnm, et eos liberales, prout regalem magnificentiam decuit, invenerunt. Qnod de tna liberalitate non indigne presumitur, cum non minorem habeamus ad te caritatis affectum quam ad ipsos habuerunt pontifices autedicti, uec minorem quam fuerit eorumdem regum ad illos tuam ad nos benivolentiam extimemus. Imperialem itaque liberalitatem omni qua possumus affectione deposcimus quatinus prndenter attendens gratiam promerendi divinam populnmque Romanum ad dilectionem potius gratiam sibi desuper tibi datam (a) ylariter amplectendo verbo Joseph qui pari necessitate patrem pavit et fratrem, ipsi popnlo qni tanquam ad patrem exuriens ad nos clamat debeas largitatis tue dexteram aperire, ut bujusmodi articnli angustias per anxilium tuum evadere valeamus, et generatio hec opera tua laudet et hanc tue memoriam largitatis; preces nostras ita ylariter et efficaciter auditurus quod ab omninm largitore bonorum tuam agnoscere babundantiam comproberis, ne frustra videaris preceptum dominicum habuisse. Nam si, [dum] videres nos banc necessitatem habere, nobis contra spem nostram tua viscera clauseris, pietatis qnod absit videaris nobis anferre de tna serenitate fidnciam, si passi fuerimus in tam favorabili causa de pia petitione repulsam.

(a) A voce *quatinus* sententiam omnino corruptam codex exhibet.

---

Cataniae, 1° februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, Honorio papae notum facit se juxta provisionem ejus civitatibus et nobilibus Societatis Lombardiae omnem rancorem remisisse, omniaque banna per se vel per alium eis imposita penitus revocavisse.

(Edider. SAVIOLI, *Annal. Bologn.*, pars III$^a$, p. 71. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 258. — Litterae autem de re eadem rectoribus civitatum et nobilibus directae extant ap. LUNIG, *Cod. Ital. diplomat.*, t. III, p. 9. — MURATORI, *Antiq. Italic. med. aevi*, t. III, p. 909. — SARTI, *De claris archigymn. Bonon. profess.*, I$^a$ pars, p. 69.)

Sanctissimo in Christo patri domino H. Dei gratia, etc., Fredericus eadem gratia Romanorum imperator, semper augustus, etc. Causam offense quam nuper quidam de civitatibus, locis et personis de Lombardia, Marchia et Romaniola, videlicet Mediolanum, Placentia, Vercelle, Bononia, Faventia, Alexandria, Taurinum, Landa, Pergamum, Brixia, Mantua, Verona, Padua, Vicentia, Tervisinm, Crema, . . . marchio Montisferrati, comes Gotifredus de Blandrato et quelibet alie persone de locis predictis contra majestatem nostram et nostrum imperium commiserunt, quia videbatur impedimentum afferre negotio Terre Sancte, in prudentia et dispositione vestra ac fratrum vestrorum venerabilium cardinalium posuimus absolute. Vestra igitur provisione super hoc plenius intellecta, pro reverentia Jesu Christi et ipsius Terre Sancte negotio, universis et singulis supradictis de innata nobis clementia remittimus omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas, omniaque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta que fecimus vel imposuimus per nos vel per alium aliusve pro nobis imposuit eis seu alicui de civitatibus, locis et personis eisdem, et quecumque ex eis vel ob ea secuta sunt, penitus revocamus, et specialiter constitutionem factam de studio et studentibus Bononie; universos et singulos qui occasione alicujus predictorum lesi

videntur, restituentes in integrum in omnibus et per omnia suo statui atque fame, remittendo infamiam omnem et penam que secute sunt ex aliquo predictorum, ita quod ea que per eos medio tempore acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant quod alias debuerant obtinere. Ad hec civitates, loca et personas predictas recipimus in nostre gratie plenitudinem et eis reddimus firmam pacem, reservantes tamen nobis contra predictum marchionem Montisferrati omnia jura omnesque actiones que nobis competunt, tam de debito quo nostre celsitudini est affectus quam de terra que propter ipsum debitum nobis extitit obligata (1). Faciemus etiam restitui captos occasione predicte offense cum bonis suis ac alia que occasione hujusmodi capta sunt vel detenta. Faciemus insuper fieri patentes litteras ex parte carissimi filii nostri Henrici Romanorum regis illustris, quod pacem et remissionem istam ratam habebit et firmam, quodque remittet eis omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas. Ad plenam autem certitudinem hujus rei presentes litteras juxta beneplacitum vestrum fieri jussimus sigillo majestatis nostre munitas.

Datum Catanie, primo die februarii, XV indictionis.

[In eumdem modum scripsit idem imperator rectoribus civitatum Mediolani, Placentie, Vercellarum, Bononie, Faventie, Alexandrie, Taurini, Laudi, Pergami, Brixie, Mantue, Verone, Padue, Vicentie, Tervisii, Creme, . . . marchioni Montisferrati, comiti Gotifredo de Blandrato, aliisque locis et personis quibuslibet de Lombardia, Marchia et Romaniola, que nuper contra majestatem imperialem et imperium commiserunt offensam; usque in finem, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.]

---

Fridericus, Romanorum imperator, per litteras suas patentes notariorum collegium apud Papiam quod fuerat abolitum restituit. Apud Calatagironum, 14 februarii.

---

(1) Verisimiliter propter mutuum novem millium marcarum argenti, de quo supra p. 425.

(Memorat. ap. ROBOLINI, *Notizie storiche di Pavia*, IV, 1, 109, ex instrumento dato die 28 martii sequentis, quo Torsellinus, vicarius Rolandi Rubei Papiensis potestatis, hoc imperiale mandatum consilio Credentiae praesentavit. Tenorem vero litterarum, quas in statutis praedicti collegii anno 1707 impressis (libr. I, tit. I), et in collectione cui titulus : *Ticinensia* (vol. II, n° 22, p. 3 et 6) insertas Robolini dicit, frustra requisivimus.)

Datum apud Calatagironum, XIV februarii, XV indictione.

---

Laterani, 21 februarii.

Honorius papa Fridericum Romanorum imperatorem hortatur ad relaxandum imperiale bannum cui civitas Massilia subjecta fuit, cum cives iidem excommunicationis vinculo, quo propter injurias episcopo ipsorum illatas tenebantur, fuerint absoluti, et ad dimittendos Petrum de Sancto Jacobo et Guillelmum Vivaldum concives eorum, crucesignatos, quos ob eamdem causam cepit et adhuc detinet.

(Edider. MÉRY et GUINDON, *Histoire de la municipalité de Marseille*, t. I, p. 433, ex transumpto ann. 1243.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio F. illustri Romanorum imperatori, semper augusto et regi Sicilie, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius noster R. Sancti Angeli diaconus cardinalis, Apostolice Sedis legatus, et venerabilis frater noster episcopus ac cives Massilie suis nos litteris supplicarunt ut cum iidem cives data sufficienti cautione promiserint dicti cardinalis et episcopi obedire mandatis supra dampnis et injuriis irrogatis ipsi episcopo et ejus ecclesiis ab eisdem, ac excommunicationis vinculo quo propter hec tenebantur sint juxta formam Ecclesie absoluti, ad relaxandum imperiale bannum cui eorum civitas occasione hujusmodi est subjecta, ad gratiam serenitatis tue restituendam eisdem, ac dimittendum Petrum de Sancto Jacobo et Guillelmum Vivaldum concives eorum, crucesignatos, quos ob

eamdem causam cepisti et detines adhuc captos, te apostolicis precibus inducere dignaremur. Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam quatenus bannum relaxes precum nostrarum interventu predictum, et imperialem gratiam eis reddas, ac dictos Petrum et Guillelmum restituas libertati, preces nostras taliter auditurus quod eas sibi sentiant profuisse.

Datum Laterani, IX kalendas martii, pontificatus nostri anno undecimo.

---

Honorius papa rectoribus Societatis Lombardiae mandat ut celeriter litteras ipsorum de accipiendo compromisso transmittant, et interim quae pro Terrae Sanctae succursu facere tenentur praeparent, ita ut imperatori notitia non veniat quod tamdiu missionem litterarum distulerint, neque eidem occasio praebeatur eumdem succursum differendi (1). [Februario exeunte.]

(Edid. partim Raynald., *Annal. eccles.*, t. I, ad ann. 1227, § VI, e Regesti lib. XI, n° 580.)

Honorius, etc., rectoribus Societatis Lombardie, etc. . . . . . . . . . . nobis et ipsi imperatori, omni occasione et excusatione cessantibus, ita celeriter transmittatis, quod non possit ad ipsius imperatoris venire notitiam vel vos ipsarum litterarum missionem distulisse tamdiu vel nos vobis super hoc iterato scripsisse; ac interim nihilominus cum ea sollicitudine

---

(1) Ne vero apparatus sacrae expeditionis in Germania teperent, paulo ante summus pontifex Hermannum domus Theutonicorum magistrum miserat, litteris significans sopitos esse Lombardiae tumultus et omnes qui voto Hierosolymitano se astrinxerant itineri se accingere jubens. Quo argumento ad Andream Ungariae regem et ad Ludovicum lantgravium Thuringiae scripsit, quos eodem litterarum exemplo ad conscendendas mense augusto naves paratos ac expeditos esse monuit. Cf. Raynald., *Ibidem*, § VII, ex Regest. Honor., lib. XI, n[is] 462-463.

quam angustia temporis exigit ea que pro ipsius Terre Sancte succursu facere tenemini preparetis, ne ipsi imperatori differendi ejusdem Terre Sancte succursum occasionem videamini dare, ac per hoc contra vos Deum et homines provocetis. Scientes quod si vos in tanto facto Dei et vestri contemptores illusoresque senserimus, nil aliud videmus restare nisi ut celum et terram contra vestram insolentiam invocemus, etc. . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

FINIS PARTIS SECUNDAE.

# HENRICI SEPTIMI

ROMANORUM REGIS

# HISTORIA DIPLOMATICA.

---

## PARS PRIMA.

A MENSE SEPTEMBRI 1220 USQUE AD MENSEM MARTIUM 1227.

# HENRICI SEPTIMI

ROMANORUM REGIS

# HISTORIA DIPLOMATICA.

---

ANNO 1220. — INDICTIONE 9.

---

Henricus VII, dux Sueviae et in regem Romanorum electus, ratam habet patris sui Friderici II donationem Rappotoni majori praeposito totique capitulo Augustensis ecclesiae super advocatiis villae Aitingen factam. Ulmae, 1° septembris.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars prima, p. 105, n° DCLIV, ex originali cujus sigillum quod appendebat periit, remanentibus tamen filis sericis flavi coloris. — Memoratum quoque in Braun, *Gesch. der bisch. von Augsb.*, t. II, p. 236.)

H[einricus] Dei gratia dux Suevie et in regem Romanorum electus, universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris gratiam suam et omne bonum. Divine remunerationis intuitu non solum beneficia liberaliter a progenitoribus nostris ecclesiis collata diminuere nolentes, immo de liberalitatis nostre munificentia dilatationi earum disponentes adjicere, universitati vestre presenti scripto duximus intimandum quod pro salute nostra et parentum nostrorum, dilectis fidelibus nostris Rapp[otoni] majori preposito totique capitulo Augustensis ecclesie advoca-

cias utriusque ville Aitingen, sub eo jure ac ea pensione qua eas ipsi et antecessores eorum ab inclite recordationis rege Philippo patruo nostro et postmodum habuerunt, hilariter concedimus et habendas dimittimus, ratum et firmum habituri factum patris nostri gloriosissimi regis Romanorum, semper augusti et regis Sicilie, qui, sicut continetur in literis suis dicto capitulo super hoc indultis (1), prefatas advocacias antedicto preposito et ecclesie sue concessit antea et de regie majestatis gratia permisit habendas. Ne igitur temporibus nostris gratiam quam super advocatiis illis est consecuta ecclesia Augustensis, quocunque casu valeat amittere; mandamus sub interminatione gratie nostre precipientes districte ut nullus sit qui deinceps manum temerariam in prejudicium ecclesie jam dicte ad ipsas audeat extendere advocatias, vel se intromittendo de ipsis vel alias in eis dicto preposito et concanonicis suis amodo inferendo damnum aliquod sive gravamen. Quod si quis fecerit, divine majestatis et nostre indignationis non effugiet ultionem.

Datum Ulme, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, kalendis septembris, decima (2) indiccione.

---

[Decembri circiter.] Friderico rege ab Honorio in imperatorem coronato, cum intrasset regnum Siciliae, audita archiepiscopi [Coloniensis Engelberti] sibi in Alemannia bene noti probitate, per litteras imperiales (3)

---

(1) Vid. supra privilegium Friderici secundi, datum apud Hagnowe, 18 maii 1220.

(2) Indictio non respondet anno Christi indicato, quae quidem nona esse deberet si cesarea notarius usus fuerit, kalendis septembris incipiente. In renovatione ejusdem privilegii (29 maii 1222), notarius contra indictionem nonam adhibet, quae tunc decima esse deberet. Unde unum vel alterum spurium aut saltem rescriptum videtur.

(3) Desiderantur autem istae Friderici litterae, quae multum proficerent ad tempus definiendum quo Engelbertus tutelam pueri et regni gubernationem susceperit; licet verosimile sit Fridericum, quando versus Italiam discesserit, tanti momenti officium jam tum Engelberto commisisse.

regni negotia citra Alpes illi commisit, Heinrici filii sui eum constituens tutorem et totius regni Romani per Alemanniam provisorem (1). *Caesarii vita S. Engelb.*, ap. Boehmer., *Fontes*, II, 299.

---

ANNO 1221. — INDICTIONE 9.

---

Engelbertus, Coloniensis archiepiscopus, notificat per consilium suum Henricum Romanorum regem in irritum revocavisse sententiam pro comite Hollandiae Willelmo contra comitissam Flandriae et Hainoniae Johannam quondam in curia Frankfordensi latam. Maguntiae, 6 maii.

(Editum apud Adri. Kluit, *Hist. crit. comit. Holland.*, t. II, pars I, p. 429-431 (Medioburgi, 1780), ex origin. in arch. Insulens. Sigillum cereum duplici membranaceo laqueo pendebat tempore cl. viri Godefroy, qui hoc instrumentum Kluitio communicavit.)

(1) Caeteri testes paululum discrepare videntur. Apud *Gesta Trevir.*, exempli causa, ita legimus: « Cujus (Henrici) tutelae deputatus est Wernherus de Bolandia. Wernhero defuncto, » suscepit tutelam regii pueri Engelbertus Coloniensis archiepiscopus. » Apud *Histor. imperat.* in Mencken, III, 121 : « Fridericus filium suum Heinricum cancellario Spirensi episcopo et » Herbipolensi episcopo comitique Gerhardo de Dietze et aliis familiaribus suis commen- » davit. Igitur episcopi prenominati non multo post mortui sunt, et puer custodiae Colo- » niensis episcopi mancipatus est. » Apud *Chronic. Ursperg.* : « Filium suum Heinricum nutrien- » dum et gubernandum commisit Chunrado de Tanne, pincernae ac ministeriali suo in castro » Wintersteten. » Apud Reiner. Leod. ad ann. 1220 : « Engelbertus archiepiscopus Heinricum » puerum filium Friderici regis et totum regnum in tutelam suscipit. » Discernas tamen inter generalem tutelam et consilium ut ita dicam privatum, cui ut videtur isti episcopi et nobiles cum aliis assidebant, inter quos unus vel alter quotidianas regio puero curas impendere poterat.

Enghelbertus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus, omnibns quibus litteras istas videre contigerit salntem in Domino. Noveritis quod presentes fuimus ubi dominus noster Henricus illustris Romanorum rex et semper augustus revocavit in irritum et ad nichilum redegit sententiam illam que data fuit apud Franckenvorde pro comite Hollandie Willhelmo contra egregiam Flandrie et Haynonie comitissam Johannam, videlicet do co qnod ipse comes Willhelmus recepit in feodnm de domino nostro karissimo Frederico Dei gratia tnnc Romanorum rege et semper augusto, nnnc autem imperatore, terram quam ipse tenuit in feodnm de prefata comitissa; et rationes exposuit dominns rex Henricus, sicut in litteris suis quas dedit snper hoc prenominate comitisse plenius continetnr (1). Et hoc protestamnr, quia per consilinm nostrnm factnm fuit, et in hnjus rei testimoninm presentes litteras fieri fecimus sigillo nostro sigillatas.

Datum Maghuntie, feria quinta post Inventionem Sancte Crucis, anno dominice incarnationis millesimo dncentesimo vicesimo primo.

[Extant dno exemplaria ejusdem tenoris a Theoderico archiepiscopo Maguntino et a Wernero de Bolandia scripta, in archivo provinc. Gandavensi. Cf. Saint-Genois, *Monum. anc.*, p. 507 et seqq.]

---

Fuldae, 15 julii.

Conquestus erat Conradus episcopus [Hildesheimensis] (2) Hen-

---

(1) Ipsius Henrici litteras quae in archivo Parisiensi asservari dicuntur (vid. Boehmer., *Regest. Henr.*, p. 212, nº 6), frustra requisivimus. Facile tamen supplentur ex litteris Friderici tenoris ejusdem, quas supra edidimus.

(2) Electus tamen tunc temporis neque nondum episcopus haberi debet. Iste Conradus prius capellanus et poenitentiarius Papae, scolasticus Maguntinus, ad evangelizandum verbum crucis in partibus Teutoniae destinatus fuerat, litteris dat. Viterbii, XIV kal. martii, pontific. anno quarto (ap. Scheid, *Orig. Guelf.*, III, nº 186ª). Vid. etiam supra p. 53. Addimus quoque ex Regest. Honor., anno V, epist. 745, in collect. Laporte du Theil, litteras quibus papa eidem Conrado mandat ut episcopo Metensi propter fractionem tibiae voti prosequendi dilationem concedat : « Hono- » rius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Conrado capellano et peniten-

rico Romanorum regi quod burgenses sui in omni jure et servitio quo ei ad regis et episcopi honorem obligati erant, contrarii essent et rebelles; ideoque rex scriptis Fuldae, XV kalendas augusti, indictione IX, ad Fridericum episcopum Halberstadensem litteris, ipsum monet ut super querela hac cognoscat et quod justum sit statuat. Scheid, *Origin. Guelfic.*, t. III, p. 683, ex diplomat. Hildesh. MSS.

---

Weissenburg, (augusto circiter.)

Archiepiscopus Trevirensis, Spirensis, Ratisbonensis et Basiliensis episcopi, abbates de Weissenburg et de Murbach ministerialibus ecclesiae Hildensemensis mandant ut ad obsequium Conradi Hildensemensis electi libenter accedant; alioquin ad colloquium in festo Sancti Ægidii apud Francfort indictum veniant, justitiae plenitudinem recepturi.

(Edid. Scheid, *Origin. Guelfic.*, tom. III, p. 681, n° 188, ex diplomat. Hildesh. MSS.)

Theodoricus Dei gratia Trevirorum archiepiscopus, C. Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, . . . Ratisbonensis et . . . Basiliensis episcopi, . . . de Wicenburg et . . . de Murbach abbates, universis ecclesie Hildensemensis ministerialibus salutem et omne bonum. Accessit ad presentiam nostram Wicenburch dilectus noster et honorabilis vir magister C., capellanus domini pape et penitentiarius, Hildensemensis electus, supplicans nobis ut per consilium et auxilium

---

» tiario nostro salutem. Audivimus quod venerabilis frater noster... Metensis episcopus, » imperialis aule cancellarius, fractionem tibie patiatur; propter quod sui voti executio impe» ditur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus veritate super hoc » diligentius inquisita, si rem inveneris ita esse, dilationem sibi ad sui voti prosecutionem » usque ad aliud passagium auctoritate nostra concedas. Datum Laterani, quinto nonas julii, » pontificatus nostri anno quinto (3 julii 1221). »

nostrum per manum domini regis donationem regalium obtineret, utpote rationabiliter et communiter electus a suo capitulo, apud quod potestas residet episcopum eligendi, cum idem dominus rex per voluntatem domini nostri serenissimi imperatoris et principum consensum eadem conferendi plenariam habeat potestatem. Ex adverso autem Conradus marscalcus et Ekbertus milites, ministeriales Hildensemenses, ex sua et suorum comministerialium parte rogabant attentius ne id faceremus, et quod dominus rex petitioni electi consentire non deberet, pro eo quod eis in electione ipsius facta esset injuria, qui ex jure et longa consuetudine in electione episcoporum Hildensemensium justitiam habuissent. Quod quia tam nobis quam omnibus comitibus et nobilibus imperii necnon et ecclesiarum ministerialibus qui multi presentes erant inconveniens et inauditum et contra communem omnium ecclesiarum justitiam videbatur, in hoc eos minime duximus exaudiendos. Quum igitur prefato electo et ecclesie Hildensemensi in suo jure, quod nostrum reputamus, deesse nec possumus nec volumus, sed magis adesse, omnes vos rogamus et monemus attentius et consulimus in Domino ut memores salutis vestre et ecclesie cui tenemini, ad favorem et obsequium electi ejusdem libenter accedatis; quam promotionem ipsi ecclesie vestre et omnibus ad eam pertinentibus tam apud imperium quam Ecclesiam Romanam et nos omnes plurimum profuturam non dubitamus. Alioquin si vobis injuriam in his factam esse contenditis, sciatis nos colloquium principum in festo sancti Egidii (1) Fraukenvort indixisse; quo, si placet, venire poteritis coram domino nostro rege et principibus quorum plures illuc venturos esse speramus, justitie plenitudinem recepturi.

[Adsunt apud Schannat, *Vindem. litter.*, I, 191, ex eodem fonte litterae tenoris ejusdem ab eisdem Henrico regi directae.]

---

(1) Scilicet primo die septembris. De ista tamen curia nihil compertum est.

Henricus, Romanorum rex, Friderico Romanorum imperatori patri suo notum facit quod Conradum Hildensemensem electum et ab archiepiscopo [Maguntinensi] confirmatum regalibus episcopatus Hildensemensis investivit, rogatque ut talem investituram auctoritate imperiali confirmare dignetur. (Septembri circiter.)

(Edider. SCHANNAT, *Vindem. litter.*, t. I, p. 192. — SCHEID, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 680.)

Carissimo genitori suo ac domino magnifico Romanorum imperatori Friderico semper augusto, Henricus Dei gratia et sua Romanorum rex (1), semper augustus, cum filiali dilectione debitam in omnibus reverentiam. Accedens ad presentiam nostram dilectus princeps noster Conradus electus, a nostra serenitate regalium episcopatus Hildesheimensis investituram secundum consuetudinem et justitiam imperii petivit instanter. Prepositus etiam et decanus et capitulum Hildesheimense per litteras et nuntios suos hoc ei fieri a nobis devotissime postulabant, eo quod ab ipsis concorditer et canonice fuisset electus et ab archiepiscopo suo legitime confirmatus, sicut littere ipsius ad nos super hoc transmisse testabantur. Nos igitur dilectorum principum qui circa nos erant et eorum qui super hoc nobis scribere curaverunt, Moguntini et Trevirensis archiepiscoporum, Spirensis imperialis aule cancellarii, Herbipolensis, Ratisponensis, Basiliensis episcoporum, Morbacensis et Wizzeburgensis abbatum et dilecti nostri consanguinei Henrici ducis Saxonie et multorum nobilium et aliorum fidelium nostrorum consilia secuti, attendentes nichilominus ipsius electi devotionem erga vestram magnificentiam et magnam de vestro erga se favore fiduciam, sicut debuimus et sententia de hoc quesita dictabat,

(1) Notandum quod in hoc documento Henricus non ut prius *rex Romanorum electus*, sed simpliciter *rex Romanorum* se ipsum intitulat.

eumdem tam vestra quam nostra auctoritate de regalibus sive temporalibus episcopatus Hildesheimensis et omni honore quem sui antecessores de gratia imperii ejusdem episcopatus ratione tenuerunt, investivimus. Ea propter amantissimam paternitatem vestram diligentissime cupimus a nobis exoratam esse, ut divine retributionis intuitu, nostre quoque interventionis respectu, quod circa prememoratum nostrum devotum electum consulte fecimus et juste, magnifice confirmare et ipsum cum ecclesia sua in vestre majestatis protectionem recipere dignemini, et ita eum in suis petitionibus audiatis ut favorem et preces regias sibi sentiat profuisse.

---

[Septembri vel octobri.] Henricus, Romanorum rex, Henricum Saxoniae ducem rogat ut ministeriales ecclesiae Hildeshemensis Conrado electo contradicentes ad devotionem et pacem inducere studeat, sibi quid super hoc egerit rescripturus.

(Edid. Scheid, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 682, n° 190, ex diplomat. Hildens. MSS. Cf. Schannat, *Vindem. litter.*, t. I, p. 193.)

H. Dei gratia Romanorum rex dilecto consanguineo suo H. duci (1). Noverit tua dilectio quod accedens ad nostram personam dilectus princeps Conradus Hildesheimensis episcopus a nostra serenitate regalium episcopatus Hildesheimensis investituram secundum justitiam et consuetudinem imperii petivit instanter. Prepositus etiam et decanus ac capitulum Hildesheimense per litteras et nuntios suos hoc ei fieri a nobis devote postulabant, eo quod ab ipsis concorditer et canonice fuisset electus et a suo archiepiscopo legitime confirmatus (2), sicut littere ipsius ad nos

(1) Scilicet *Saxoniae;* de quo supra in praecedente documento.

(2) Extant de hac re duae Honorii papae epistolae : prior archiepiscopo Moguntinensi directa, qua electionem Conradi et confirmationem ratas habet : dat. Laterani, III nonas septembris, pontificatus anno sexto (3 septemb. 1221); altera ministerialibus ecclesiae Hildense-

super hoc transmisse testabantur. Nos igitur dilectorum principum qui circa nos erant et eorum qui similiter hoc nobis scribere curaverunt et aliorum fidelium nostrorum consilia secuti, sicut de jure debuimus et sententia de hoc quesita dictabat, predicti capituli necnon et electi sui justas preces libenter admisimus, eumdem electum tam serenissimi patris nostri imperatoris quam nostra auctoritate de regalibus episcopatus Hildesheimensis et omni honore quem sui antecessores de imperio tenebant ratione episcopatus ejusdem vestientes. Verum quia ministeriales ejusdem ecclesie in electione episcoporum Hildesheimensium jus sibi dicunt, et quod eum non elegerint cum capitulo, adhuc ei contradicunt, sicut eorum nuntii quibusdam ex principibus retulerunt, nobilitatem et honestatem tuam de qua multum presumimus rogamus ut nostre serenitatis intuitu predictos ministeriales ad te venire facias, eosque quos et ubi visum fuerit evocare et ipsos ad devotionem et pacem et gratiam domini sui electi modis quibus scis et potes, ut expedire videris, inducere studeas diligenter. Quod enim episcopos suos eligere debere se asserunt et ideo quia hoc factum non est, difficiles ei se reddunt et graves, incongruum judicatur et omnibus principibus, nobilibus et ministerialibus inconveniens videtur et inauditum, sicut eorum nuntiis a multis novimus responsum. Gratissimum igitur habebimus si vestris in hoc monitionibus acquieverint et mandatis. Alioquin sciant pro certo quod prefato electo in justitia et honore suo modis quibus possumus adesse volumus et prodesse. De ipsorum igitur responso per tuas nos litteras facias certiores ut sciamus quid pro nobis et imperii mandato et tua exhortatione facturi sint et quid nobis super his fuerit faciendum.

---

mensis, qua eis mandat ne in electione praesulis aliquomodo se ingerere praesumant : dat. Laterani, V idus septembris (9 septemb.), anno sexto (ap. Scheid, *ibidem*, n[is] 186[b]-189).

## ANNO 1222. — INDICTIONE 10.

Apud Wormatiam, 12 martii.

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem Gebhardi electi Pataviensis fert sententiam : quod non teneatur ex jure vel ex debito concedere vel solvere feoda, quae tantum ex camerae proventibus sunt distincta.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars prima, p. 108, ex originali unde fragmentum sigilli segmento membranaceo appendebat. — Denuo in Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, tom. IV, p. 248.)

H. Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, universis fidelibus suis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ad universitatis vestre noticiam presentis certitudine scripti volumus pervenire quod ex petitione dilecti et familiaris principis nostri G. electi Pataviensis, in regie majestatis nostre conspectu sententiam queri fecimus, si videlicet aliquis teneatur ex jure ad talium concessionem sive solutionem feodorum que nec loco nec alia aliqua certitudine nisi tantum ex camere proventibus sunt distincta. Et super hoc utique talis sententia data fuit quod ad hujusmodi feoda conferenda sive solvenda nemo ex jure vel ex debito tenetur aliquatenus, nisi quantum gratia atque voluntas propria cuilibet persuaserit in hoc facto.

Actum apud Wormatiam, IIII° idus martii, anno Domini M° CC° XXII°, indictione X°, presentibus Sifrido Maguntino archiepiscopo, Ottone Herbipolensi et Heinrico Wormacensi episcopis, Ludewico comite de Wirtenberch, Wernhero de Bonlande et aliis pluribus.

---

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem Gebhardi electi Pataviensis promulgat sententiam curiae suae de rebus episcopatus non alienandis absque consensu chori et ministerialium. Wormatiae, 13 martii.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, tom. XXXI, pars 1ª, p. 512, e cod. Passav. continuat. fol. 142 b., et ap. Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 248.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, universis fidelibus suis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ad universitatis vestre notitiam presentis certitudine scripti cupimus pervenire quod cum ex petitione dilecti et familiaris principis nostri G. electi Pataviensis queri per sententiam fecissemus si quis episcopus possit vel debeat distrahere seu aliquo modo per infeodationes alienare preter consilium et assensum chori sui atque ministerialium suorum quicquam de redditibus hofmarchiarum que ad dominicalia pertinere noscuntur, talis in regie majestatis nostre conspectu sententia data fuit quod nulli episcoporum liceat aliquatenus redditus hujusmodi distrahere sive alienare per infeodationes taliter quoquam modo. Sed si forsan per aliquem hoc factum fuerit, talis distractio sive infeodatio firmitatem aliquam non habebit.

Actum Wormacie, III idus martii, indictione X, presentibus Sifrido Moguntinensi archiepiscopo, Chunrado cancellario Metensi et Spirensi, Ottone Herbipolensi, Heinrico Wormatiensi episcopis, Lodewico comite de Wirtenberch et aliis pluribus.

---

Henricus, Romanorum rex, ad instantiam Gebhardi Pataviensis electi proscriptionis sententiam promulgat adversus Alramum et Apud Wormatiam, 13 martii.

Albertum fratres de Hals multosque alios ibidem nominatos malefactores, eo quod per eos ecclesia Pataviensis circiter sex millibus marcarum tempore expeditionis transmarinae damnificata fuerit.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, t. XXXI, pars 1ª, p. 510, e cod. Passav. III, fol. 72.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, omnibus fidelibus suis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ad universitatis vestre notitiam presentis certitudine scripti cupimus pervenire quod cum ex instantia dilecti et familiaris principis nostri G. electi Pataviensis, taliter in conspectu nostro fuisset data sententia ut singulas causas cum aliis omnibus ecclesie sue factis in hoc ipse debeat inchoare articulo in quo predecessorem suum illa constiterat dimisisse; idem coram nobis querimoniam deposuit de castris et malefactoribus quibusdam, quorum nomina subnotari fecimus, quod per eos circiter VI. M. marcarum dampnificata sua esset ecclesia, et petiit quatenus secundum indulgentiam crucesignatis a Romana Sede concessam, ipsi justitiam exhibere curaremus. Et [super] hec omnia cum probabilibus legitimis testibus coram nobis malefactores eosdem pariter et castra, non obstante eo quod in Bavaria terra non extitimus, presertim cum crucesignatorum privilegium hanc legem excludat, proscriptionis regie sententia jure coacti condempnavimus, universitatem vestram monentes atque firmiter mandando precipientes quatenus illos similiter et castra ut nostros ac imperii proscriptos persecutione vestra non cessetis omnimodis impugnare.

Hec sunt nomina eorum Alramus et frater ejus Albertus de Hals, Albertus de Ode, Fridericus de Grub, Otto de Asenhaim, Engelboldus de Tragenrente, Engelschalcus de Saechsingen, Heinricus de Prunste, Rapoto et filius ejus de Heyzingen, Irnfridus de Gortsne, Duringus Sagittarius, Nythardus et Marchardus de Tagenbach, Marchardus Schell, Eberhardus de Aesenhaim, Fridericus frater ejus, Heinricus de Asnhaim, Ortwinus de Yltzstade, Hainricus Murator, Rudegerus Pademe, Chunradus de Aentznchirichen et Tymo frater ejus, Leo de Rogolfing, Marthelo de Sweiber, Albero de Phafsteten, Egelbertus de Hierzpach, Engel-

bertus de Sweitzenpach, Albero de Fronsteten, Heinricus de Hohenwart et frater ejus Chunradus, Hainricus de Chirichperg et item Hainricus et Rnegerus fratres ejus, Hainricus de Fraunreyt, Albero de Muterna, Hainricus de Schonstain, Fridericus Lucho, Chunradus de Ebergozesperig, Engelbertus de Raechenwinsperg, item Albertus de Ewergaesenzperg, Ortolfus de Tandorf et frater ejus Heinricus, Wanungus Sagittarius, Chunradus de Tufstat, Heinricus Fuzab, Heinricus de Tobel, Lienhardus, Heinricus Alramus, Heinricus de Cherfenstain et frater suus Chalhohus, Lienungus et Walchunus de Ruzdorf, Pilgrimus de Ostenholtz, Wolframus de Oehsenpach, Hartmannus et Dietherus de Viechtenstain, Ortolfus de Rutingen et frater ejus Ulricus, Albero de Grantperg, Rugerus de Nyndlingen, Hermannus Ponsider. Hec sunt castra Hals, Schonstain, Rotenwerch, Newnhausen, Fiechtenstain, Marspach, Johenstain.

Acta sunt hec apud Wuermatiam, III idus martii, indictione X, presentibus Syfrido Moguntinensi archiepiscopo, Ottone Herbipolensi episcopo, Chunrado cancellario Metensi et Spirensi episcopo, Heinrico Wurmaciensi episcopo, Ludwico comite de Wirtemberch, Wernhero de Bondlande et aliis pluribus.

---

Henricus, Romanorum rex, Alberto comiti de Bogen mandat ut Gebhardo Pataviensi electo ejusque ecclesiae promissum plene solvat, quo juxta tenorem conventionis ibidem insertae castrum Hals in ejus potestate datum fuit, usquedum domini de Hals de damnis et injuriis huic ecclesiae illatis satisfecissent. [Martio circiter.]

(Edit. ap. *Monum. Boica*, tom. XXXI, pars 1ᵃ, p. 508-509, e cod. Lonstorf. contin., fol. 142.)

Hainricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilecto fideli suo A. comiti de Pogen gratiam suam et omne bonum. Constitutus in presentia nostra dilectus et familiaris princeps noster G. Pataviensis

electus cum canonicis et ministerialibus suis quibusdam litteras tam tuo quam chori sui sigillo signatas nobis exhibuit, hunc modum pleniter continentes :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Hec est forma deditionis castri in Hals : videlicet quod dominus A. de Hals castrum illud dedit in gratiam domini ducis Bavarie junioris idemque dux incontinenti castrum pretaxatum posuit in potestate domini comitis in Pogen; ita scilicet ut ipse castrum illud fideliter observaret, donec domino episcopo qui nunc est Pataviensi vel ejus successori de dampnis et injuriis tam in hominibus quam in rebus a prefato A. et hominibus suis et fratre suo A. et W. de Ratenwerch patruo utriusque [illatis], secundum arbitrium et consilium VI de ecclesia, trium videlicet canonicorum et totidem ministerialium, et VI propinquorum vel amicorum prefatorum fratrum de Hals vel secundum jus vel secundum amicabilem compositionem, ecclesie fuerit satisfactum. Hec autem satisfactio fieri debet infra tres menses post reditum domini episcopi et domini A. fratris prefati A., vel post substitutionem Pataviensis episcopi, si forte prefatus episcopus reversus non fuerit casu mortis. Promissum quoque fuit ex utraque parte quod si forte per amicos dominorum de Hals staret quod ecclesie vel amicabiliter vel de jure non satisfieret a prefatis nobilibus et hominibus eorumdem, pretaxatum castrum episcopo vel ejus successori nominate ecclesie redderetur. Si vero de communi consensu illorum XII vel majoris partis amicabilis compositio et satisfactio intercesserit, Deo dante, castrum prefatis nobilibus sine contradictione qualibet redderetur. Additum quoque fuit quod si forte ambos fratres pretaxatos ante satisfactionem ecclesie prestandam contingeret decedere, prefatum castrum remaneret in predicti comitis potestate, donec ecclesia proprietatem in illo castro se habere ostenderet et probaret, quod prefatus A. inficiabatur penitus et negabat. Annexum fuit insuper quod si prefatum comitem medio tempore contingeret forte mori, ministeriales sui quorum nomina sunt subscripta, Heinricus de Pfolinge, Palmarius, Perchtoldus de Stainberch, Rudolfus de Wolchenberch, Gerholus de Fremelzberg, Ebo de Mos, bona fide et sine dolo, quantum in eis esset, laborarent eque omnia effectui mancipare.

Treuga quoque ex utraque parte tam hominibus quam rebus utriusque fratris fuit fideliter compromissa, exceptis illis qui morte Popponis culpabiles extiterant nec se possent credibiliter expurgare. Post hec omnia prefatus comes quod hec omnia conservaret ut scripta sunt inconvulsa, fide data [in] manu decani Pataviensis fideliter repromisit et juramento prestito confirmavit; VI quoque de ministerialibus suis fide data idem penitus promiserunt et suo firmaverunt postea juramento.

Rogamus itaque et sub obtentu gratie nostre tibi firmiter precipiendo mandamus quatenus juxta hujus scripti tenorem promissum hujusmodi ipsi electo et ecclesie plene solvas (1).

---

Henricus, Romanorum rex, ratam habet donationem coram episcopo et consiliariis Wormatiae cœnobio beatae Mariae in Otterburg factam a Rudewino milite de Flamburnen et Massivilia ejus uxore, de curte quadam Wormatiae sita. Wormatiae, 16 martii.

(Edider. Frey et Remling, *Urkundenbuch des Klost. Otterberg*, n° 42.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus in perpetuum. Notum sit universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit quod Rudewinus miles de Flamburnen, vir bone opinionis, zelo Domini accensus, curtem Wormatie sitam, quam cum attinentiis suis a Jutta vidua Heinrici Emeringeris et a liberis ejusdem, scilicet Petrissa, Adelheide, Conrado, Heinrico et coheredibus eorum, emptionis titulo

---

(1) Notae chronologicae desunt tam diplomati quam inserto instrumento. Ex ipsa tamen rerum gestarum serie quae in utroque instrumento narrantur, apparet diploma regis pertinere ad primos menses regiminis Gebehardi episcopi, tunc nondum confirmati seu consecrati, qui mense novembri aut decembri 1221 successit Ulrico episcopo, in reditu ex Oriente 31 octobris 1221 defuncto. Contractus tamen insertus ad mensem julium aut augustum anni 1220 pertinet, quando Ulricus episcopus crucesignatus cum Ludovico duce Bavariae in comitatu Friderici imperatoris per Italiam Ægyptum petiisset.

juste ac rationabiliter adeptus est, communicata manu uxoris sue Massivilie, cenobio beate Marie in Otterburg pia voluntate ac libera contulit, et Christum in celo ac genitricem ejus gloriosam pro terrenis heredibus quos non habebant heredes sibi feliciter eligentes, suis ac parentum suorum animabus in hoc salubre remedium appropriarunt. Hanc igitur prefate curtis donationem coram episcopo et consiliariis Wormatiensibus publice ac solempniter celebratam nos ratam habentes, presentis scripti et regalis bulle patrocinio duximus confirmandam, sub pena gratie nostre precipientes ne quis eam in prejudicium Otterburgensis ecclesie aliquatenus infringere presumat. Quod si quis ausu temeritatis attemptaverit, indignationem Dei omnipotentis et nostram se noverit incursurum.

Datum Wormatie, per manum domini Conradi Metensis et Spirensis episcopi imperialis aule cancellarii, XVII kalendas aprilis, regnante domino nostro Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, feliciter. Amen. Anno incarnationis dominice MCCXXII, indictione X.

---

22 aprilis. Henricus, Romanorum rex, decano beatae Mariae et advocato Aquensi mandat ut ecclesiam beati Adalberti super bonis apud Bastwilre contra comitem Juliacensem et super bonis apud Olne et Sorun contra Walramum de Montjoie ex parte sua tueantur.

(Edid. Quix, *Cod. diplomat. Aquensis*, p. 97, n° 133.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis S. decano beate Marie et W. (1) advocato Aquensi gratiam suam et omne bonum. Quia specialiter ad nos pertinet quod ecclesias nostras et imperii in jure suo et pace tranquilla debemus conservare, mandamus vobis et sub ea fidelitate qua nobis tenemini firmiter precipimus quatenus ex parte nostra moneatis et inducatis comitem Julia-

---

(1) Priori autem *Sibodo* nomen, alteri *Willelmus*.

censem ut deponat et emendet dampna et gravamina que homines sui, pincerna et dapifer vel aliquis alius pro ipso ex parte sua, ecclesie Sancti Adalberti de Aquis que ad nos specialiter pertinet in bonis suis apud Bastwilre inferunt vel hactenus intulerunt; et eamdem ecclesiam faciatis bona sua eadem et alibi sine aliquo impedimento dicti comitis vel suorum integre percipere et in pace possidere. Et si comes de aliquo jure confidit, hoc in presentia comitis et canonicorum beati Alberti auctoritate nostra cognoscatis et juste vel amicabiliter determinetis. Sub eadem etiam fidelitate vobis districte precipimus ut virum nobilem Walramum de Montjoie ex parte nostra efficaciter inducatis quatenus ipse deponat et emendet gravem et inauditam injuriam quam predicta ecclesia nostra beati Alberti sustinet in bonis suis apud Olne et Sorun per Ludwicum et Theodericum Monachum, quorum uterque se facit advocatum; cum nullus ibi possit vel debeat esse advocatus nisi solus liber homo, videlicet Theodoricus de Hoffalis, secundum privilegia ecclesie predicte et principum imperii sententiam. Unde volumus precise ut efficaciter laboretis quatenus idem Walramus tantam injuriam et inauditam omnino deponat ex parte fratris sui ducis de Limburg, ad quem jurisdictio communitatis terre illius dignoscitur pertinere.

Datum apud . . . . . ., X kalendas maii (1).

---

Henricus, Romanorum rex, ratam habet donationem a Marquardo notario suo Eberhardo abbati de Salem factam, de domo quam apud Ulmam propriis sumptibus fundavit cum capella et curte eidem attinentibus.

Apud Werdam, 24 aprilis.

(Edidit Jager, *Uber Ulm*, p. 734; coll. cum libr. diplomat. Salemit., I, cx, f. 155, in archivo Karlsruh.)

(1) Deest anni et indictionis nota. De tempore autem cui hoc mandatum conveniat, cf. Quix, *loco supra citato*.

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Deo creatori nostro gratum et placens prestare non ambigimus obsequium ad utriusque vite felicitatem nobis profuturum, si loca divinis mancipata obsequiis ampliare curaverimus et ad ipsorum commodum et profectum curam impenderimus diligentem. Quapropter cognoscat universorum imperii fidelium tam presens etas quam successura posteritas quod magister Marquardus, plebanus de Uberlingin, familiaris clericus et notarius noster (1), zelo ductus pietatis, pro remedio anime sue domum suam quam apud Ulmam propriis sumtibus fundavit, per manus nostras in presentia multorum nobilium apud opidum nostrum Werdam Ebirhardo venerabili abbati de Salem et eidem monasterio cum capella et curte contradidit libere tenendam et perpetuo possidendam. Ut autem eadem donatio firma semper et rata eidem monasterio permaneat, presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro jussimus communiri; statuentes et sub pena gratie nostre districte precipientes ut nulli unquam persone liceat donationem eandem infringere vel temeritatis ausu ei contraire. Quod qui fecerit iram tremendi judicis et nostre offensam majestatis se non dubitet graviter incurrisse.

Testes hujus rei sunt Otto venerabilis Wirzeburgensis episcopus, Cunradus abbas de Tennibach, comes Har[t]mannus de Dilingin, comes Boppo de Henniberc, Heinricus de Niffin, Gorlacus de Butingen, Fridericus de Bruhingin (*sic*) (*a*), Ebirhardus dapifer de Waltpurc, Cunradus pincerna de Winterstetin, Fridericus camerarius de Biginburc, Burcardus de Hohinburc, Cunradus de Bodimin, Cuno de Sumerowe, Walterus Nagillinus minister de Ulma, Ulricus Bulo et alii quamplures.

Actum apud Werdam (2), ab incarnatione Domini anno millesimo ducentesimo XXII°, VIII kalendas maii, indictione decima.

(*a*) Verisimiliter autem legendum *de Trutehingen*.

(1) Idem iste, ut arbitramur, qui saepius cum titulo scribae vel notarii non solum in instrumentis Henrici septimi, verum etiam in privilegiis Friderici II ad annos 1215 et 1218 memoratur.

(2) Ex itineris ordine *Kaiserswerth* potius quam *Donauwerth* hic intelligendum esse censemus.

Henricus, Romanorum rex, notam facit compositionem mediante Engelberto Coloniensi archiepiscopo initam inter Tiricum Dunrestein et ecclesiam Aquensem super decimis et aliis bonis quæ eadem ecclesia habet apud Sinzig.

Aquisgrani, 27 aprilis.

(Edid. Quix, *Cod. diplomat. Aquensis*, p. 96, n° 132. Ex originali apud Düsseldorf pendet sigillum pene illaesum.)

Heinricus septimus Romanorum rex et semper augustus, omnibus orthodoxe fidei in perpetuum. Presentis evi et post futuris Christi fidelibus volumus innoscere quod cum Tiricus Dunrestein de Sintzge decimas seu alia bona, que ecclesia Aquensis ex felicis recordationis antecessorum nostrorum Romanorum imperatorum munificentia sive aliorum largitione in villa predicti loci habere dinoscitur, in perpetuum pactum vindicaret, tandem errorem suum recognoscens, ad veritatis viam reversus, omni actioni quam sibi dicto pacto competere dicebat vel habere videbatur, coram venerabili ac fideli principe nostro Engelberto Coloniensi archiepiscopo et quampluribus aliis prona et libera voluntate pro se et successoribus suis renuncians, nichil juris in eis se habere publice recognovit; tali inter ipsam ecclesiam et dictum militem, mediante prelibato principe nostro, compositione in abolitionem antique discordie firmata quatenus sepefatus miles hominium ecclesie faceret fidelitate jurejurando repromissa, quod et fecit. In cujus facti recognitionem ecclesia vineas IIII jurnalium sitas prope viam que dicta Bribethe in feodum, decima sibi retenta, dedit eidem, ea conditione acceptata quod si sine prole decesserit, iidem quatuor jurnales sine questione in jus ecclesie revolvantur. Et quod is sicut pretaxatum est omnia irrevocabiliter observaret, obligatis fidejussoribus se astrinxit, hac nichilominus pena adjecta quod si ipse vel successores sui contravenirent, non solum a feodo quatuor jurnalium predictorum, verum etiam totali causa ipso jure intelligeretur cecidisse.

Testes Conradus major prepositus ecclesie Coloniensis, Otto prepositus Aquensis, Heinricus prepositus Karpaniensis, Hermannus decanus Bunnensis, Godefridus [et] Sibodo canonici Aquenses, Heinricus comes de Seyne, Heinricus de Izemboich, Gerlacus de Comerne, Rorzemannus de Kempeing, Johannes burgravius de Hamerstein, Johannes burgravins de Rinecke, Gerardus de Sintzge, Godefridus advocatus de Asse et alii quamplures.

Et ut hec rata et inconcussa permaneant, sigilli nostri munimine in robur perpetue firmitatis fecimus confirmari.

Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo XXII, V kalendas maii, Aquisgrani.

---

Aquisgrani, 8 maii.

Anno Domini MCCXXII, Henricus septimus, filius Friderici imperatoris, adhuc puer (1) consecratus est in regem Aquisgrani ab Engilberto Coloniensi archiepiscopo, dominica ante Ascensionem Domini, scilicet VIII idus maii. Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, II, 354. — Congregatis principibus, Henricum puerum Aquisgrani in regem consecravit [Engelbertus], quem nutriebat ut filium et honoravit ut dominum. *Caesarii vita S. Engelb., Ibidem*, 299. — Cf. *Chronic. Turonense*, ap. Bouquet, *Scriptor.*, XVIII, 303.

---

Aquisgrani, 9 maii.

Henricus, Romanorum rex, privilegium a patre suo ecclesiae Sancti Servatii in Trajecto concessum confirmat, quasdam addit

(1) Scilicet quasi decennis, ut monent *Annales Argentinenses*, licet haec consecratio cum altera curia Aquisgrani celebrata 28 martii 1227 ibi confundatur.

exemptiones, concessionemque a praeposito Aquensi et Trajectensi factam eidem ecclesiae ratam habet.

(Inedit. ex chartul. S. Servatii MSS. in Biblioth. major. Parisiens., tom. I, fol. 43 recto.— Originale extat in archivo Hagae Comit., ut monet Boehmerus, *Regest.*, p. 214, n° 20. In codice etiam mentio fit sigilli cerei, tunc temporis filis sericis rubri coloris appensi.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cum privilegia ecclesiarum ab antecessoribus nostris imperatoribus, etc. [*Sequitur de verbo ad verbum privilegium Friderici secundi, datum Aquisgrani,* 28 *julii* 1215, *quod ad suum locum edidimus; usque ad :* ] et in se proclamantibus sub conductu domini et magistri sui satisfacient. Hanc etiam a patre nostro ipsis collatam gratiam denuo facimus ut in omni jurisdictione et districtu imperio et nobis pertinentibus, hominibus eorum victualia frumenti et vini deferentibus ad opus ecclesie ubicumque necesse ire habuerint tam per terras quam per aquas, nullum teloninm vel passagium ab ipsis requiratur vel occasione thelonii aliqua in eos exactio fiat. Preterea pium factum clerici nostri prepositi Aquensis et Trajectensis, quod de parrochia Sancti Johannis in Trajecto ipsi capitulo Sancti Servatii ad usus eorum deputavit conferendo et proinde ordinavit, ratum per omnia habemus et firmum, ipsam collationem confirmantes. Regia auctoritate statuimus etiam et regali auctoritate precipimus ut nulla persona hanc nostram gratiam ipsis infringere aliqua presumat temeritate. Quod qui fecerit iram summi Dei et nostre majestatis se noverit incursurum. Ad hujus autem rei certitudinem hanc paginam exinde conscriptam sigillo nostro jussimus insigniri.

Datum Aquisgrani, dominice incarnationis anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo, septimo idus maii, indictione decima.

Testes hi sunt Sifridus Maguntinus, Engelbertus Coloniensis, Theodericus Trevirensis archiepiscopi, Hugo Leodiensis, Otto Trajectensis (*a*)

(*a*) Scilicet *Ultrajectensis, Utrecht.*

episcopi, Henricus dux Brabantie, Gerardus comes de Gelren et alii quamplures.

Ego Conrardus cancellarius recognovi.

---

Aquisgrani, 11 maii.

Henricus, Romanorum rex, ecclesiam beati Adalberti de Aquis sub sua speciali protectione recipit et ei confirmat omnia quae praedecessores sui caeterique fideles Christi donaverunt, specialiter autem quidquid imperator Henricus secundus ejusdem ecclesiae fundator contulerat.

(Edider. Quix, *Cod. diplom. Aquensis*, tom. I, p. 50.—Lacomblet, *Urkundenb. für die gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 56, n° 102. — Originale extat hodie in archiv. Berolin.; unde pendet sigillum cerae rubrae cum inscriptione : HEINRICVS DEI GRACIA ROM......... SEMPER AVGUSTVS.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Ad eterne vite premium et temporalis imperii decursum prosperiorem nobis proficere non ambigimus, si ecclesias Dei conservando ampliare studuerimus et pia rerum largitione promovere. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus presentibus et futuris quod nos ad imitationem predecessorum nostrorum regum et imperatorum, ecclesiam beati Adalberti de Aquis in specialem majestatis nostre protectionem recepimus, eique confirmamus universa que ab antecessoribus nostris regibus sive imperatoribus Romanorum sive ab aliis Christi fidelibus juste collata sunt vel in posterum dante Domino poterunt conferri, vel que ipsa ecclesia justo acquisitionis titulo per gratiam Dei nunc habet vel in posterum obtinebit; exprimentes specialiter qualiter imperator Henricus ejusdem ecclesie fundator eamdem ecclesiam omni libertate donavit ipsique ecclesie omnem possessionem contulit que est infra murum, que dicitur Bruel cum areis, edificiis, agris, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus,

exitibus, reditibus, viis, inviis, seu cum omni utilitate que ullatenus haberi potest; similiter cum baptisterio et decimis per consensum Baldrici tunc Leodiensis episcopi et agris imperii in Marlanes (1) et Crenval et decimis eorum quibus omnibus ipsam ecclesiam dotavit : ita videlicet quod prepositus ipsius ecclesie vice imperii judex et exactor supradicte possessionis et omnium habitantium in ea semper permaneat. Similiter eorum bona in Inglenheim, Speie, Consdorp et alibi circa Sinceke, Wintere, Vails, Olne et Sorun, Lendersdorp, Bolheim, Bastwilre, et in partibus inferioribus Umere, Maldrike, Diest, et Valdrike cum omnibus eorum pertinentiis in Uthe et de Moldeke (2) tertiam partem et alias ubicumque sita et hominibus ipsis pertinentibus cum omni jure, judicio et utilitate, prout eidem ecclesie collata sunt et in privilegiis imperatorum sive regum confirmata, imperiali auctoritate per paginam presentem ipsi ecclesie in perpetuum confirmamus; statuentes et firmiter precipientes ne aliqua umquam persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, predictam ecclesiam et prepositum ejus in predictis omnibus aliquo modo ledere, molestare aut perturbare presumat. Quod si quis facere attemptaverit, a gratia imperiali exclusus C marcas auri pro pena componat, medietatem camere nostre, reliquam passis injuriam. Ad cujus rei evidentiam presentem paginam inde conscriptam majestatis nostre sigillo fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt Engelbertus Coloniensis ecclesie archiepiscopus, Sifridus Moguntinensis archiepiscopus, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Hugo Leodiensis, Otto Trajectensis, Adolphus Osenbrugensis, Conradus Mindensis, Otto Werceburgensis, Sifridus Augustensis episcopi, Heribertus Werdenensis, Florentius Indensis abbates, Heinricus dux Lotharingie, Otto dux Bavarie, Ludewicus comes de Wirtenberc, Gerardus comes de Diets, Tidericus dominus de Heinesberc, Gerlacus de

(1) *Morlmes* tamen, in donatione Henrici secundi imperatoris; quae videnda in primo volumine collectionis a Lacombleto editae, n° 152.

(2) De his omnibus locis et donationibus, vide in primo volumine ejusdem collectionis ad n^os^ 130, 143, 144, 174, 264, 309, 535.

Budingen, Warnerus de Bolant, Gerardus de Sinceke, Heinricus de Rodenburc et alii quamplures.

Signum domini Henrici septimi Romanorum regis invictissimi.

Ego Conradus Spirensis et Metensis episcopus, vice domini Sifridi, Maguntinensis sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXII, indictione X, regnante domino Henrico septimo Romanorum rege invictissimo, anno regni et consecrationis ejus Aquisgrani primo.

Datum Aquisgrani, V idus maii, feliciter. Amen.

---

Aquisgrani, 11 maii.

Henricus, Romanorum rex, Henrico Leodiensi episcopo et praeposito, decano et capitulo majoris ecclesiae in Leodio scribit se confirmare donationem ab avo et patre suo super bonis in Freren eidem ecclesiae factam, eis committens jus alios sacerdotes locandi et quaestiones decidendi, vetansque ne dux Lotharingiae predictae villae et hominibus ejus se ullo modo intromittat.

(Inedit. ex Registro cui titulus : *Privilèges divers*, B, arch. Reg. Bruxell. *Ch. des comptes*, Reg. I, fol. 48 recto-verso.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilecto consanguineo suo Henrico Leodiensi episcopo, J. preposito, Th. decano, archidiacono totique capitulo majoris ecclesie in Leodio gratiam suam et omne bonum. Scire debetis quod donationem quam serenissimus avus noster Henricus et pater noster F. Romanorum imperatores fecerunt super bonis in Vreren (1) ad opus duorum sacerdotum, qui pro sua et nostra ac progenitorum nostrorum salute in ecclesia Sancti Lamberti omni die ce-

(1) Scilicet *Freren* seu *Frères*, inter Leodium et Trajectum ad Mosam.

lebrare debent, ratam habemus et presenti scripto confirmamus, nullum que in predictis bonis, sicut jam dicti domini statuerunt, preterquam imperium et nos volumus unquam esse advocatum; statuentes et firmiter precipientes ut idem sacerdotes eadem bona in pace teneant et cum omni jure et fructu percipiant, nullusque hominum predictorum bonorum ratione advocatie vel alicujus petitionis aut exactionis gravare, molestare aut perturbare presumat; et major decanus Leodiensis habeat potestatem has prebendas sacerdotum, cum eos mori contigerit, in alios idoneos locandi. Si quid etiam questionis aut gravaminis predictis sacerdotibus aut hominibus eorumdem bonorum aliquo casu contigerit, volumus et firmiter precipimus ut hoc vos vice nostra plene et secundum justitiam emendetis absque omni honere et servitio sacerdotum, bonorum et hominum eorumdem. Volumus etiam et firmiter precipimus quod dilectus noster H. dux Lothoringie vel aliquis pro eo, ratione bonorum nostrorum de Trajecto vel alicujus commissionis, de advocatia predicte ville et hominum se amplius nullo modo intromittat.

Datum Aquisgrani post nostram coronationem (*a*), anno Domini M° CC° XXII°, indictione decima, [quinto idus maii (1)].

---

Henricus, Romanorum rex, Henrico duci Lotharingiae et Brabantiae omnia bona quae Philippus apud Confluentiam et Fridericus pater suus apud Frankfurtum ei in rectum feudum concesserunt, ipse de consilio et voluntate principum concedit. Apud Aquisgranum, maio.

(Edit. ap. Butkens, *Trophées du Brabant*, t. I, p. 68. — Mieris, *Charterboek der grav. van Holland*, t. I, p. 180, e Dinter. Chron. Brab. MSS. lib. IV, c. 13. — Bondam, *Charterboek der Hertog. van Gelderl.*, t. I, p. 326. Coll. cum codice Bibl. reg. Bruxellensis, sub n° 16940.)

(*a*) *Consecrationem* in cod. Lefort.

---

(1) Quum notatio diei et mensis in codice Bruxellensi deficiat, supplemus ex originali in codice Lefort n° 48, f. 92, apud Leodium, transcripto.

Henricns Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus hoc scriptum videntibus in perpetunm. Noverint tam presentes quam futuri quod nos pensatis meritis et obsequio que nobilis vir Henricus illustris dux Lotharingie et Brabancie nobis et imperio impendit, sibi de consilio et volnntate principnm concessimus omnia bona que felicis memorie Philippns Romanorum rex in solempni curia apud Confluentiam (1) in rectum feodum concessit eidem, et postmodum karissimus pater noster Fredericus divns Romanorum imperator in solempni curia apud Franckenvorden (2) de consilio et voluntate principum sibi recognovit et concessit. Si quis vero contra hanc nostre concessionis paginam aliquid attemptaverit vel ipsum super prefatis bonis molestare presumpserit, regie majestatis offendiculum non evadet.

Testes Sifridus Mognntinus, Engelbertus Coloniensis, Theodoricus Treverensis archiepiscopi, Conrardus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Hugo Leodiensis episcopus, . . . abbas Indensis, . . . comes palatinus, Gerardus de Gelren, Theodoricus de Cleve, Florencius de Hollandia, Luscel (a) de Hostade comites, Theodoricus de Hemelberch (b) major advocatus in Colonia, dapifer Wernerus de Bollandia, et alii qnamplures tam nobiles quam ministeriales.

Actum apud Aquisgranum, in solempni nostre coronationis curia, anno dominice incarnationis M° CC° XX° secundo, mense maio.

---

Aquisgrani, maio.

Notificatio sententiae per Henricum Romanorum regem in Aquisgranensi curia denuntiatae de jure feodali super feodis et allodiis a duce Lotharingiae et Brabantiae exercendo, de servis et homi-

(a) In impressis *Lotharius*.
(b) In impressis *Thiericus de Heinsberg* et supra *de Heinesberc*.

(1) Scilicet anno incarnat. MCCIV, II idus novembris, indictione VIII, ut reperitur in Cod. bibl. reg. Bruxell. sub n° 16939. — Pluries editum apud Bondam, Lünig, Butkens et Miraeum.
(2) Vide supra privilegium datum 29 aprilis 1220.

nibus advocatiarum retinendis et de tutela parvulorum usque ad duodecimum annum duci adjudicata.

(Edider. BUTKENS, *Troph. du Brab.*, t. I, p. 68. — MIERIS, *Charterboek*, t. I, p. 413. — SENCKENBERG, *Corp. jur. feud.*, p. 763. — PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 249. Coll. cum cod. Bibl. reg. Bruxell. sub n° 16940, et ap. DINTER, *Chronic. Brab.*, MSS. ibid., t. I, f. 826 et seqq.)

Noverint universi quod cum apud Aquisgranum Henricus rex Romanorum in solempni curia sederet pro tribunali sub frequentia principum, precepit Henrico illustri duci Lotharingie et Brabantie et in fidelitate imperio prestita injunxit eidem quod jura imperii firmiter observaret et in terra sua faceret observari, et hoc fecit tam per sententiam principum quam per obtentum gratie imperii. Inventum igitur et sententiatum est ibi quod in jure feodali omnis ministerialis feodatarius eque judicare possit super feodis nobilium et ministerialium, exceptis tamen feodis principum. Ad hec sententiatum est ibi quod quilibet nobilis sive ministerialis feodatarius a domino suo in jure feodali prima citatione ad quindenam potest citari. Iterum si aliquis sive nobilis sive ministerialis allodium ducis de duce tenet in feodum, ipse dux ipsum citare potest super illo allodio ad alium locum ubi habet allodium, ubicumque voluerit. Si autem illud feodum sit feodum ab alio principe obtentum, tunc dux suum feodatarium citare potest super quamcumque partem illius feodi quod ab alio principe descendit. Ceterum quemcumque dux de jure sicut tenetur citaverit, ille si citatus non comparet ad primam citationem, emendam solvere tenetur que bota vocatur. Insuper si dux sententiam ab aliquo requisierit, ille requisitus tenebitur dicere sententiam infra terminum quo dux sedet pro tribunali illo die, nisi ipse dux de gratia sibi remittat. Ad hec in jure feodali nullus potest esse advocatus, nisi sit ipsius ducis feodatarius; advocatum appellamus patronum cause. Additum quoque ibi est per sententiam quod servi per stipitem et parentelam ex parte matris provenientes, sunt retinendi; homines advocatiarum autem per curiam cui sunt censuales sunt retinendi. Insuper quicumque exactus est pro patrono cause, ille exactus tenetur proponere verbum illius qui ipsum

exegit, et negare non potest, dummodo sciat loqui usualiter. Ad hec ibidem per sententiam fuit duci adjudicata tutela parvulorum usque ad duodecimum annum de feodis que ab ipso tenentur.

Prolationi istarum sententiarum interfuerunt hii principes et testes: Sifridus Maguntinus, Engelbertus Coloniensis, Theodoricus Treverensis archiepiscopi, Conradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Herbipolensis, Augustensis episcopi, comes de Diisch, comes palatinus Reni, comes Ludovicus de Wertenberge, Adulphus comes de Marka, Fredericus comes de Altena, dominus de Helmelsber (a), comes Lucseel (b) de Hostade, comes de Castele, Henricus dapifer de Wartborch (c), pincerna de Sciphe, Wernerus de Bollandia, Gerardus de Senzecka et alii quamplures.

Actum Aquisgrani, in solempni curia in nostra coronatione, anno Domini M° CC° vicesimo secundo, mense majo.

---

Prope Frankenvort, 29 maii.

Henricus, Romanorum rex, monasterium de Steingaden in quo sepultus est avunculus quondam suus dux Welfo, in omnibus bonis ejus vult esse munitum.

(Memorat. ap. LANG, *Regest. Boic.*, t. II, p. 126. Qua causa hoc privilegium inter caetera *Monumenta Boica* locum suum non habuerit, omnino nescimus.)

Datum prope Frankenvort, anno dominice incarnationis MCCXXII, IV kalendas junii.

---

. . . . . . 29 maii.

Henricus, Romanorum rex, iterum confirmat patris sui Fride-

(a) Alias *de Heinsberg*, ut supra.
(b) Alias *Lotharius*, ut supra.
(c) Alias *de Wolkborch*, verisimiliter *de Waldborch*.

rici II donationem Rappotoni majori praeposito totique capitulo Augustensis ecclesiae super advocatiis villae Aitingen factam.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 110, nº DCLVIII, ex originali unde sigillum nonnihil laesum appendet filis sericis rubri et albi coloris.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus tam futuris quam presentibus, gratiam suam et omne bonum. Divine remunerationis intuitu, etc. [*Sequitur de verbo ad verbum ut in praecedenti (vid. supra, p.* 719), *nisi quod pro* regis Romanorum *legitur* imperatoris Romanorum. *Notae autem chronologicae istae sunt* :]

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo secundo, IIII kalendas junii, indictione VIIII (1).

---

Henricus, Romanorum rex, ad imitationem patris sui domum hospitalis Sanctae Mariae in burgo suo apud Lutram cum bonis et personis ejus sub sua speciali protectione recipit. Apud Wormatiam, 2 junii.

(Edid. partim Schannat, *Histor. episcop. Wormat.*, cod. probat., p. 104, nº CXII, ex chartul. monast. Lutrensis.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Ad universorum imperii fidelium presentium et futurorum notitiam duximus perferendum quod nos ad imitationem domini et genitoris nostri Friderici serenissimi Romanorum imperatoris et regis Sicilie, familiarem ac dilectam nobis domum hospitalis Sancte Marie in burgo nostro apud Lutram, etc. sub specialem et omnimodam cum omnibus bonis suis et personis Domino illic famulantibus recepimus protectionem . . . . . . . Ad cujus rei perhennem me-

(1) De ista erronea indictionis notatione, cf. supra p. 720, not. 2.

moriam presens inde privilegium conscriptum sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Otto Herbipolensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, comes Wilhelmus de Tuwingen, comes Ludowicus de Wirtenberg, comes Heinricus de Nassaw, Heinricus de Brunbach, Conradus pincerna de Schipfe, Eberhardus dapifer de Walpurc, Fridericus camerarius de Bienburc, Cuno de Sumeraw et alii quamplures.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini MCCXXII, indictione X, regnante domino Heinrico septimo Romanorum rege glorioso, anno regni ejus primo.

Datum apud Wormatiam, quarto nonas junii.

---

Apud Ulmam, 23 junii.

Henricus, Romanorum rex, ecclesiam Faucensem in specialem suam et imperii recipit protectionem, eamque simul commendat praepositis et officiatis suis circa possessiones ejusdem ecclesiae commorantibus.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 112, nº DCLIX, ex originali cujus sigillum quod appendebat periit. Hoc diploma pene in omnibus concordat cum praecedente confirmatione Friderici II imperatoris, eodem anno, XXVII aprilis, eidem monasterio Faucensi concessa. Vid. supra p. 244.)

Heinricus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus quod nos attendentes fidem puram, devotionem sinceram nec non et laudabilem conversationem dilecti fidelis nostri Dietonis venerabilis abbatis Faucensis et fratrum in eodem loco famulancium, ipsum et ecclesiam suam cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus, agris, pascuis, piscaturis, nemoribus et montanis in nostram specialem et imperii recepimus protectionem. Statuentes et auctoritate presentis scripti

confirmantes ut nulla omnino persona cujuscumque fuerit conditionis, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, antedictum D. abbatem vel aliquem successorum suorum in bonis ecclesie sue presumat perturbare nec eis dampnum aliquod irrogare. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostri culminis se noverit graviter incursurum. Damus preterea universis prepositis et officiatis nostris circa possessiones prememorate ecclesie commorantibus firmiter in mandatis ut quicumque sepefatum abbatem in bonis ecclesie sue indebite et contra justiciam offendere presumpserit, sibi consilium et efficax auxilium ad defensionem et tuicionem ecclesie sue nullomodo impendere contradicant et eam manutenere atque defendere non obmittant. Nos enim tociens dictam ecclesiam in omni jure et libertate ejus permanere volumus, sicut tempore imperatoris Heinrici avi nostri inclite recordationis dinoscitur permansisse; salvo omni jure quod nos, sicut progenitores nostri, ibidem habere debemus.

Datum apud Ulmam, VIIII kalendas julii, indictione decima, anno Domini M° CC° XX° II°, anno regni nostri primo.

---

Henricus, Romanorum rex, praeposito, decano, archidiacono totique capitulo Leodiensi scribit se donationem illis factam de villa Freren inconvulsam conservare velle, eisque concedere ut jus imperiale contra Brabantiae ducem persequantur. Aquisgrani. 23 septembris.

(Inedit. ex cod. Lefort, n° 18, fol. 89-90, ex cartul. Vandemberg, in arch. Leodiensi, ubi transumptum dicitur ex originali, in libro primo chart. S. Lamberti, fol. 231.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis suis J. preposito, Th. decano, archidiacono totique majoris ecclesie Leodiensis capitulo gratiam suam et omne bonum. Notum vobis facimus quod nos donationem illam de villa Vreren quam imperator Henricus avus noster

ecclesie vestre fecit, pro qua duo capellani in ecclesia vestra cotidie missas celebrant, pro predicti avi nostri et antecessorum suorum salute, recognoscimus et volumus eam prout ab eo facta est integram et inconvulsam conservare; ita quod nullus alius in predicta villa et hominibus quicquam juris seu ratione advocatie sive feodi vel alia de causa possit vel audeat vendicare vel habere, sicut idem avus noster de predicta donatione ordinavit. Unde vobis concedimus et mandamus quod si dux Brabantie injuriam illam que vobis intulerunt ipsius homines in predicta villa revocare noluerit, sicut ei mandamus, quod jus nostrum ecclesiastico jure persequamini et predictam villam et homines cum omni integritate et jure retineatis.

Datum Granis Aquis, nonas kalendas octobris (1) (*sic*).

---

Henricus, Romanorum rex, Engelberto Coloniensi archiepiscopo mandat ut capellanos suos de choro Sancti Lamberti contra ducem Brabantiae advocatiam de Freren contra jus possidentem diligenter adjuvet.

(Inedit. ex cod. Lefort, n° 18, f. 92, 93; ubi transumptum quoque dicitur ex originali, ibid., fol. 232; cujus tergo pars sigilli cerei adhaerebat.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilecto principi suo E. Coloniensi archiepiscopo gratiam suam et omne bonum. Quia dilectus noster H. dux Brabantie advocatiam de Freren contra jus possidet, sicut patet ex litteris venerabilis Henrici avi nostri et patris nostri F. imperatorum, dilectioni tue mandamus et attente rogando firmiter injungimus quatenus capellanos nostros sacerdotes de choro sancti Lamberti

---

(1) Legendum autem videtur : datum *Aquisgrani*, *nono* kalendas octobris. Cum desit anni notatio, ad eumdem annum hoc mandatum referendum censemus, quo aliud de re eadem editum fuit. Vide supra p. 742.

diligenter adjuves ut prebendas suas in predicta villa de Freren cum integritate percipiant. Si vero predictus dux vel aliquis eos molestare presumpserit, hoc de parte nostra et auctoritate imperii firmiter corrigas et defendas.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterio de Salem concedit et confirmat ut ei liceat facere commutationes cum quibuscumque aliis ecclesiis sive etiam cum ministerialibus suis, burgensibus, plebeianis, etc.; eisdemque hominibus suis licentiam concedit bona ipsorum mobilia vel immobilia eidem monasterio tradendi. Apud Uberlingen, 10 decembris.

(Inedit. ex libro privileg. monast. Salemit., in archivo Karlsruh., vol. I, f. 158, 159.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Hainricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Regnantis procul dubio tunc digne thronus extollitur, cum regi regum solvitur quod debetur, qui aufert spiritum principum dominus dominantium. Credentes igitur tunc propensius ipsi complacere, cum locis venerabilibus et maxime ubi religio Cisterciensis ordinis viget serenitatis nostre clementiam reseramus, exempla divorum quondam augustorum parentum nostrorum venerantes, maxime autem domini et patris nostri imperatoris Frederici secundi clementiam sectantes, monasterio de Salem cujus famosa opinio longe lateque diffusa dinoscitur, concedimus et confirmamus in perpetuum ut ei liceat facere commutationes sive concambia cum quibuscumque aliis ecclesiis, maxime tamen cum hiis quarum advocatie ad nos spectare noscuntur, sive etiam cum ministerialibus nostris, burgensibus, plebeianis vel quocumque subjectionis titulo nobis attinentibus. Item concedimus et indulgemus ut eisdem quos prediximus hominibus nostris liceat bona sua tam mobilia quam immobilia seu pro salute animarum suarum seu per venditionem vel etiam commutationem memorato contradere monasterio; cui etiam per hanc nostre concessionis indulgentiam

perpetua stabilitate permaneant et quieta perseverent. Regio statuentes edicto ne ulli de cetero persone ecclesiastice vel secnlari hanc nostre confirmationis paginam fas sit infringere vel ansu temerario contraire. Concedimus etiam et perpetuo confirmamus omnia qnecumqne concessione pontificum, largitione principum, dono comitum vel baronum et aliorum oblatione fidelium idem monasterinm in presentiarnm jnste et rationabiliter possidet, aut in futuro jnsto titnlo prestante Domino poterit adipisci. Ut antem supradictum monasterium nostri favoris plenitndine gaudeat et nt presens nostre pietatis concessio firma sibi et illibata persistat, presens nostre majestatis privileginm inde conscribi fecimus et sigillo nostro jussimus insigniri.

Signum domini Henrici septimi Romanorum regis invictissimi (*Monogramma*).

Hujus rei testes sunt comes Manegoldus de Nellenbnrc, Eberhardus dapifer de Waltpurc, Cunradus pincerna de Winterstettin, Burcardus de Honburc, Ulricus et Conradus frater ejus de Pothamo, Rudolfus et Hermannns frater ejus de Arbona, Rudolfus et Burcardus de Ramesperc, Hartnidus de Leunecke, Waltherus et Burcardus de Honvels, Eberbardus et Bertoldus de Lintpahc, et alii qnamplures.

Datum apud Uberlingen, anno incarnatiouis dominice M°CC°XX°II°, IIII idus decembris, anno regni nostri primo.

---

## ANNO 1223. — INDICTIONE 11.

---

Ulmae, 15 februarii. Henricus, Romanorum rex, conventui in Roth confirmat hoc privilegium ut nullum advocatum habeat, sed immediate cum omnibus possessionibus ejus sub regali protectione permaneat, et

in futurum ratum habet quidquid regii ministeriales et mercatores eidem conventui contulerint.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgart., nobis a Kauslero communicato. Sigillum intercidit, remanentibus tantum laciniis filorum sericorum rubri, flavi, viridisque coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Si jura ecclesiarnm ad bonum earum statnm utilia confirmare studeamus, id nobis ad eterne vite meritum proficere credimns. Notum igitnr sit omnibus Christi et imperii fidelibus tam futuris quam presentibus qnod monasterium fratrum in Rota a sue fundationis principio tali jnris honore fuit institutnm et ditatum quod in bonis eidem monasterio pertinentibns nnllns nnqnam hominum advocatie jns sibi debeat usurpare, sed eadem ecclesia absque hujusmodi dominio sub imperiali tuitione secnra consistere. Que justitia quoniam a diebus antiqnis ad nostra nsque tempora dinoscitnr rationabiliter deducta et per anctoritatem snmmorum pontificnm et divorum angustorum qni nos precesserunt confirmata; nos qnoqne per nostre regie dignitatis anthoritatem prefato monasterio confirmamus et stabilimus, precipientes et statuentes qnatenus super ipsam domum que dicitnr Rota vel super ecclesias ant villas ant cnrtes ant homines seu quascunque ecclesie illius possessiones ant pertinentias, nemo nnquam jus advocatie teneat, sed eadem ecclesia cum omnibus suis pertinentiis ab advocatis sit libera, snb regie defensionis patrocinio quieta et inconcnssa omni evo deinceps permaneat (1). Qnicnmque igitnr memoratam ecclesiam, etc. [*Sequitur ut in privilegio Friderici secundi, dat. Ulmae* 21 *junii* 1215, *usque ad* confirmamus]. Ut igitur hoc nostre majestatis edictum ratum et inconvulsnm in omne evum conservetnr, presens privilegium inde fecimus conscribi et sigillo nostro commnniri; testes quoque annotari, qnorum nomina snpter scripta snnt :

(1) Huc usque transumitur ex privilegio imperatoris Friderici I, dato 22 januarii 1179.

Videlicet Marquardus scriba regis, Cunradus pincerna de Winterstetten, Burchardus de Hohenburch, Ulricus de Hagenouwe, Waltherus minister de Vnlma (*sic*), Heinricus minister de Manmingen, Hermannus minister de Schongoiwe et alii quamplures.

Datum Ulme, anno incarnationis Domini millesimo CCXXIII, XV kalendas martii, indictione XI, regnante Heinrico septimo.

---

Apud Augustam, 16 martii.

Henricus, Romanorum rex, mandat ne quis damnum inferat monasterio de Roth super curte in Memmingen quam R. praepositus de Schöngau eidem monasterio contradidit.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgart., nobis a Kauslero communicato. Sigillum periit, remanentibus tantum aliquot filorum laciniis.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hec litere ostense fuerint, gratiam suam et omne bonum. Significandum duximus vobis quod fidelis noster R. prepositus de Schonengow divine tributionis intuitu per manus pie recordationis Welffonis ducis Suevie curtem unam in Maemmingen monasterio de Rota contradidit; quam secundario per manus nostras predicto monasterio cum plenaria contulit possessione. Mandamus igitur sub pena gratie nostre districte precipientes ut nullus sit qui super hiis fratribus prememorati monasterii dampnum aliquod inferat vel impedimentum. Quod qui fecerit, indignationem omnipotentis Dei et nostre majestatis offensam se noverit graviter incurrisse. Ad hujus rei certam evidentiam presentem cartam sigillo nostro jussimus communiri.

Testes hujus rei sunt S. Augustensis episcopus, L. dux Bawarie, magister M. notarius, E. dapifer de Walpurc, Dietho de Ravinspurc, Burchardus de Hohinburc, Cuno de Sumerowe, Cunradus Spisarius et alii quamplures.

Datum apud Augustam, anno ab incarnatione Domini millesimo CC° XXIII°, XVII kalendas aprilis, indictione XI.

---

Henricus, Romanorum rex, Henrico duci Saxoniae et Alberto duci Angariae mandat ut cum summus pontifex et dominus imperator Conrado Hildeshemensi episcopo vices dederint servandae pacis in partibus istis, ad locum et diem quos idem episcopus praefixerit accedant, pacem concorditer juraturi. [Aprili circiter.]

(Edid. SCHEID, *Origin. Guelf.*, tom. III, p. 686, ex veteri codice Moguntino.)

H. Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, H. duci Saxonie et A. duci Angarie et in eorum jurisdictione constitutis. Innotuit nobis quod summus Pontifex, similiter quoque dominus imperator pater noster dederit in mandatis et attentius injunxerit C. Hildesheimensi venerabili episcopo apud eos in partibus Italie existenti (1), ut ad pacem et tranquillitatem illarum partium curam et operam in reditu suo impenderet diligentem, de ejusdem episcopi prudentia et bonitate non immerito presumentes. Quocirca mandamus affectuose vos rogantes et monentes quatenus ob reverentiam apostolice Sedis et domini imperatoris patris nostri et pro patrie totius profectu et honore accedatis ad locum et diem quem prememoratus episcopus prefixerit vobis, pacem unanimiter juraturi usque ad terminum inter vos condictum.

---

Notitia compositionis praeviae inter [Henricum] Romanorum regem et Argentinensem electum super Rheinau, Wasselnheim, Molsheim, Mutzig, possessionibus aliis juribusque controversis. Haguenau, 6 maii.

(1) Scilicet in colloquio apud Ferentinum, ineunte martio, celebrato; nisi nos ad ann. 1226, ut vult Boehmerus, circa mensem julium referamus.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplom.*, I, 350, non tamen integre, licet ex apographo tabularii Tabern. deprompserit. Adsunt duo alia compositionis hujusmodi aut parum dissimilis instrumenta : unum prius, scilicet a Morbacensi et Nuenburgensi abbatibus et S. comite de Werda redactum, ann. 1221, indict. IX, octavo kal. septembris (1); alterum vero posterius, scilicet a Conrado Portuensi et Sancte Rufine episcopo, tunc apostolice Sedis in Germania legato, ann. 1224. (Ibid., p. 347 et 351.) Res vero non ante decisa diffinitive fuit quam Fridericus ipse cum episcopo litem terminaverit. Vid. docum., dat. Argentine, mense martio 1236.)

Hec est forma compositionis facte inter dominum regem et Argentinensem electum super discordia que pro qnibusdam possessionibus inter eos vertebatur. Civitas Rhinowe et curia Wasslenheim cum villa et omnibus suis appenditiis pleno jure restituta sunt ecclesie Argentinensi. Habebit jns patronatus in ecclesia et decimas et census, et officium villicationis pro voluntate sua dominus episcopus locabit. Domino regi in eadem civitate advocatia remanebit, et quandocunque dabitur collecta seu precaria, presens erit nuntius episcopi, et eadem precaria equaliter dividetnr inter dominum regem et dominum episcopum; similiter omnes proventus de eadem advocatia provenientes equaliter dividentur. Item Mollsheim, jns patronatus ecclesie et officium villicationis et decime et quedam alia jura ab antiquo ad episcopatnm spectantia domino episcopo

(1) Fragmenta edimus hujus compositionis ex pergamena originali in arch. Argentinensi, *Trésor des Chartes* : « Nos Dei gratia H. Morbacensis et... de Nuenburg abbates et S. comes de » Werda, imperatorie majestatis judices delegati, omnibus hanc paginam inspecturis in perpe- » tuum. Noverint universi tam presentes quam futuri qualiter dominus noster F. Romanorum » imperator et semper augustus, ad preces reverentissimi patris nostri Henorii summi pontificis » ac Sedis apostolice reverentiam, controversiam que, etc., ex injuncta nobis delegatione vice » repetita et mandato super hoc imperatoris duplicato, de consilio, scientia et voluntate do- » mini cancellarii plenaria, sculteti de Haganowe, aliorumque presentium, etc. [Sequitur in- » strumenti tenor.] Ut autem hec indubitata fide teneantur ac hujus rei testimonium efficax » possit haberi, sigillorum nostrorum munimine, ipsius quoque cancellarii, presentem pa- » ginam decernimus communiri. Testes autem, etc. Acta sunt hec, etc. » Laqueis membranaceis pendebant sigilla septem, quorum primum an sit ipsius Friderici vel Henrici regis, cum abrasae sint litterae, parum liquet, secundum cancellarii Conradi, quartum abbatis Morbacensis adhuc extant; caetera vero perierunt.

remanebunt. In eadem vero villa et in Muzecbe et in Busbovesheim et in aliis villis et curtibus ad supradictas villas spectantibus advocatie domino regi cedent. Proventus autem advocatiarum et precarie in predictis villis et earum pertinentiis quocunque tempore facte inter dominum regem et dominum episcopum equaliter dividentur. Item universi homines ad dominum regem quocunque jure pertinentes apud Zaberniam residentes domino episcopo et ecclesie Argentinensi cedent, et in restaurationem illorum omnes homines in Rodesheim episcopo attinentes domino regi cedent. In Offenburc autem quicquid juris habuit Argentinensis episcopus domino regi cedet, servato canonicis Argentinensibus jure patronatus ecclesie et censibus qui ad prebendam eorum pertinent ab antiquo. Homines autem sive ministeriales sive proprii ecclesie Argentinensi et ministerialibus ejusdem pertinentes in civitatibus domini regis pro civibus non recipiantur; si vero aliqui sunt residentes et residere volentes, cum pace remaneant, ita tamen quod de bonis suis extra jacentibus domino ville ratione banni cum villanis suis in generalibus collectis subserviant. Hi vero qui vulgariter Pfalburgere dicuntur, etiam in civitatibus regis non recipiantur, et qui recepti sunt restituantur libere; generaliter autem tam cives quam ministeriales sive proprii si ad propria redire voluerint, licebit eis sine pena a civibus statuta que anewete (1) vocatur. Ministeriales autem episcopatus sive proprii non conveniantur nec impetantur a consortibus suis, nisi coram domino episcopo vel suo officiato. Apud Slecestat moneta de cetero non cudatur nec alias, nisi ubi debetur de jure cudi. Forum de Etenheim ad Malburc translatum restituetur et die quo hactenus solebat celebrari manebit. Si vero dominus rex forum in Malburc ordinare voluerit alio die, sine damno predicti fori in Etenheim secundum velle suum ordinabit. De villis vero in terminis langraviatus constitutis de quibus hactenus controversia fuit, sic statutum est ut si fieri potest amicabiliter componatur; sin autem, dominus episcopus adhibitis sibi duobus canonicis ecclesie sue, duobus ministerialibus, duobus ci-

(1) Anewete, *Angewette*, mulcta conventionalis ab eo solvenda qui sententiae arbitrii non steterit. Vide Haltaus, *Glossar.* sub voce *Angewette*.

vibus quos sacramento prestito ad ecclesiam suam spectare probaverit, obtinebit. Hec autem omnia sic rata permanebunt si domino imperatori placitum fuit.

Actum anno ab incarnatione Domini MCCXXIII, III nonas maii, indictione XI.

Datum Hagenoe, [coram his testibus, imperialis aule cancellario, Herbipolensi et Augustensi episcopis, Nuwenburgensi abbate, Marquardo scriba, marchione de Baden, comite Sigeberto, marschalco de Justingen, dapifero de Walpurc, H. milite de Custerdingen, scolteto de Hagenowe(1).]

---

Apud Hagenowia, [maio.]

Henricus, Romanorum rex, confirmat et ratam habet donationem a patre suo Friderico imperatore factam Alberoni abbati et fratribus Novicastri (Neuenburg) de processu unius navis in ascensu et descensu Rheni, cum immunitate cujuscumque thelonei et concessionis.

(Inedit. nec memorat. a Würdtwein, qui caeteras tamen chartas abbatiae Neoburgensis refert. Ista quam nunc primum exhibemus, reperitur in archivo praefect. Argentin. *Titres de Neubourg*, et autographa pergamena nullam legitimae suspicionis causam suggerit. Sigillum cum laqueis avulsum est.)

Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, omnibus hos apices inspicientibus gratiam suam et salutem in perpetuum. Universitatem vestram pro certo scire volumus quod gloriosum dominum et patrem nostrum quem intime diligimus (a) ipsiusque voluntati consentire vel obedire paratissimi sumus. Inde est quod majestatis ejus

(a) Deest aliquid forsan *imitari*, vel hujusmodi.

(1) Nomina testium uncis inclusa adduntur ex quodam exemplari, quondam penes Grandidier, et a Boehmero in *regestis* p. 215 memorato.

donationem quam dilecto nostro Alberoni abbati ejusque fratribus in Novocastro, Deo et beate Marie jugiter famulantibus nec non pro nostra parentumque nostrorum salute interdiu orantibus, contulit in perpetuum, ratam ac firmam permanere dagmatibamus (a). Qualis autem hec donatio fuerit, in presenti rescripto discretio vestra cognoscere poterit :

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, omnibus in perpetuum. Cum imperialis eminentia et consuete benivolentie habundantia, etc. [*Sequitur ut in privilegio, dat. apud Civitatem* 17 *decemb.* 1222 (vide supra, p. 278), *nisi quod terminatur his verbis* sigillo majestatis nostre communitum, *omissis nominibus testium et chronologicis notis.*]

De cetero, sicut in rescripto gloriosi patris nostri legere potuistis, quia donationem navis quam in elemosinam devotis fratribus et monachis nostris in Novocastro contulit, tam sibi quam cunctis parentibus nostris nec non et nobismetipsis coram Deo ad salutem prodesse confidimus, statuimus districte precipientes quatinus prefata navis sine omni lesione et infestatione aut thelonei exactione vel alterius cujuscunque injusti lucri expostulatione per alveum Rheni usque ad occeanum, quocunque fratres voluerint vel necessarium habuerint, liberrime descendat et ascendat. Quicunque vero huic nostre constitutioni quavis occasione obviare temptaverit, sciat quod nostre majestatis pietatisque clementiam graviter et inemendabiliter offendat; et hoc nulla ratione justicie nostre discretio inultum abire permittat. Qui autem ipsam scilicet navem cum pace receperit et cum pace dimiserit, nostre clementie participem se esse noverit (1).

Acta sunt hec et scripta anno ab incarnatione Domini M° CC° XX° III°,

(a) Sic in originali. Verisimiliter pro *dogmatisamus.*

(1) Hanc donationem abbatiae Neoburgensi a Friderico et filio suo Henrico factam memoraverunt et confirmaverunt, prout ad terras suas pertinebat, Hermannus marchio Badensis et uxor ejus Irmingardis, anno ab incarnatione Domini MCCXXV, concurrente II, indictione XIII, epacta VIIII. Cf. Wurdtwein, *Nov. subs. diplomat.*, tom. XIII, p. 286, e chartul. membr. abbat. Neoburg.

concurrente VI[a], indictione XI[a], epacta XVII[a] (1), et sigilli nostri auctoritate roborata, coram his testibus : domno Cunrado Metensi et Spirensi episcopo imperialis aule cancellario, domno Ottone Erbipolensi episcopo, domno Ludewico (2) marchione de Badin, domno Heinrico comite de Duobus Pontibus, domno Symone comite de Saraponte, domno Sygeberto comite de Alsatia et Wolffhelmo scolteto de Hagenow.

Data apud Hagenowia, anno regni nostri secundo.

---

Spirae, maio. Henricus, Romanorum rex, donationem a patre suo Friderico imperatore factam abbatiae Neuenburgensi de una navi in Rheno cum immunitate thelonei et exactionis cujuslibet ratam denuo habet et confirmat.

(Memoratum ap. Wurdtwein, *Nova subsid. diplomat.*, tom. XIII, p. 273, ubi unde hoc deprompserit non indicat. Quapropter quamdam cum praecedenti confirmatione suspicamur confusionem, nisi iterato privilegio, sed in solita forma, donationem patris sui denuo Henricus confirmaverit.)

Datum Spire, [anno] M.CC.XXIII, mense majo.

---

Stalbuhel, [maio.] Henricus, Romanorum rex, mandat omnibus ad quos beneficium in Sassenheim et in Luttershusen fuerit devolutum, ne fratres

(1) Iste computandi modus per concurrentem et epactam in privilegiis imperialibus omnino insolitus, in chartis Neoburgensibus frequentissime usurpatur. Cum autem ibi desit notatio mensis, ex loco dati privilegii et ex collatione testium ad mensem maium hoc referendum arbitramur, scilicet post octavum mensis diem.

(2) Quum marchio Badensis tunc vocatus fuerit Hermannus, hunc locum sic ad integrum restituendum censemus : *domno Ludewico* [*duce Bawarie*, *Hermanno*] *marchione de Badin*, etc.

Schonaugiensis conventus in libera possessione curiae Marpach et attinentiarum ejus inquietare praesumant.

(Edit. ap. *Hist. et commentat. Academ. Theodoro-Palatinae*, t. V, p. 526; insertum in diplomate confirmatorio Ludovici ducis Bavariae, ann. 1291.)

Heinricus septimus divina favente gratia Romanorum rex et semper augustus in perpetuum. Regie serenitatis interest maxime personas illas et earum possessiones contueri, quibus pre ceteris noverint Domino devotius famulari. Eapropter constare volumus universis quod Marqwardus dapifer de Anevilre et filius ejusdem Theodericus infeodati fuerant ab avo et domino nostro Heinrico imperatore ac patruo nostro Philippo rege felicis memorie beneficio quodam in Sassenheim et in Luttershusen circa Berstraziam sito. Apud easdem autem villas fratres Schonaugienses Cisterciensis ordinis, Wormatiensis diocesis, curiam Marpach dictam cum vineis et agris attinentibus possidere noscuntur, de quibus, utpote libera proprietate semper habitis, nulli aliquando vel exactionem aliquam vel pensionem advocaticiam exhibuerunt nec exhibere debuerunt. Verum quia id etiam nobis legitimis tam ipsorum quam vicinorum assertionibus constitit evidentius, volentes eisdem fratribus tam illa quam alia quecumque a progenitoribus nostris habita confovere pariter et ampliare, mandamus atque sub obtentu gratie nostre districte precipimus omnibus ad quos idem beneficium devolutum fuerit ne ipsi occasione aliqua fratres predictos in curia Marpach prenotata et possessionibus attinentibus per exactionem vel jus aliquod ibi requirendum inquietare presumant, verum tam hic quam alibi, omnimoda tranquillitate in suis habita, communibus quoque civium pascuis, aquis, pratis, sylvis ac ceteris communitatibus, sicut hactenus extiterunt, sic et amodo multo magis participes existant. Quod si quis huic nostro mandato contraire et predictorum fratrum libertatem infirmare presumpserit, nostre se noverit severitatis offensa puniendum.

Datum Stalbuhel (1), in generali placito coram nobis ibidem habito,

(1) Locus juxta Ladenburg, Heidelbergam inter et Manheim.

anno videlicet incarnationis Domini MCCXXIII (1), testibus hiis presentibus, C. cancellario Spirensi ac Metensi episcopo, C. abbate Laurensi, C. preposito Spirensi, L. palatino comite Reni ac duce Bavarie, H. margravio de Baden, C. comite Silvestri, G. comite de Dysse, G. comite de Schowenburch; liberis vero G. de Bickenbach, C. de Steina, B. de Harphinberch, C. dir (2) Stralenbergere cum patruo ejusdem, C. dicto R. de Eschenbrucken, S. de Bruch; ministerialibus autem M. et F. de Hirzisperc, H. advocato, G. de Lobdenburch, D. Mulich, G. et O. de Schowenburch, A. Geilinch, H. de Cunigren, C. de Wormacia filio Aleri, et quam pluribus aliis comprovincialibus.

---

Apud Franckfort, 13 maii.

Henricus, Romanorum rex, notum facit quomodo lis et controversia inter Ludovicum ducem Bavariae et pueros quondam G. de Erpach ministerialis et pincernae sui in praesentia fidelium suorum sopita et determinata fuerit; salva tamen ratihabitione imperatoris patris sui.

(Inedit. ex copia in cod. Biblioth. publ. Stuttgart., Hist. n° 395, fol. 86, nobis a Stälin liberaliter communicata.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Noverint universi presens scriptum intuentes quod coram nobis et in presentia dilectorum fidelium nostrorum, S. venerabilis Maguntini archiepiscopi, majoris prepositi Spirensis, G. comitis de Dietz, B. de Alnvelt, C. de Steyna, G. de Butingen, F. de Kelberawe et R. de Eschenbrucke, lis et controversia

---

(1) Cum desit notatio mensis, hoc placitum mensi maio, rege Spira versus Francofurtum pergente, sat bene convenit.

(2) Sic Germanice, pro *der*. Cum Conrado de Hirzberg et compatruele ipsius Conrado *qui dicitur der Stralenbergere*, advocatis villae Schriesheim, Christianus abbas Schonaugiensis anno 1220 transegit. Cf. GUDENUS, *Sylloge diplomat.*, p. 116.

que vertebatur inter dilectum consanguineum nostrum L. ducem Bavarie, palatinum comitem Reni, et ministerialem nostrum G. de Erpach sic est sopita et determinata, pro omni dampno predicto dnci a pincerna nostro G. beate memorie illato. Nos de gratia nostra minorem filium et filiam seniorem ipsius pincerne prefato dnci Bavarie titulo proprietatis contulimus, ea videlicet conditione ut prememoratus dux pueris ipsius pincerne feuda que ab ipso tenere debent jure feudali concedat et recognoscat. Verum si hec, sicut in presencia predictorum imperii fidelium tractata sunt, serenissimus dominus imperator pater noster grata non habuerit et rata, juxta consilium et provideuciam G. comitis de Dietz, majoris prepositi Spirensis, B. de Alnvelt, C. de Steyna, F. de Kelberawe, dampna et rapine illate dnci prelibato sunt a pueris pincerne in integrum restituende. Quidquid autem se [*sic*] prefati pueri super bonis illis que vulgariter auefelch (angefelle) dicuntur, medio tempore utilitatis perceperint seu dampni sepedictus dux in eisdem bonis sustinuerit, cum integritate sibi debet ab ipsis pueris resarciri.

Hujus rei testes sunt D. comes de Ravinsperg, G. de Eppenstein, G. frater ipsius, H. de Libsperg, R. de Hagenaw, G. de Bickenbach, burggravius de Frideberg, et alii quamplures.

Datum apud Franckfort, III idus maii, indictione XI.

---

Henricus, Romanorum rex, toti familiae ecclesiae Corbeiensis notificat quod coram se, dictante principum imperii sententia, abbati Hermanno Corbeiensi electo varia jura ibidem expressa adjudicata fuerunt. Apud Wirzburg, 26 junii.

(Edider. FISCHER, *Litteratur des German. Rechts*, p. 2§5.—KINDLINGER, *Histor. Volmestein.*, t. II, p. 135, ex chartular. Corbeiensi. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 252.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis

infeodatis, ministerialibus, oppidanis, totique familie Corbeiensis ecclesie gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre duximus significandum quod coram nobis cum requireretur in sententia, venerabili abbati H. Corbeiensi electo requisitis omnibus extitit adjudicatum quod universa officia ecclesie sue pertinentia vacent et ad nutum suum sint instituenda, exceptis quatuor officiis principalibus, quorum bona nullius justitie vel astutie interventu ab ipsis officiis poterunt alienari, officiatorumque filii seniores et legitimi patrum succedent officiis pleno jure. Verum etiam quod in civitatibus, oppidis et villis campsiones denariorum non fiant, nisi de consensu et voluntate prenominati, et moneta nullatenus est cudenda. Quicumque ministerialis vel officiatus personam domini sui nequiter insequendo vel captivando vel perfide spoliando offenderit, jure suo privari debet et officio, nisi de benivolentia principis relaxetur. Demum quicumque abbas dotem ecclesie nisi de consensu et communi deliberatione capituli sui obligaverit, creditor abbatem successorem suum non impetet nec arctabit exigente rigore juris, cujusquam obligationis vel debiti occasione. Donationes mansorum, concessiones feodorum, obligationes pignorum, ante regalium receptionem facte, sint in irritum revocande. Cum itaque universa predicta, dictante principum et aliorum magnatum et fidelium imperii sententia, sint confirmata, mandamus fidelitati vestre sub pena gratie nostre firmiter precipientes quatenus ea, sicut fidem vestram condecet et honestatem, abbati prenominato tanquam domino vestro illesa et integra conservetis. Quod qui non fecerit indignationem omnipotentis Dei nostreque majestatis gravem offensam se noverit incursurum.

Datum apud Wirzeburc, VI kalendas julii, indictione XI.

---

Apud Ulmam, 6 julii.

Henricus, Romanorum rex, universis consulibus in Thurego mandat ut praepositum et capitulum ejusdem loci contra Ulricum castellanum de Schnabelburg tueantur.

(Edid. HOTTINGER, *Hist. eccles. Tureg.*, t. VIII, p. 1216. — Cf. *Schweiz. archiv*, t. I, p. 90.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis fidelibus suis universis consulibus in Thurego gratiam suam et bonam voluntatem. Conquesti sunt nobis R. prepositus et capitulum Thuricense quod U. castellanus de Snabelburch, gravibus et indebitis exactionibus in bonis ecclesie sue, maxime in Rifiers et Russlickon, non cesset eos enormiter molestare. Quapropter fidelitati vestre mandantes precipimus quatenus ipsum post harum receptionem litterarum infra octo dies moneatis attentius ut dilectos cappellanos nostros in bonis ecclesie sue non amplius perturbet et ablata infra XIV dies restituere non postponat. Si quid autem inter ipsos ortum fuerit questionis, discretionis vestre vel saltem majoris partis judicio, auctoritate nostra decidatur, et ad id servandum per penam temporalem a vobis, si necesse fuerit, compellatur, ut quem timor Dei a malo non revocat, temporalis saltem pena cohibeat a peccato.

Data apud Ulmam, II nonas julii, indictione XI.

---

Henricus, Romanorum rex, domui Sanctae Mariae Teutonicorum castrum in Wernecke et caetera bona ipsi a Bodone de Rabenspurg quondam donata et ab imperatore patre suo confirmata, postea autem cum aliis bonis Conradi de Reichenberg et Conradi de Smidevelt commutata confirmat. Wirceburg, 4 augusti.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. XXXI, pars 1ª, p. 516 et seqq., e libr. cop. Wirceb. conscripto circa ann. 1561. — Germanica hujus instrumenti versio habetur in Frisio apud LUDEWIG, *Geschichts. von Wirzb.*, p. 551, et in LUNIG, *Spicileg. eccles.*, II Theil, operis t. XVII, p. 946, nº 27. — Eisdem autem fere verbis repetitur et confirmatur in privilegio Friderici II, dato Cataniae, februario 1224. Vid. supra p. 402.)

Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Cum ad regalis magnificentie nostre celsitudinem pertineat omnium Christo militantium jura confovere ac bona ipsis collata sub nostri muniminis recipere protectionem, illorum potissime nos convenit protectores existere qui a nobis et nostris progenitoribus dive memorie sunt fundati, et servitio Jesu Christi fideliter insudantes suam hactenus famam laudabiliter conservarunt. Notum sit igitur tam presentibus quam successure posteritatis fidelibus quod fidelis noster Bodo de Rabenspurg divinitus inspiratus una cum fratre Hermanno preceptore domus Theutonicorum in Alemannia et fratre Heinrico de Hohenlohe accessit (*a*) ad dominum Ottonem venerabilem Herbipolensem episcopum, presentibus fidelibus nostris Degenhardo Herbipolensis ecclesie majore scolastico, Diepoldo marchione de Voburg, Gotfrido de Hohenlohe, Hainrico magistro coquine nostre et aliis quampluribus, castrum Vuernek et omnem suam proprietatem ubicumque habuit in universis areis, pascuis, nemoribus et hominibus per manum jamdicti episcopi, secundum jus et consuetudinem terre illius, venerando hospitali Sancte Marie Theutonicorum Hierosolymitano liberaliter contulit et absolvit. Serenissimus igitur dominus Romanorum imperator et rex Sicilie pater noster, habito respectu petitionis et testimonii predicti episcopi et precum dilecti et fidelis nostri Hermanni prememorati hospitalis magistri, donationem eamdem ratam habens omne suum jus quod in castro et predictis omnibus habebat ad petitionem dicti fidelis Bodonis et ejusdem magistri sepedicto totaliter contulit hospitali, ipsam donationem privilegii sui auctoritate et munimine roborando (1). Quia vero fideles nostri Conradus de Reichenberg et Conradus de Smidevelt sibi jus in castro et proprietatibus suprafatis usurparunt, ad decidendam inter ipsos et dilectos nobis fratres Hospitalis memorati totius rancoris materiam, quia etiam (*b*) ob bonum pacis et

(*a*) In confirmatione Friderici II *accedens*.
(*b*) Additur ibidem : *iidem magister et fratres*.

(1) Istam tamen ratihabitionem quam sub sua speciali forma non reperimus, circa annos 1218-1219 referendam esse censemus.

concordie in suo jure prompta charitate sepius condescendunt, nostre majestatis assensu accedente, talis inter ipsos compositio intervenit : quod fratres domus memorate castro jam dicto cum suis pertinentiis renuntiarunt, hac forma ut C. et C. suprafati una cum uxoribus ipsorum coram nobis constituti manu adnnata quicquid juris in vineto Rabenspurg et Gerbrunnen et area in Wirceburg profiterentur, per manum nostram et salemanorum ipsorum sententialiter, secundum jus et consuetudinem patrie, hospitali Sancte Marie prenotato conferrent libere et absolute; quod factum rite et rationabiliter secundum formam predictam in nostre majestatis presentia protestamur. Ad majorem autem venerande domus cautelam et juris sui firmitudinem, fratres predicti (*a*) in promisso a nobis et sepefatis nostris fidelibus acceperunt ut, si qua forte in posterum ipsis impetitio in bonis a quocumque emergeret antefatis, plenariam tam a nostre celsitudinis magnificentia quam ab ipsis ubique locorum super eisdem warandiam obtinerent. Ad hujus autem donationis et confirmationis nostre memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium inde conscribi et sigillo nostre majestatis jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Eckebertus episcopus Babenbergensis, Arnoldus prepositus et Gotefridus archidiaconus canonici Herbipolenses, Marquardus notarius imperii; laici Diopoldus marchio de Voburg, Gerhardus comes de Diez, Rupertus comes de Castele et frater suus comes Ludevicus, Mangoldus de Vniltperg, Waltherus de Langenberg, Eberhardus de Nuenberg, Eberhardus dapifer de Waltburg, Conradus pincerna de Schiph, Theodericus de Hohenberg, Eckhardus Pulliculus, Marcuardus Vuaiso, Vnalpertus Torso, Vuolframus de Vuitoldshausen, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXIII, indictione XII (1).
Datum Wirceburg, IIII augusti.

(*a*) In impresso *dilecti*, minus recte.

(1) Indictio XII ordinaria respondet quidem anno Chr. 1224. Sed ibi perperam notata videtur; nam Otto episcopus Wirceburgensis in hoc instrumento inter vivos memoratus obiit anno 1223, 5 vel 10 novembris. Cf. USSERMANN, *Histor. episcop. Wirceb.*, p. 82. Jure ergo ad ann. 1223, ut editores Monum. Boicorum monent, privilegium Henrici se exhibet, quum praeterea privilegium Friderici confirmatorium posterius appareat. Quod omne quasi dubium tollit.

---

[Augusto et septembri]. Ipso anno Heinricus junior rex Northusin curiam habuit. Ubi ab Engilberto Coloniensi archiepiscopo pro absolutione regis Daciae multum laboratum fuit (1). GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 355.

---

Nordhausen, 16 augusti. Henricus, Romanorum rex, advocato et burgensibus de Goslar mandat ut censum arearum civitatis Goslariensis, ecclesiae Goslariensi a praedecessoribus suis concessum, singulis annis colligi faciant et ecclesiae integraliter repraesentent.

(Edid. LEUCKFELD, *Antiq. Poeld.*, append. IV, p. 289.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, dilectis fidelibus suis advocato et universis burgensibus in Goslar gratiam suam et omne bonum. Ex veridica relatione intelleximus quod ecclesia Goslariensis, capella nostra, ex antiqua imperatorum et regum augustorum dive memorie constitutione specialem ad imperium habeat respectum, et quod, eadem ratione inspecta, serenissimus pater noster Fridericus Romanorum imperator, semper augustus, ipsam ecclesiam in suam protectionem et gratiam recipiens, inter alia beneficia ei prestita, censum arearum civitatis Goslariensis, quem sui et nostri divi antecessores Romanorum imperatores ac reges augusti ecclesie Goslariensi contulerunt, et [qui] tam papali quam imperiali banno eidem ecclesie nostre confirmatus est, quemadmodum Northusenses et Molhusenses solvunt, deinceps persolvi constituit et sine diminutione hec districte precepit observari. Nos igitur

---

(1) De captivitate Waldemari regis, vid. supra p. 394 et not. 1.

serenissimi patris uostri et antecessorum nostrorum donationem confirmare et stabilire cupientes, et ne amplius nobis querimonia deferatur super eodem, et ut in posterum inviolabile sit et firmum consistat, volumus ut tu, advocate Goslariensis, censum eumdem singulis annis die statuto cum ministris ecclesie colligi facias eumque ecclesie integraliter representes, contumaces et aliquorum dierum (*sic*) detentores authoritate serenissimi patris nostri et nostra sub pena sexaginta solidorum solvere compellendo.

Datum apud Northusen, XVIII kalendas septembris, indictione XI.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterio de Volkolderoth confirmat traditionem molendini in Burrich ei sub annuo censu factam a Swikero et Conrado de Mulhausen ministerialibus imperii, idem ab omni jure exactionis et collectae eximit, eique bona civitati Mulhausen adjacentia quae possidet seu adipisci poterit confirmat. Nordhausen, 11 septembris.

(Edider. SCHÖTTGEN et KREYSIG, *Diplomat.*, t. I, p. 757; coll. cum originali in arch. Dresdensi, unde pendet sigillum cereum. Cf. privilegium Friderici secundi, dat. 7 martii 1222, p. 230.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus divina favente gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus fidelibus in Christo. Notum esse volumus omnibus tam presentibus quam futuris quod Suikerus et Cunradus fratres de Mulhusen, ministeriales imperii, molendinum quoddam in Burriche quod a nobis jure possederunt feodali, de consensu et voluntate nostra venerabili conventui de Volkolderoth perpetuam contradiderunt in hereditatem. Talis pacti condicione interposita quatenus memorata ecclesia singulis annis inde solvat duas marcas, non solum prefatis militibus, sed et hiis quicumque de manu nostra aut illorum in feodo possederint in futurum; ita ut nulli ipsum liceat censum augere aut petitionem facere aut aliquid exigere supra id quod nostra

auctoritas simpliciter statuit persolvendum. Si autem conventus prefate ecclesie eundem censum redimere voluerit, ratum habemus. Insuper pro remedio anime nostre et progenitorum nostrorum, eidem monasterio et fratribus ibidem Deo famulantibus indulgemus, sicut ab antecessoribus nostris Romanis imperatoribus et regibus est indultum, videlicet ut ab omni jure exactoris et collecte, quod vulgo dicitur Geschoz, sit absolutum. Et si qua bona civitati regni nostri Mulhusen sive prediis jam dicti monasterii adjacentia que imperiali jurisdictioni attinere deberent, in molendinis, in terris cultis seu incultis, que empcione, donacione, concambio est adeptum vel in futurum poterit adipisci, de nostra gratia sicut de antecessorum nostrorum libere possideat et quiete. Ut igitur hec donacio nostra et libertas firma permaneat et inconvulsa, presentem paginam sigilli nostri appensione fecimus communiri.

Testes sunt comes Ernestus, Theodericus Rufus de Helmoldesdorf, Heinricus Sturl, Hugo de Wilrode, Cunradus de Widense, Hermannus Schellevilz et Theodericus frater ejus, Theodericus camerarius, Hernestus de Burchinrode, Heinricus Scolaris, Gerlacus de Butingin, Heimeradus de Bomeneborch, Heinricus Quenceba, Heinricus de Bonmeneborch, Sigelous protonotarius, Marquardus dapifer de Anewilre, Heinricus pincerna de Lutera, Albertus de Droizc, et alii quamplures.

Datum in Northusen, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo primo (1), tertio idus septembris, indictione undecima.

---

[Northausen, septembri.]

Henricus, Romanorum rex, per speciale privilegium monasterio de Volkolderoth confirmat traditionem molendini in Burrich ei sub annuo censu duarum marcarum factam a Swikero et Cunrado de Mulhausen, ministerialibus imperii.

(1) Sic in originali, cum tamen ex caeteris documentis Northusensis curia ad ann. 1223 clare pertineat. Indictio quoque, modo caesarea sit, duodecima esse deberet.

(Inedit. ex originali in arch. Dresdensi, unde pendet sigillum cereum.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus divina favente gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus fidelibus in Christo. Notum esse volumus omnibus tam presentibus quam futuris, quod Swikerus et Cunradus fratres de Mulhusen, ministeriales imperii, molendinum quoddam in Burriche quod a nobis jure possiderit (*sic*) feodali, de consensu et voluntate nostra venerabili conventui de Volcolderoth perpetuam contradiderunt in hereditatem; talis pacti conditione interposita quatenus memorata ecclesia singulis annis inde solvat duas marcas, non solum prefatis militibus vel heredibus ipsorum, sed etiam hiis quicumque de manu nostra aut de illorum manibus in feodo possederint in futurum; ita ut nulli ipsum censum liceat augere aut petitionem facere vel aliquid exigere supra id quod nostra auctoritas simpliciter statuit persolvendum. Ut igitur hec que statuimus inconvulsa et firma permaneant, presentem paginam sigilli nostri impressione et fidelium virorum decrevimus testimonio roborare.

Testes sunt comes Hernestus, Thidericus Rufus de Helmboldesdorf, Henricus Sturb, Hugo de Wilrode, Cunradus de Wideuse, Hermannus Schelleviz et Thidericus frater ejus, Thidericus camerarius, Hernestus de Hurschinrode, Henricus Scolaris.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterio Eberacensi praedium et parochiam Schwabach, exemplo avi sui Henrici VI et patris sui Friderici II imperatorum, confirmat. Nordhausen, 11 septembris.

(Edit. in *Privileg. monast. Eberacens.*, t. II, 7, num. 48; — et in *Monum. Boic.*, t. XXX, pars 1ª, num. DCLXII, p. 115, ex originali unde sigillum nonnihil laesum appendet ex filis sericis rubri, viridis et flavi coloris. In omnibus quasi consonat cum confirmatione Friderici II, ann. 1213, 26 februarii.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus Dei

gratia Romanorum rex et semper augustus. Justis fidelium nostrorum postulationibus tanto majestatis nostre favorem liberalius impertimur, quanto ampliora ipsis exinde speramus beneficia provenire quantoque ab Altissimo eterne beatitudinis premia prestolamur. Noverint igitur tam presens etas quam successura posteritas quod pie memorie consanguineus noster Fridericus, illustris dux de Rotenburc, predium suum Swabach cum attinente parrochia et omnibus eidem ecclesie attinentibus, consensu et stipulatione Cnouradi tunc temporis Eistedensis episcopi, ecclesie Ebracensi absolute et sine contradictione cujuslibet liberaliter contradidit et donavit; quam donationem dive recordationis Heinrici et serenissimi patris nostri Friderici imperatoris imperialis magnificentie auctoritas perpetuo privilegiorum munimine roboravit. Nos itaque ad ejus misericordiam qui pre ceteris gloria nos et diviciis exaltavit, respectum habere volentes, et felicium progenitorum nostrorum vestigia cupientes imitari, predictum predium secundum formam donationis et confirmationis ipsis concessam nos similiter ipsis una cum attinente parrochia per omnia confirmamus; volentes ut tam prefati ducis donatio quam felicium imperatorum confirmatio, cum utraque justa sit ac legitima, firmitatis perpetue robur obtineat et vigorem. Preterea pie profitemur totum predium antedictum cum parrochia dilectis fratribus nostris Ebracensibus nos velle tueri, neque alium eis in eisdem bonis esse volumus advocatum quam Romani sceptri majestatem aut quem ipsi fratres pacis sue constituerint provisorem. Omnem quoque exactionem et annue pensionis molestiam seu quicquid eorum quieti importunum esse potuerit tam ab eis quam a colonis eorum auctoritate regia perpetuo removemus, omnes eorum injurias digna volentes prosequi ultione. Ad hujus etiam rei certam evidentiam presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro fecimus communiri.

Testes hii sunt S. Maguntinus, E. Coloniensis venerabiles archiepiscopi, O. Wirzeburgensis, Nwenburgensis, Hildenshemensis, Mersebnrgensis, Padeburnensis episcopi, L. dux Bawarie palatinus comes Reni, D. marchio de Hohinburc, G. comes de Dieths, H. prepositus Sancti Stephani in Babinberc, Th. scolasticus majoris ecclesie Wirzeburgensis, et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Northusam, anno ab incarnatione Domini M°CC°XXIII, III idus septembris, indictione XII.

---

Henricus, Romanorum rex, abbati et coenobio de Helmershausen privilegia a praedecessoribus suis indulta renovat, eisdem fere verbis quibus Conradus III anno **1144** usus fuerat. Nordhausen. 12 septembris.

(Edid. WENCK, *Urkundenbuch*, t. II, p. 142, n° CIII.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus. Justitie definitio est constantem ac perpetuam habere voluntatem tribuendi unicuique quod sibi jure competit. Quam virtutem cum omne hominum genus partim a natura, partim institutis legalibus edoctum colere et exercere semper debeat, precipue tamen regie dignitati congruit talem animi habitum immutabilem induere. Ejusmodi tamen personis nostra dignatio in omni pietatis et equitatis defensione propensiorem debet adhibere benevolentiam, que divinis sincerius sunt mancipate servitiis et obsequiis et nobis in administratione regni sollicite agentibus et orationis beneficio et veracis consilii subsidio et indefessi laboris studio assistunt. Ea propter, reverende abbas Helmershusensis cenobii, ob petitionem charissimi ac fidelissimi domini Engelberti sancte Coloniensis ecclesie venerabilis archiepiscopi, ducis Westphalie et Angarie, concedimus tibi et per te tuis successoribus ac monasterio tuo in perpetuum omnem libertatem et immunitatem que venerabili loco tuo dicto Helmwardeshusun (*sic*) a predecessoribus et progenitoribus nostris regibus Romanorum vel imperatoribus (*a*) concessà et per privilegii paginam confirmata est;

(*a*) In diplomate Conradi dato apud Hersfeld, 17 octob. 1144, ita sequitur: *Ottone videlicet imperatore, Conrado abavo nostro imperatore, Henrico avo nostro imperatore, Henrico avunculo nostro imperatore;* quod ibi delendum est.

hac videlicet rationis constantia ut nulla deinceps persona magne vel parve potestatis, cujuscumque sit ordinis vel officii, presumat jamdictam ecclesiam tuam vel res ad ipsam pertinentes ullius impedimenti vel artis molestia inquietare, non tributum vel aliquam functionem seu pensionem publicam exigere, non servitium regale aut servitii redemptionem vel hospitia seu prandia tollere, sed per omnia et in omnibus ex antiqua regum et nostra concessione perpetua utatur libertate. Statuimus quoque ut juxta predecessorum nostrorum edicta nullum idem locus habeat advocatum, nisi quem abbas qui pro tempore fuerit concordi fratrum consilio electum sibi preficiendum judicaverit. Cui advocato tam in ipso jam sepe dicto loco quam in aliis ibidem pertinentibus non licebit hospitia sumere, non palefredos tollere, non canes alere, non pro adeunda curia vel expeditione nostra quodcunque supplementi vel pensionis capere, non freda, non redibitiones exigere, sed in (ab) omni importunitate locum, personas, fundos, totius negligentie postposita materia, studebit defensare. Habeat etiam abbas in omne tempus liberam potestatem statuendi, habendi mercatum et nundinas publicas, percussuram monete formandi, thelonium accipiendi ibique diversarum regionum commercia vendendi et emendi. Ea propter regia et imperiali potentia decrevimus ut omnes negotiatores et institores ceterique hominum ad idem mercatum venientes vel ibi manentes seu inde revertentes talem pacem talemque justitiam banni nostri interpositione obtineant, qualem ibi habent qui Moguntie, Colonie et Trudimonie negotium exercent, talemque compositionem legum violatores hujus precepti persolvant. Quecumque autem utilitas tam in bonis quam in moneta, theloneo, stationibus, ypothecis accrescere potuerit, memorato cenobio suisque rectoribus in perpetuum tradimus et confirmamus, Deo ibidem militantium usibus profutura. Licentiamus etiam regali nostra authoritate ut si quis ministerialium regalis aule predicto monasterio de prediis suis quocumque modo conferre voluerit, habeat libertatem. Et ut hec donatio rata et inconvulsa permaneat, presentem paginam sigilli nostri impressione insigniri jussimus, manuque propria corroborantes idoneos testes subternotari fecimus, quorum nomina sunt hec :

Sifridus Moguntine sedis archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Otto Herbipolensis episcopus, Engelhardus Nuenburgensis episcopus, Conradus Hildenshemensis episcopus, Conradus Mindensis episcopus, Ludovicus Hersfeldensis abbas, Quinipertus Vrislariensis prepositus, Valradus Paderbornensis major prepositus, Ludovicus Turingie landgravius, Ludowicus dux Bavarie, Henricus comes de Anhold, Adolphus comes de Marcia, Volquinus comes de Sualenberg, Conradus, Otto, Henricus fratres, comites de Everstein, et plures alii comites et nobiles.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, indictione XI.

Datum apud Northusen per manum cancellarii nostri, II idus septembris, regni nostri anno secundo.

Signum domini regis invictissimi.

---

Henricus, Romanorum rex, burgensibus Goslariae renovat quasi de verbo ad verbum privilegium Friderici patris sui eidem civitati indultum anno 1219, 13 julii. Nordhausen, 14 septembris.

(Memorat. et extract. ap. *Vaterl. archiv für Niedersachsen*, ad ann. 1841, p. 39.)

Datum apud Northusen, anno dominice incarnationis MCCXXIII, XVIII kalendas octobris, [indictione XII].

---

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem N. Aquensis et Trajectensis praepositi, ecclesiae Sancti Servatii in Trajecto confirmat privilegium exemptionis a patre suo Friderico imperatore, 9 decembris anno 1220, eidem ecclesiae concessum. Nordhausen, 20 septembris.

(Inedit. ex chartul. S. Servat. Traject. saeculi XVI, in Biblioth. maj. Paris., tom. I, fol. 44 recto. Mentio fit sigilli cerei, filis sericis rubri coloris appensi.)

Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Accedens ad nos dilectus noster N. Aquensis et Sancti Servatii prepositus in Trajecto a nobis humiliter postulavit quatenus privilegium serenissimi domini et patris nostri Friderici Romanorum imperatoris, tam sibi quam Trajectensi ecclesie indultum, confirmare auctoritate regia dignaremur; cujus tenor talis est:

[*Sequitur de verbo ad verbum privilegium Friderici secundi, datum in castris apud Florentinum, 9 decembris 1220, quod supra videndum est,* p. 78.]

Nos igitur indulgentiam paternam et gratiam prefatis canonicis impensam gratam et ratam habentes, ipsam auctoritate regia confirmamus, districtius inhibentes ne quis eidem gratie presumat aliquatenus contraire. Et ut nulla de hoc possit dubitatio suboriri, presentem paginam sigilli nostri appensione muniri fecimus et roborari.

Datum apud Northusam, anno Domini MCCXXIII, XII kalendas octobris, indictione duodecima.

---

Apud Northusen, 21 septembris.

Henricus, Romanorum rex, privilegium a Friderico patre suo monasterio in Walkenried indultum inserit et confirmat, nec non et caetera privilegia a praedecessoribus suis eidem monasterio concessa; abbatemque et fratres cum eorum possessionibus in sua speciali protectione recipit.

(Edit. ap. Leuckfeld, *Antiq. Walkenr.*, p. 367.— Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 853.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Justum et pium esse credimus necnon et rationi consentaneum ut ea que gloriosissimus dominus et pater noster Fridericus Romanorum imperator et semper

augustus et alii progenitores et antecessores nostri statuerunt, confirmarunt et indulserunt vel locis religiosis etiam donaverunt, nos non solum rata ac firma teneamus, verum etiam totis viribus defendentes autoritate regia confirmemus. Hinc est quod ad notitiam singulorum volumus pervenire quod dilecti nostri abbas et conventus in Walkenriet ad nostre majestatis excellentiam accedentes nobis humiliter supplicarunt ut privilegium patris nostri ipsis indultum confirmare auctoritate regia dignaremur; cujus tenor talis est:

[*Sequitur transumptum privilegii Friderici secundi, dati apud Herbipolim*, 11 *septembris* 1215.]

Nos igitur vestigiis antecessorum nostrorum inherere volentes et maxime in his que justa et pia esse dinoscuntur, privilegium gloriosissimi patris nostri cujus tenor in hac charta continetur et aliud privilegium quod idem sua regali munificentia monasterio in Walkenried contulit et indulsit, item privilegium Lotharii regis, Friderici proavi nostri et Henrici avi nostri inclyte recordationis Romanorum imperatorum et regis Philippi patrui nostri, Ottonis imperatoris pie recordationis, omnia istorum privilegia et indulgentias et continentias omnium ipsorum speciales et generales auctoritate regia confirmamus. Monasterium quoque in Walkenrieth cum monachis et fratribus, cum omnibus bonis suis ubicumque in imperio nostro positis mobilibus et immobilibus et mancipiis recipimus sub protectione regie majestatis. Statuentes et regia potestate precipientes quatenus in posterum nullus hominum cujuscumque status ac conditionis, ecclesiasticus sive secularis, humilis sive sublimis, ausu temerario presumat contra factum nostrum venire aut supradictum cenobium super possessionibus suis aut immunitatibus sive libertatibus aliquam inferre molestiam aut gravamen. Quod qui fecerit, preter indignationem Dei omnipotentis quam ipsum novimus incursurum, regali edicto statuimus ut centum libras auri componat, unam medietatem camere nostre et reliquam passo injuriam persolvendam; et ad hujus rei memoriam perpetuam presens privilegium sigilli nostri impressione fecimus roborari.

Testes hujus rei sunt Otto episcopus Herbipolensis, Hermannus Werdensis prepositus, Theodoricus prepositus in Nordhusen, Degenhardus

scolasticus (a) Herbipolensis, Marquardus notarius regis, Waltherus canonicus Herbipolensis, Hermannus magister Theutonice domus, frater Hermannus Other, Theobaldus marchio de Voburg, Gerhardus de Dietz, Henricus de Zwerin (1), Hermannus de Woldenberg et frater ejus Henricus, Lambertus de Gleichen et frater ejus Ernestus, Theodoricus de Honstein et frater ejus Henricus, Cunradus de Wernigeroda comites, Anselmus de Justingen, Eberhardus dapifer de Waldburg, Cunradus de Clingenberg, Cunradus et Eberhardus de Tanna pincerne, Detho de Ravensberg et Fridericus de Bienburg camerarii, Henricus magister coquine de Rotenburg, et alii quamplures.

Signum domini Henrici septimi Romanorum regis invictissimi.

Ego Cunradus (b) Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sigfridi Moguntinensis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXIII, indictione XII, regnante domino Henrico VII Romanorum rege et semper augusto, anno regni ejus in imperio secundo.

Datum apud Northusen, XI kalendas octobris.

---

Nordhausen, 22 septembris.

Henricus, Romanorum rex, inserendo confirmat duplex Friderici imperatoris patris sui privilegium de reformatione ecclesiae Northusensis, vetans ne quis id infringere praesumat et ampliorem gratiam eidem ecclesiae promittens.

(a) Ap. Lünig *ecclesiasticus*, minus recte.
(b) Ap. Lünig *Theodoricus*, male.

(1) Memorat Boehmerus, *Reichssachen*, p. 374, nº 64, conventionem initam inter Henricum regem et comitem de Schwerin super redemptione Waldemari regis, ap. Nordhausen 24 septembris 1223; sed hoc instrumentum ubi lateat nescimus.

(Edider. LEUCKFELD., in *Antiq. Walkus.*, p. 352.—In *Antiq. Blankenburg.*, p. 94. — In *Antiq. Walkenr.*, p. 196. — FÖRSTEMANN, *Geschichte von Nordhaus.*, 2ª pars, 5-6.)

Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Justum esse credimus et consentaneum rationi ut ea que pater et dominus noster gloriosissimus Romanorum imperator pia deliberatione statuit et sigilli sui munimine roboravit, non tantum rata et firma habeamus, verum etiam modis omnibus defendentes, quantum in nobis est et quantum possumus, nostra regia potestate et sigilli nostri caractere roboremus. Hinc est quod ad notitiam singularem volumus pervenire quod dilectus noster Theodoricus prepositus in Northusen privilegium patris nostri super ordinatione Northusensis ecclesie nobis exhibuit, cujus tenor talis est:

[*Sequitur de verbo ad verbum privilegium Friderici secundi, quod supra exhibuimus*, p. 328.]

Nos igitur inducti rationibus superius annotatis privilegium gloriosissimi patris nostri domini imperatoris Friderici quod in hac carta continetur auctoritate regia confirmamus, precipientes ne quisquam hominum cujuscunque conditionis illud infringere vel minuere vel quocunque alio modo contra illud venire presumat. Quod qui fecerit centum libras auri componat, unam medietatem camere nostre, reliquam passo injuriam persolvendam. Et ut super his omnis tollatur ambiguitas, hanc cartam sigilli nostri munimine fecimus roborari, firmum habentes propositum gratiam ampliorem et largiora beneficia ecclesie sepedicte cum se locus obtulerit impertiri.

Testes hujus rei sunt Sifridus Maguntinus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopi, Otto Herbipolensis, Engelhardus Nuwenburgensis, Ekehardus Merseburgensis, Conradus Hildesemensis, Conradus Mindensis episcopi, Ludowicus palatinus comes Reni dux Bawarie, Ludowicus landgravius Thuringie, Henricus comes Ascharie (1), Otto Magdebur-

(1) Is est comitatus alias sub nomine *Anhalt* designatus.

gensis, Otto Aquensis, Elgerus Goslariensis, Burchardus Jecheburgensis prepositi, Thyboldus marchio de Voburg, Gerhardus comes de Diesch, Anselmus marscalcus, Eberhardus dapifer, Eberardus et Conradus fratres de Tanne, et alii quamplures.

Signum domini Henrici septimi Romanorum regis semper augusti.

Acta sunt hec apud Northusen, anno dominice incarnationis M°CC°XXIII°, mense septembri, indictione XI, regnante domino Henrico septimo Dei gratia excellentissimo Romanorum rege et semper augusto, anno regni ejus secundo.

Datum apud Northusen, per manum magistri Marquardi imperialis aule notarii, X kalendas octobris, indictione XI°.

---

Altenburg, 30 septembris.

Henricus, Romanorum rex, notum facit fratres de Cella Sanctae Mariae bona sua quae milites de Nozin violenter usurpaverant, dictante sententia, jure plenario obtinuisse.

(Inedit. ex originali in archiv. Dresdensi, unde pendebat sigillum.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis hanc paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Notum esse volumus tam modernis quam posteris, quod dilecti fratres de Cella Sancte Marie bona sua que milites de Nozin violenter et injuste sibi usurpaverunt, coram nobis in Aldenburch, secundum quod sententia dictavit, videlicet jure plenario obtinuerunt. Ut igitur hoc sollempne factum maneat inconvulsum, inde paginam conscribi et eam sigillo nostro roborari precepimus cum astipulatione testium quorum hec sunt nomina:

Comes Gerhardus de Deisth, comes Lambertus de Herfordia, prefectus Meinherus de Misna, prefectus Albertus de Aldenburch et Heinricus frater ejus de Fluchelisberch, Heinricus de Coldiz, Albertus de Gerhardeshorph et frater ejus, Heinricus de Harth, Conradus de Schephe pin-

cerna noster, Conradus pincerna de Wintherstede, Heinricus camerarius noster de Chiselinchen, Heinricus Jache et alii quamplures de curia nostra, uic facto interfuerunt testimonium perhibentes.

Anno gratie M°CC°XXIII° acta sunt hec in Aldenburch, II kalendas octobris, indictione XII.

---

Henricus, Romanorum rex, praeposito suo de Moringen bona claustri de Staingaden protegenda committit, nominatim contra gravamina praepositi de Reitembuoch (Raitenbuch). Nurimberg, 18 octobris.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 126, n° DCLXVIII, ex originali. Sigilli a tergo appressi minutissima quaedam pars restat cum segmento membranaceo cujus ope membranae adstrictum erat, cumque macula cerae adhuc conspicua.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fideli suo preposito de Moringen gratiam suam et omne bonum. Cum serenitas nostra ecclesiarum debeat oppressionibus subvenire et maxime hiis quas progenitores nostri fundaverunt et per hereditatem eorum divine remunerationis intuitu dotaverunt, fidelitati tue mandamus sub pena gratie nostre districte precipientes quatenus universa bona claustri de Steingadem et fratrum ibidem Deo militantium sub nostram et imperii recipias protectionem et potestatem; non permissurus, sicut de nostra confidis gratia, quod nominatim prepositus de Reitembuoch vel alius quisquam dampnum eis irroget vel gravamen, bona et terminos eorum eque sicut bona nostra defensando; et ad ipsum faciendum ex parte nostra officiatis sub te constitutis injungas. Alioquin gravem offensam nostram te noveris incursurum (1).

Datum apud Nuorenberc, XV kalendas novembris, indictione XII.

---

(1) Cf. infra documentum ad quintum et vicesimum diem julii 1224, p. 803.

Apud Egram, 10 novembris. Henricus, Romanorum rex, judiciali sententia decernit ne in vicinitate monasterii Waldsassen vel praediorum ejus castrum aedificetur.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 117, nº DCLXIII, ex originali cujus sigillum periit, remanentibus tantum filis sericis rubri et viridis coloris. — Memoratum tamen et extractum a Bruschio, in *Monasteriologia*, p. 249.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Notum esse volumus tam futuri quam presentis evi hominibus quod pro dilectis fratribus in Walthsaxen, nobis judicio presidentibus, sententiatum est quod in prediis eorum sive in vicinia cenobii sui in prejudicium ecclesie ipsorum castrum non debeat edificari. Ne igitur sententie nostre sollempniter et legitime late quis in posterum presumat obviare, cautionem inde conscribi et eam sigillo nostro roborari cum astipulatione testium precepimus, quorum hec sunt nomina :

Conradus cancellarius noster Spirensis episcopus, Ekebertus episcopus Babenbergensis, Hermannus marchio de Badem, Theobaldus (a) marchio de Hohenborch, Gevehardus lanthgravius de Lukenberch et frater ejus Theobaldus, Gerhardus comes de Deisth, Everhardus de Everstein, Everhardus, de Sluozberch, Anselmus marscalcus de Justichen, Cuonradus (b) dapifer de Walburch, Ditho de Raveuesborch, Albertus Lupus, Hermannus, Albertus Rindesmule de Nurenberch, Albertus Nothhafthe et filius ejus Albertus, Albertus de Wonsedele, Heinricus de Kinsberch, Cuonradus de Valkenberch et Godefridus frater ejus, Ulricus de Levenstene, Cuono et Heinricus fratres de Lonensteiu, Marcwardus de Wa-

(a) Sic, ut supra p. 778. Rectius tamen *Diopoldus* seu *Tyboldus*.

(b) Sic; rectius tamen *Everhardus*.

chowe, Arnoldus de Sparremberch et frater ejus Ruodegerus de Sparrenhecke, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice M°CC°XXIII, IIII idus novembris, indictione XII, in Egra.

---

Henricus III Angliae rex mandat ut Bernardo de Horstmare et Arnoldo de Gimenich, nunciis imperatoris, centum marcae liberentur, et una bona navis cum probo gubernatore eis exhibeatur usque ad securum portum in partibus eorum. Apud Turrim Londinensem, 5 decembris.

(Edit. ap. Rymer, *Foeder. et convent.*, tom. I, p. 577, ex rotul. litter. clausar.)

Rex E. thesaurario et F. et W. camerariis salutem. Liberate de thesauro nostro Bernardo de Horsmare et Arnoldo de Gimenich (*a*), nunciis domini imperatoris, C marcas ad expensas suas versus partes suas de dono nostro.

Teste Henrico, etc., apud Turrim Londinensem, V die decembris, anno regni nostri VIII (1), per eumdem.

Mandatum est Roberto de Neref constabulo Doverensi quod habere faciat Bernardo de Horsmare et sociis suis, nunciis domini imperatoris, unam bonam navem ad transfretandum versus partes suas, et eis similiter habere faciat unum probum et legalem hominem de Sandwich vel de

(*a*) In impressis *Ernulfo de Gimelin*, male.

---

(1) Jam prius rex Anglorum, scilicet 11 junii 1221, legatos in Allemaniam miserat, ut monet Rymer, *ibidem*, p. 461, litteris clausis quae sequuntur : « Rex E. thesaurario et F. et » R. camerariis salutem. Liberate de thesauro nostro dilectis nobis abbati Belliloci et Walerano Theotonico euntibus usque ad Aquasgrani in nuncium nostrum viginti marcas ad expensas suas, et Johanni Lupo nuncio ac imperialis aule camerario quinque marcas de dono » nostro. Teste Henrico, etc., apud Norhampton, XI die junii, per eumdem, anno regni nostri » quinto. »

Dovera qui cum eis sit in ipsa nave, donec ad salvum et securum portum pervenerint.

Teste, ut supra.

ANNO 1224. — INDICTIONE 12.

Apud Wormatiam, 8 januarii.

Henricus, Romanorum rex, monasterium Sanctae Mariae juxta muros Bopardiae in specialem protectionem suam recipit, eique omnia bona confirmat, jubens ut ab onere et servitio quolibet liberum permaneat, inhibensque ne omnino elemosinae ab antecessoribus suis collatae, quas recenset, in usus vertant laicorum.

(Edidit Gunther, *Cod. diplom. Rhenomosellanus*, t. II, p. 147-150, ubi in tabulis ad calcem n° 3 sigillum describitur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus Dei gratia septimus Romanorum rex et semper augustus. Sapienter collocat beneficium qui pro transitorio promeretur eternum. Hoc a nobis fieri tunc credimns cum religiosis opem cnm in pace et tranquillitate Deo famulentur impendimus et eosdem sub protectionis nostre munimine confovemus, qnatenus apud regem regum nobis advocatos et patronos invenire in extrema superni judicis allocutione possimns. Inde est quod claustrum Sancte Marie juxta muros Bopardie quod constructum est a progenitoribus et predecessoribus nostris et quicqnid ad illud pertinet in possessionibus, rebus et personis specialiter sub protectione nostra recepimus, inhibentes universis ne quid illi violentie aut injurie inferre presumant. Si quis vero nostram parvipendens indignationem eos qui in illo cenobio Deo serviunt sine judicio conturbaverit, res ipsorum vel personas in locis quibuslibet invadendo aut ledendo, universis nostris fidelibus qui favorem nostrum concupiscunt

et gratiam et adjutorium in causis eorum, admonendo mandamus et mandando precipimus quatinus ipsorum adversariis vice nostra se opponant, et quecumque ad illos pertinent tanquam ea que nostra sunt defendant. Insuper quecunque largiente Domino a nostris ministerialibus vel hominibus sive ex quorumlibet beneficio poterunt adipisci in omni loco dominationis nostre et jurisdictione, in perpetuum concedimus possidendum. Removemus etiam omnem exactionem precariam ne quilibet hominum predictam ecclesiam et nunc et in reliquum in aliquo molestare et turbare presumat, scientes eamdem ecclesiam sub tutela et protectione nostra positam. Elemosinas quoque et libertates quas antecessores nostri Romani reges et imperatores pro remedio animarum suarum ipsi monasterio contulerunt, et nos simili modo in salutem anime nostre conferimus in perpetuum possidendas. He sunt autem elemosine, VI marce, dimidia carrata vini de vineis nostris quas edicto regali precipimus ut quicumque noster aut successorum nostrorum officiarius in Bopardia extiterit, sine aliqua diminutione vel excusatione vel occasione sepedicte ecclesie de fisco regio ad usus fratrum et sororum annuatim persolvat; preterea curtis una in civitate supra curiam, ager unus in Husin et in Wassenberch, terra arabilis cum decima et specialiter III domus infra Bopardiam site quas pater noster F. Romanorum imperator eidem ecclesie et nos contulimus, domus Symonis quondam judei postea baptizati, domus Remboldi sacerdotis in Burnhoven, area una ante domus ipsius portam sita et domus Christine quondam dicte Comitissę; et ne aliqua temeritate, necessitate, venditione, curiositate, negligentia vel instinctu malignorum hominum hec a predicta ecclesia possint alienari, nisi fiat concambium pro utilitate ecclesie, mediantibus archiepiscopo Trevirensi, abbate ipsius ecclesie, officiario nostro, duodecim ministerialibus et totidem scabinis nostris Bopardiensibus. Quod si contigerit factum revocetur; non enim fas est largitiones elemosinarum in usus vertere laicorum. Precipimus etiam si casu evenerit unam ex illis domibus incendio consumi vel dirui, predictis VI marcis et dimidia carrata vini omni occasione vel excusatione postposita reparari. Interdicimus omnino ne quis archiepiscopus, episcopus, dux, palatinus, marchio, comes, liber vel ministerialis nomine advocati,

scolteti vel alicujus juris aut dominii in eadem ecclesia seu bonis eidem ecclesie attinentibus sibi usurpare presumat, quia specialiter ipsum locum sub nostra protectione et munitione habere volumus. Quod si contigerit ex aliqua parte regnum Romanum vacillari [et] propter diversos casus Bopardiam vel alias possessiones regni obligari vel infeodari, ipsum claustrum Sancte Marie ab omni venditione vel obligatione aut infeodatione liberum et absolutum volumus permanere. Ut autem hec firma et inconvulsa omni tempore permaneant, hanc cartam inde scribi et sigilli nostri impressione signari jussimus, et qui presentes aderant testes subnotari fecimus:

Syfridus Maguntinensis archiepiscopus, Engilbertus Coloniensis archiepiscopus, Conradus Metensis episcopus imperialis aule cancellarius, Theodericus Erbipolensis episcopus, Henricus Wormatiensis episcopus, Hermannus marchio de Baden, Theobaldus marchio de Hoenburch, Gerardus comes de Diez, Symon comes de Sarbruche, Anselmus de Justingen marscalcus, Wernerus dapifer de Bollant, Conradus pincerna de Clingenberch et alii quamplures.

Signum domini Henrici Romanorum regis septimi.

Ego Cunradus vice domini Sifridi archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

Data apud Wormatiam, anno incarnationis dominice MCCXXIIII, VI idus januarii, indictione XII.

---

Apud Wormatiam, 8 januarii.

Henricus, Romanorum rex, ob praeclara obsequia universorum hominum de Wimpina, eis dat forestum suum apud Wollenberg in proprietatem, jure illo quod vulgariter dicitur Algemeine perpetuo possidendum.

(Edider. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XIV, p. 643. — Pistorius, *Amoenitates*, t. III, p. 692, in quo fac simile et sigilli effigies exhibentur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus Dei gratia

Romanorum rex et semper augustus. Dignum est et honestum ut a nobis beneficia percipiant desiderata qui in nostris et progenitorum nostrorum servitiis fideles et devoti semper sunt inventi. Quapropter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes multimoda et preclara obsequia fidelium nostrorum universorum hominum de Wimpina majorum et minorum, que nobis et progenitoribus nostris hactenus ferventer exhibuerunt et in posterum sunt exhibituri, de nostra et domini imperatoris patris nostri gratia damus ipsis forestum nostrum apud Wollenberg in proprietatem et jure illo quod vulgariter dicitur Algemeine (1) perpetuo possidendum et tenendum ad communem ipsorum utilitatem. Statuimus ergo et sub interminatione gratie nostre districte precipimus ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica sive secularis, predictos cives de Wimpina fideles nostros super eodem foresto molestare audeat vel impedire. Quod qui fecerit, indignationem et iram nostri culminis se sciat graviter incursurum. Ad hujus ergo donationis nostre robur perpetuum, presentem paginam exinde conscriptam sigilli nostri caractere jussimus insigniri.

Testes hujus sunt venerabiles Moguntinus et Coloniensis archiepiscopi, Conradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Rudolphus palatinus comes de Tuwingen, comes Wilhelmus de Tuwingen, Dietericus marchio de Hohenberg, Gerhardus comes de Dietz, comes Boppo de Henneberg, comes Hartmannus de Wirtenberg, comes Hartmannus de Dillingen, Wernherus dapifer de Bollandia, Wolframus de Lapide et alii quamplures.

Actum apud Wormatiam, anno ab incarnatione Domini MCCXXIII, VI idus januarii, indictione XII.

(1) Respondet latino *commune*, scilicet locus communis usus et juris. Cf. Gottlob Haltaus, *Glossar. German.*, sub voce.

---

Apud Hagenowe, 20 januarii.

Henricus, Romanorum rex, monasterio Sanctae Walpurgae in sacra sylva ab atavo suo duce Friderico fundato concedit ut pro necessitate salis navem unam habeat per alveum Rheni perpetuo sine aliqua thelonei exactione.

**(Ineditum et nunquam memoratum; ex originali in archivo praefect. Argentin., *Titres de Walbourg.*)**

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quibus hee littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Significandum vobis duximus quod nos ad commodum et proficuum monasterii Sancte Walpurge in sacra silva (1) ab antecessoribus nostris Romanorum imperatoribus et specialiter ab atavo nostro duce Friderico fundati et de bonis eorum magnifice ditati promptam habentes voluntatem, ad eorumdem progenitorum nostrorum imitationem, ipsi monasterio indulgemus et concedimus ut pro necessitate salis fratres ibidem Altissimo famulantes navem unam habeant per alveum Reni perpetuo descendentem et ascendentem in conductu nostro et protectione nostra, absque alicujus thelonei exactione. Mandamus igitur et sub interminatione gratie nostre districte precipimus ut nullus sit qui predictos fratres vel eorum nuntios super hujus nostre concessionis gratia molestare audeat vel impedire. Quod qui fecerit omnipotentis Dei iram et regie majestatis offensam se noverit graviter incurrisse.

Datum apud Hagenowe, XIII kalendas februarii, indictione XII.

---

(1) Hac sylva juxta Hagenoviam sita, licet nunc multo arctioribus terminis constringatur, in praecipuam redditiuum suorum summam civitas adhuc utitur.

---

Henricus, Romanorum rex, sculteto et universis civibus de Berno praepositum et conventum ecclesiae Interlacensis commendat defendendos contra violentias eisdem a Waltero de Eschenbach illatas. Apud Hagenowe, 24 februarii.

(Edit. in *Solothurn. Wochenblatt*, ann. 1827, n° 17, p. 154, et ap. Stettler, *Regest. der Klöster des kantons Bern*, in archive Schweizer., t. I, pars 2, p. 44.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis sculteto et universis civibus de Berno gratiam suam et omne bonum. Accedentes ad presentiam nostram apud Hagenowe dilecti fideles nostri prepositus et conventus ecclesie Interlacensis exposuerunt nobis et conquesti sunt quod Walterus de Eschenbach contra libertatem et indulta privilegiorum ipsorum in bonis suis eos aggravet et molestet, non defendendo et a bonis eorum exactiones indebitas extorquendo. Cum igitur gratia Dei, qui gloria nos et divitiis exaltavit, ratione patronatus commodis et utilitatibus ejusdem ecclesie providere debeamus, confratrum ibidem Deo militantium incommoda et adversa nostra reputantes, eorumque gravaminibus et injuriis condescendere cupientes secundum rationem et indulta privilegii coram nobis sepius repetiti, sepefatis fratribus et claustro vos constituimus defensores, mandantes universitati vestre et rogantes et sub interminatione gratie nostre districte precipientes quatenus prememoratam ecclesiam Interlacensem cum universis possessionibus suis mobilibus et immobilibus, et nominatim ecclesiam ejus de Steige (1), sub nostra et imperii recommendatam habeatis protectione, non permissuri, sicut de nostra confiditis majestate, quod prenominatus Waltherus vel alius quisquam in bonis suis damnum ei vel impedimentum aliquod audeat irrogare. Quod qui fecerit,

(1) Scilicet hodierno nomine *Gsteig*.

vos illud ex parte nostra districta vendicetis severitate, nec vos ipsi eos aliquatenus molestetis (1).

Datum apud Hagenowe, VI kalendas martii, indictione duodecima.

---

Hagenawe, 28 februarii.

Henricus, Romanorum rex, abbatissae et conventui sanctimonialium apud Hohenburg concedit ut officiati earum ubicumque residentes ab omni collecta sint exempti, sicut temporibus praedecessorum suorum hactenus exempti fuerunt.

(Edidit Wurdtwein, *Nov. subsid. diplomat.*, t. XIII, p. 267; rectius autem ex archivo praefect. Argentin., origin. *Trésor des Chartes*, ad ann. 1240, cum sit re ipsa 1224. Sigillum periit, remanentibus filis sericis viridis coloris.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Significamus vobis quod ad imitationem divorum progenitorum nostrorum, abbatissam et claustrum sanctimonialium de Hohinburc pia animadversione amplexantes, de pietatis nostre munificentia et consilii nostri plenissimo de (*sic*) consensu indulsimus ipsis ut universi officiati earum sive majores seu minores ubicumque residentes ab omni collecta et exactione liberi et penitus sint exempti, quemadmodum temporibus progenitorum nostrorum hactenus sunt exempti. Statuentes et sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nullus sit qui super hac

---

(1) Renuntiatio autem Waltheri continetur in quodam instrumento, *ibidem*, ann. 1828, p. 316; ut sequitur : « Notum fiat tam presentibus quam futuris quod dominus Waltherus de Eschibach in civitate Berne, confessus est quod jus advocatie in ecclesia Interlacensi ad ipsum non spectat nisi ex commissione regis Friderici, et hoc ad querelam capituli ejusdem ecclesie quod idem Waltherus gravare indebite nitebatur. Testes autem hujus rei sunt primo dominus Theto de Ravensburg in eodem loco judex domini imperatoris delegatus, deinde, etc. Actum est hoc anno Domini M. CC. XXIV, tertio nonas maii, regnante Friderico imperatore et rege Sicilie. »

nostra donatione et indnlgentia prefatas sanctimoniales molestare vel aliquatenns andeat impedire. Qnod qui fecerit nostre sublimitatis iram et indignationem se noverit incursurum. Ad hujus igitur nostre concessionis seu indulgentie robnr in perpetuum valiturum, presens scriptum sigillo nostro jussimus communiri.

Datnm apud Hagenawe, II kalendas marcii, indictione XII.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterium Omnium Sanctorum in Schwarzwald a duce Welfone et uxore sua Utha fundatum cum personis et rebus in sua protectione recipit, et eidem confirmat jus patronatus in ecclesia de Nusbach, hospitale Sanctorum Simonis et Judae atque hospitale Sanctorum Jacobi et Johannis apud Urluf. Haguenau, (februario.)

(Edider. Petrus, *Suev. ecclesiast.*, p. 655, cum erronee Friderico II documentum tribuat. — Hugo, *Ord. Premonstr. annal.*, tom. II, probat., p. 279.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Cum de pietatis abundantia divum imperatorum et regnm Romanorum excellentia traxisse feratur originem, majorem tamen adhnc Dei et hominum credimus adipisci favorem et gratiam, si ecclesiis et precipue locis devotis hoc conferimus quod nostra protectione gavisi Domino Deo possint enixius famulari. Inde est quod nos attendentes devotionem, honestatem atque prudentiam Waltheri dilecti prepositi nostri de monasterio Omninm Sanctornm, quod felicis memorie dux Welfo cum sua uxore Utha nomine in Schwarzwald fundaverunt, de suis proprietatibns pro sne suorumque animarum remedio dotantes, de nostra ei mnnificentia concedimns ut memoratum monasterinm cnm personis et rebns sibi attinentibus snb regali nostra protectione maneat a nnllo penitus infestandnm. Jus quoque patronatus in ecclesia de Nusbach [cum mancipiis utriusqne sexus et dote ceterisque bonis ad eam spectantibus, et hospitale beatorum Simeonis et Jude, hospitale quoqne beatorum Jacobi et Johannis juxta Urlofheim

cum omnibus justitiis et rationibus suis (a)], pietatis amore ducti, de nostra liberalitate taliter conferimus ut nullus omnino advocatus, scultetus vel alia licet nobilis persona ab eo aut a suis hominibus servitium exigat vel requirat. Preterea sicut dominus imperator Fredericus (b) serenissimus pater noster et rex Philippus patruus suus (c) ipsum monasterium in suo jure litterarum suarum privilegiis roborarunt, ita et nos divine remunerationis intuitu ea que nunc vel in posterum juste possidere poterit, ut illesa et intacta ab omnibus sub nostro dominio viventibus permaneant in speciali nostra protectione suscepta, sigilli nostri munimine confirmamus.

Testes autem sunt hi E. (d) archiepiscopus Coloniensis, C. cancellarius episcopus Spirensis, H. marchio de Baden, R. palatinus de Tubingen (e), H. de Niffe, comes de Dissa, et ceteri domini regis liberi et ministeriales.

Datum Hagenoe, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quarto, indictione [duo]decima (1).

---

Apud Wimpinam, 3 aprilis.

Henricus, Romanorum rex, una cum genitore suo, Friderico II imperatore, renunciat advocatiae monasterii Campidonensis, pro

(a) Locus iste uncis inclusus deest ap. Hugo; non suspectus tamen videtur. Cf. Boehmer., *Regest. Henrici (VII)*, p. 217, n° 52; qui tantummodo Hugonem memorat.

(b) Ap. Hugo *fratrum* pro *Fredericus*, male.

(c) Legitur ap. Petrum, sed male : *sicut beate recordationis Henricus imperator pater noster et rex Philippus patruus noster*.

(d) Ap. Petrum *C.*, ap. Hugo *H.*; ambo male.

(e) Ap. Hugo *Enwingen*, male.

(1) Legitur apud Petrum : *Datum Hagenoe, anno Dom.* 1224, et apud Hugo : *Dat. Hagenoe, anno Dom.* 1225, *indict. decima* : quod ita post Boehmerum correximus, licet perperam has notas chronologicas ut apud Hugo repertas indicet. Deest in duobus notatio mensis. Sed cum Conradus Spirensis episcopus hoc ipso anno mense martio decesserit, cujus successor vicesimo septimo die martii jam appareat, necesse fit ut circa februarium hoc quoque privilegium adscribamus. — Vid. infra, p. 796, not. 1.

quinquaginta marcis argenti annuatim camerae regiae persolvendis.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 123, nº DCLXVI, ex originali cujus sigillum periit, remanentibus tantum filis sericis albi et rubri coloris. — Pene in omnibus concordat cum diplomate Friderici secundi, ann. 1218, 18 septembris edito.)

Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Laudabile satis in principe genus humanitatis habetur, sed tunc laudabilius industria regnantis exercere genus pietatis agnoscitur, cum ecclesiis Dei et locis venerabilibus bona temporalia largiendo, caduca pro eternis, pro celestibus eterna provida liberalitate mereatur. Hac igitur ducti consideratione laudabili, diligentius attendentes fidem et devotionem tuam, H. venerabilis abbas Campidonensis dilectus (*sic*) fidelis noster, necnon religionem et honestatem sacri cenobii Campidonensis et fratrum ibidem Deo servientium, pro animabus divorum augustorum parentum nostrorum recolende memorie et salute nostra, de nostre munificentia majestatis damus, concedimus et imperpetuum confirmamus tibi, Heinrice, venerabili abbati, successoribus tuis et monasterio supradicto advocatiam Campidonensis monasterii quam predecessores nostri et nos hucusque tenuimus, et una cum karissimo genitore nostro F. serenissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, ipsi advocatie renuntiamus omnino. Concedentes vobis de cetero et monasterio sepedicto liberam potestatem de advocatia ipsa quicquid volueritis ad honorem et utilitatem monasterii faciendi; ita tamen quod tam tu quam successores tui et monasterium ipsum uno quoque anno in festo beati Andree quinquaginta marcas purissimi et examinati argenti camere nostre dabitis, omni difficultate remota. Statuimus igitur et presentis privilegii auctoritate mandamus ut nullus sit qui predictum abbatem vel successores suos aut monasterium ipsum contra hanc concessionem nostram impedire presumat vel aliquatenus molestare. Quod si aliquis ausu temerario presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ad hujus itaque rei memoriam et per-

petunm firmamentum presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostre majestatis jussimns communiri.

Hnjns rei testes sunt Siffridus episcopus Augustensis, Heinricus Wormaciensis episcopns, Heinricus imperialis anle prothonotarius, Gerhardus comes de Dieths, Berhtoldns de Drnchbnrc, Hermanns de Sulzberc, Heinricus de Rotenburc, Cuonradus de Durna, Berhtoldns de Alnvelt, Cuonradus pincerna de Scipfa, Cuonradns et Eberhardus pincerne de Winterstetin, Cuono de Ebersperc, Cnono et Albertus fratres de Sumerowe, Heinricus et Ulricus fratres de Schoenenecke, Siffridus et Heinricus fratres de Thunrsperc, Hermannus de Wâle, Fridericus camerarius de Bienbnrc, Walterus Nagillinns minister de Ulma et alii quamplures. (*Monogramma.*)

Datum apud Wimpinam, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo XXIIII°, tertio nonas aprilis, indictione XII°.

---

Apud Weingarten, 9 maii.

Henricus, Romanorum rex, scultetis et burgensibus suis de Uberlingen et de Ravensburg notum facit se domos et possessiones quas ibidem monasterium de Augia possidet ab omni exactione liberas esse velle.

(Inedit. ex libro pactorum monasterii Augiensis (*Vertragbuch des klosters Weissenau*) manuscripto in archivo Stuttgartensi.)

Hainricus Dei gratia Romanorum rex et semper angustus, scultetis et burgensibus suis de Uberlingen et de Rafenspnrg gratiam suam et omne bonnm. Cum universis religiosis regie clemencie aurem accomodare velimus, monasterium tamen de Augea quod sub alis nostris vicinius situm et ab avitis snccessoribns nostris noscitur fundatum, specialibus volumus gaudere privilegiorum indulgenciis. Noverit ergo universitas vestra quod domos seu quascunque possessiones jam dicti monasterii in Uberlingen et in Rafenspurc vel in suburbiis eorundem locorum sitas, quas

in presenciarum possidet, a talliis seu a quocunque exactionis genere volumus esse liberas et emancipatas.

Datum apud Wingarten, anno Verbi incarnati M.CC.XXIIII, VII ydus maii.

---

Anno Domini MCCXXIV, Heinricus junior rex circa medium maium Frankinvort curiam habuit; ubi nuncii imperatoris cum litteris ipsius affuerunt (1). Godefr. Colon., *Chronic.* ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 355. Frankinvort, circa medium maium.

---

Henricus, Romanorum rex, abbatem et conventum de Aulisburg, qui apud se querimoniam deposuerant super violentias a comite Wernero de Battenberg ipsis illatas, in sua speciali protectione recipit. Frankinvort, 20 maii.

(Memorat. et extr. ap. Wenck, *Urkundenb.*, t. III, p. 89.)

Datum Frankinvort, anno Domini MCCXXIV, XIII kalendas junii, in dictione XII.

---

Henricus, Romanorum rex, notificat sententiam in solemni curia sua latam : quod quicumque argentum vendere voluerit, ad monetam illud debeat praesentare, nisi quis in peregrinatione proficisci voluerit. Frankenfort, maio.

(Edider. Schannat, *Hist. Wormat.*, p. 117. — Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 302.)

---

(1) De hac curia vide supra, p. 441 et not. 2.

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Ad notitiam omnium presens scriptum intuentium pervenire volumus quod, dilecto principe nostro Heinrico Wormatiensi episcopo requirente, coram nobis in solempni curia nostra Frankenfurt sententiatum est quod quicumque argentum vendere voluerit, ad monetam debeat illud presentare nec ad nundinas nec alias illud presumat deferre; sed si in peregrinatione aliquis proficisci voluerit, liberum habeat arbitrium secum quantum voluerit deferendi. Si vero aliquis contra hanc sententiam veniens argentum extra civitatem deferre presumpserit, Wormatiensis episcopus potestatem habebit plenariam illud auferendi et nullo modo restituendi.

Hujus rei testes sunt dominus Coloniensis archiepiscopus, dominus Trevirensis archiepiscopus, dominus Augustensis episcopus, dominus Spirensis electus (1), abbas Fuldensis, abbas Hersfeldensis, abbas de Wissenburg, dux Bavarie, landgravius Thuringie, comes de Dyztes, et alii quamplures tam comites quam nobiles.

Datum Franckenfurd per manum prothonotarii, anno Domini MCCXXIV (2), indictione XII, [mense maio].

---

Frankenfort, [maio.]

Henricus, Romanorum rex, pro gratis et acceptis servitiis Gerardi comitis Gelrensis, de mandato imperatoris patris sui et consilio principum, theloneum quod ipse comes et pater ejus ab imperio apud Arnheim tenebant in feodo ad villam Lobith Trajectensis dioecesis transferendum indulget.

---

(1) « Cunradus episcopus sive cancellarius de Scharphenberc mortuus est. Isti successit » Berngerus de Entringen anno Domini MCCXXIIII, sexto kalendas aprilis (27 mart.).» *Annal. Spirens.*, ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 158.

(2) Ad ann. 1234 Schannat et Pertz se referunt. Correxit tamen Boehmerus ex libro copiali Wormatiensi in archivo Darmstad. circa ann. 1400 conscripto, ubi legitur MCCXXIV; quod optimo testibus hic nominatis convenit.

(Edid. Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 64, n° 118, ex cartular. ducat. Gelrens., n° 108. — Coll. cum Redinghofens MSS. in München, t. X, p. 2.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus. Regiam nostram condecet majestatem ad illos gratie nostre favorem promptius extendere, qui nostris fidelius insudantes obsequiis ad ea se studio gerunt promptiori que ad nostri honoris conducunt augmentum. Quapropter noverint tam presentes quam futuri quod nos Gerardo comiti Gelrensi dilecto et fideli nostro, cujus fidei puritatem dominus noster imperator pater noster et nos sepius circa promotionem imperii Romani sumus experti, quique sibi in sue exaltationis primordio sub rerum et terre sue magna jactura preclara et multimoda exhibuit servitia, de ipsius patris nostri mandato, consilio et assensu principum, theloneum quod Otto pater suus et ipse ab imperio apud Arnhem tenebant in feodo indulsimus ad villam que Lobede dicitur Trajectensis diocesis transferendum, quatinus illud ibidem ipse et sui heredes ad commodum et utilitatem suam percipiant et perpetuo possideant jure feodali. Ut ergo hoc factum nostre celsitudinis a nobis et successoribus nostris firmum servetur et inconvulsum, presentem paginam in hujus rei evidentiam et firmitatem conscribi fecimus et nostre serenitatis sigillo communiri; statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter precipientes ne aliqua ecclesiastica seu mundana persona huic nostre concessioni temere presumat contraire.

Hujus rei testes sunt Sifridus Maguntinensis archiepiscopus, Engelbertus archiepiscopus Coloniensis, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Theodericus Herbipolensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Henricus Wormatiensis episcopus, Fridericus (1) abbas Prumensis, Ludewicus dux Bavarie et palatinus comes Reni, Ludewicus landgravius Turingie, Hermannus marchio de Baden, Gerardus comes de Dietz, Dietherus comes de Katzenellebogen, Hermannus comes de Waldenberg, Henricus et Robertus comites de Nassow, Henricus comes de Seyne,

(a) In Redinghofens MSS. *Henricus*, quod rectius censemus.

Adolphus comes de Marchia, Henricus de Monyoy (a), Gerlacus de Budingen, Bernardus de Hurstmar, Burchardus burchgravius de Qwerenvorde, Hermannus de Molenarche (b), Anselmus imperialis aule senescalcus, et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Frankenfurt, anno gratie M.CC.XXIIII, indictione XII.

---

4 julii. Forma primae compositionis initae super liberatione Waldemari Danorum regis a carcere quo per comitem de Schwerin tenebatur.

(Edit. ap. THORKELIN, *Diplom.*, t. I, p. 289, et SCHEID, *Orig. Guelfic.*, t. IV, praefat. p. 48.— Rectius autem in *Cod. diplomat. Lubec.*, t. I, p. 29, n° XXVI. Unde tantum quid ad rem nostram pertineat deprompsimus.)

Hec est forma liberationis domini regis Waldemari et filii ejus, presentibus magistro Hermanno domus Teutonicorum et aliis nunctiis imperii. Dominus rex promisit quod accipiet crucem iturus in subsidium Terre Sancte. [Sequuntur conditiones admodum regi graves, inter quas restitutio terrae Transalbinae et homagium imperio pro regno Daciae faciendum.] Item in festo Nativitatis beate Virginis proxime venturo dominus rex Romanorum et principes imperii Barduvic curiam celebrabunt ad ea diffinienda que superius dicta sunt; et ut hec rata habeantur et inviolabiliter observentur, subscripti juraverunt, et in fide promiserunt. [Sequuntur nomina jurantium, scilicet pro parte regis et pro parte comitis Henrici de Schwerin.] Hec promissiones et juramenta sub tali conditione facta sunt ut si dominus rex Romanorum et principes imperii ea que supra dicta sunt voluerint adimplere, supradicti promissores ad hec omnia teneantur. Si vero principes noluerint adimplere, jamdicti promissores ad hec observanda minime tenebuntur, ita quod a juramentis et promis-

(a) Scilicet *de Montjoie*.
(b) Rectius autem *de Müllenark*.

sionibus sint penitus absoluti. Nuntii imperii, dominus Bernardus de Horstmare, comes Hermannus de Woldenberch, Guncelinus imperialis aule dapifer, dapifer de Waltpurch, dapifer domini Coloniensis archiepiscopi, promiserunt in fide quod modis omnibus et bona fide studebunt ut ea que supra dicta sunt principes prosequantur; et hoc idem magister domus Teutonicorum facturum se dixit.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice MCCXXIIII, mense julio, IIII nonas julii, indictione XII.

---

Henricus, Romanorum rex, confirmat sententiam a principibus imperii ad requisitionem Salzburgensis archiepiscopi latam, scilicet quod nulli liceat aliquem in mercimoniis suis deportandis seu negotiationibus faciendis impedire.

Apud Nurnberg, 23 julii.

(Edider. KURZ, *Oestreich unter Ottocar*, t. II, p. 213. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 569.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus Dei gracia Romanorum rex et semper augustus in perpetuum. Constitutus in presentia nostra apud Nurnberg in curia nostra sollempni, presentibus imperii principibus, videlicet Coloniense, Treverense archiepiscopis, Metense, Ratisponense, Pataviense, Frisingense et Augustense episcopis, Bavarie et Austrie ducibus et aliis imperii magnatibus, dilectus et fidelis noster princeps venerabilis Salzburgensis archiepiscopus per sententiam requisivit an hominibus alicujus iter et actus et via in stratis regalibus et publicis, quoad mercimonia sua deportanda et alias negotiationes faciendas, a domino terre vel a quoquam alio valeat vel debeat interdici. Dictavit igitur sententia principum quod illud nulli liceat, nec aliquis debeat aliquod in suis commerciis et negotiationibus impedire. Nos igitur dictam sententiam de communi consensu principum rationabiliter latam

confirmamus auctoritate regali, et instrumento presenti nostrique sigilli munimine roboramus.

Datum apud Nurnberch, anno Domini MCCXXIV, indictione XII, decimo kalendas augusti. Amen.

---

Nuremberg, 23 julii.

Henricus, Romanorum rex, in praesentia principum imperii, Eberhardum archiepiscopum Salzburgensem denuntiat absolutum ab impetitione Bertholdi comitis de Graifesbach super possessione castri et redituum in Matrei.

(Memorat. et partim edit. ap. Kleinmayr, *Nachricht. von Juvavia*, p. 364, et ap. Chmel, *Notizenblatt für Oesterreich. geschichte*, regest. Liupoldi ducis, n° 126; ex MSS. cui titulus *Geheim. hausarchiv. Salzb. Kammerbucher.*)

[Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, etc.] Cum essemus apud Nuremberch in sollempni curia constituti, presentibus talibus imperii principibus, videlicet Coloniensi [et] Trevirensi archiepiscopis, Meteusi, Ratisponensi, Pataviensi, Frisingensi, Augustensi episcopis, Bavarie et Austrie ducibus et aliis imperii magnatibus, Bertholdus comes de Graifesbach contra dilectum et fidelem principem nostrum Salzeburgensem archiepiscopum Eberhardum proposuit coram nobis quod ipsum a possessione castri et reditnum in Matrei, que ad se pertinere dicebat, ejecerit violenter, ante litis ingressum se restitui postulando. Ad quod predictus archiepiscopus, post multas exceptiones per quas volebat judicium declinare, respondendo proposuit ex adverso quod olim apud Augustam coram dive recordationis Philippo Romanorum rege, presentibus principibus in curia sua solempni, ab eodem comite in eumdem modum et super eodem conventus fuit, et per advocatum ejusdem comitis similia omnino proposita fuerunt contra ipsum; et demum de communi et concordi sententia principum a tali petitione comitis supradicti fuit dic-

tante justitia et judicialiter absolutus. Quod per testes omni exceptione majores coram nobis plenissime comprobavit. Unde predictum archiepiscopum reputamus et denuntiamus ab impetitione predicti comitis absolutum, eidem comiti super his perpetuum silentium imponentes, etc.

Datum apud Nurenberch, anno Domini M° CC° XXIV°, indictione XII, decimo kalendas augusti. Amen.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterium de Cella Sanctae Mariae Misnensis dioccesis cum hominibus et possessionibus ejus in sua protectione suscipit, eique confirmat quicquid a ministerialibus imperii adipisci poterit. Nuremberg, 23 julii.

(Edider. Schlegel, *De cella veteri* Ἀποσπασμάτιον (Dresden, 1703), p. 45. — Knauth, *Hist. von Altenzell*, t. VIII, p. 56. — Schultes, *Director. diplomat.*, t. II, p. 590.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, Celle Sancte Marie in perpetuum. Ad hoc divina disponente providentia ad regni gubernacula nos credimus sublimatos ut servorum Dei in temporalibus subsidiis utilitatibus regia liberalitate consulamus, et propensiori cautele diligentia privilegiorum nostrorum confirmatione prospiciamus. Inde est quod omnibus imperii fidelibus constare volumus quod nos petitioni domini abbatis et fratrum de Cella Sancte Marie Cisterciensis ordinis, Misnensis diocesis, satisfacientes, ob reverentiam intemerate Virginis Deique Genitricis Marie, monasterium ipsum cum omnibus hominibus et possessionibus quas in presentiarum canonice possidet et in futurum justis modis poterit adipisci, in nostram et imperii protectionem et speciale patrocinium suscipimus et bona ipsa cum suis pertinentiis imperiali auctoritate confirmamus. Insuper et pro remedio anime nostre parentumque nostrorum ac successorum nostrorum imperatorum ac regum, hanc eis gratiam et licentiam

indulsimus ut quascumque possessiones, in agris videlicet, vineis, pratis, silvis, aquis, stagnis, pascuis, terris cultis vel incultis, a quacumque persona libera sive ministeriali imperii, titulo donationis, emptionis, sive concambii idem monasterium de bonis imperii sive de proprietatibus fidelium imperii obtinuerit, non requisito super hoc speciali assensu imperii, licenter recipiat et nostre majestatis auctoritate in perpetuum sine omni prorsus contradictione quiete possideat. Ut autem hec nostra donatio rata et inconvulsa in perpetuum valeat permanere, presentem paginam exinde conscriptam sigilli nostri appensione fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt venerabilis pater Conradus Portuensis et Sancte Rufine episcopus Apostolice Sedis legatus, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Gebehardus episcopus de Bazzow (Passau), Siffridus episcopus de Owesburch (Augsburg), Lodewicus dux Bavarie, Lodewicus langravius Thuringie, Conradus prefectus de Nurimberch, Gerhardus comes de Dits, magister Hermannus de domo Theutonica, Anshelmus marscalcus de Justingen, Heinricus dapifer regis, Ludolphus de Allerstede, Rudolphus pincerna langravii (a), Albertus Smeline, Cunradus de Steinbach, Ulricus de Maltiz, et alii quamplures.

Acta sunt hec in Nurimberch, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo XXIIII, indictione XII, X kalendas augusti, feliciter. Amen.

---

Nuremberg, 25 julii.

Henricus, Romanorum rex, ecclesiis Staingaden et Raitenbuch nec non G. de Crozoch fideli suo extirpationem nemorum, tam ad ipsas quam ad regem spectantium, exprobrans, Augustensi episcopo mandat, ut per praepositum de Moringen aedificia nova ibi constructa destruat; qui ambo, assumtis officiatis regis de Scongov et Buren, de causa cognoscant, et nemora in meliorem cautelam committant.

(a) Scilicet *de Varila*, si fidem adhibeamus parenthesi quae apud Schlegel inseritur.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. VI, p. 514, et memorat. *ibidem*, t. XXX, pars 1ª, p. 125. Sigilli a tergo appressi, quod ope segmenti membranacei adstrictum erat, non nisi pars minuta restat.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, dilectis sibi de Staingadem et Raitenbuch prepositis et conventibus ipsorum gratiam suam et omne bonum. Intelligimus quod infra nemora vobis adjacentia que tam ecclesiis vestris quam nobis pertinent, magnas insolentias exercueritis, ea supervacue precidendo et exstirpando, novalibus in eis per vos constructis et casalibus locatis et a fidele nostro G. de Crozoch; insuper quod de terminis ipsorum nemorum indecenter litigare presumatis. Quocirca dilecto et familiari principi nostro Augustensi episcopo injunximus ut omnia casalia et horrea aut quelibet edificia in eis tam per vos quam per predictum G. constructa penitus destrui et incendio consumi, removendo ab eis inhabitantes, faciat per fidelem nostrum prepositum de Moringem, cui id strictius dedimus in mandatis. Precipimus etiam ut ipse episcopus et prepositus noster, assumptis intra viciniam ipsam officiatis nostris de Scongov et Buren et aliis quos viderint expedire, vobis convocatis, de ea lite ipsi cognoscant et fine debito terminent, utriusque ecclesie jus suum et nobis nostrum exprimendo et nemora ipsa in meliorem cautelam committendo. Mandamus igitur vobis sub pena gratie nostre precipientes ut jamdicto episcopo et preposito in hiis per omnia sitis obedientes : scilicet quod quicquid inter vos duxerint statuendum, si quis tam capitum quam membrorum et mancipiorum in hiis rebellis fuerit, ipsum ab ipsis removendum ecclesiis ordinabimus et pena debita puniendum.

Datum apud Nuremberch, VIII kalendas augusti, indictione XIV (1).

(1) Sic, sed scriptoris sive typographi oscitantia. Quum enim editores Monumentorum Boicorum ipsi moneant indictionem indicatam anno Chr. 1224 respondere, indictionem XII in originali quod describunt recte notari arbitramur.

---

Apud Coloniam, 14 augusti.

Johannes, rex Ierosolymitanus, divertens versus Teutoniam ad Heinricum regem filium imperatoris et cum eodem Coloniam profectus, ab Engilberto archiepiscopo et tota civitate in vigilia Assumptionis beatae Mariae cum magno honore et gaudio suscipitur. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER., *Fontes,* II, 356.

---

Apud Susatum, 9 septembris.

Henricus, Romanorum rex, permutationem praedii ab ecclesia de Rumbike cum ecclesia Corbeiensi factam ratam habet et confirmat, eamdemque ecclesiam de Rumbike sub speciali sua protectione recipit.

**(Edit. ap. J. GUIBERT-SEIBERTZ, *Urkundenbuch des Herzogthums Westfalen* (Arnsberg, 1839), pars 1ª, nº 176, ex origin. in archiv. Rumbeckensi.)**

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis ad quos presens scriptum pervenerit gratiam suam et omne bonum. Predium in Lo quod ecclesia de Rumbike ab ecclesia Corbeiensi per commutationem predii in Pustesne partibus placitam obtinuit, permutationem eandem ratam habentes, ecclesie in Rumbike confirmamus; ipsam cum dicto predio et aliis bonis licite aquisitis et in posterum aquirendis sub speciali protectione nostra recipientes.

Datum apud Susatum (1), quinto idus septembris, anno Domini MºCCºXXIIIIº, indictione duodecima.

---

(1) Scilicet *Soest*, civitas Westphaliensis, in comitatu Marchiae.

---

Henricus, Romanorum rex, ad interventum Engelberti Coloniensis archiepiscopi, feodaliter porrigit comitatum de Emsgau et quaedam alia feoda nobili dominae Sophiae, uxori comitis Ottonis de Ravensburg. Herworden, 20 septembris.

(Edider. KINDLINGER, *Münster. Beitrage*, t. III, p. 158.—NIESERT, *Beitr. zu ein. Münster. Urkundenb.*, pars 2a, p. 420, ex originali in arch. cathed. Monast., unde pendebat sigillum cereum filis sericis flavi et rubri coloris. — Extat quoque, sub abbreviata vero forma, in arch. Berol., *Regest. chronol. diplom.*, t. II, fol. 188-24.)

In nomine sancte et iudividue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus hoc scriptum intuentibus gratiam suam et omne bonum. Temporum et annorum incessabili revolutione et eorum crescente numero facta quelibet labili mortalium elongantur a memoria, nisi stabilita litterarum artificiali fulciantur firmamento. Unde principibus summe necessarium est et honestum quecumque coram ipsis solempniter fiunt et diffiniter pertractantur scripto committere, ut omnis dubitatio posterorum utili extirpatione facilius adnichiletur. Discretioni igitur tam futurorum quam presentium sane providere curantes, manifeste declaramus quod nos apud Herevordiam constituti et iter nostrum versus Albiam dirigentes, interveniente felicis recordationis (1) Enkelberto Coloniensi archiepiscopo dilecto ac fideli nostro, nobili domine Sophie uxori comitis Ottonis de Ravensberg feodaliter porreximus comiciam in Emesgovia, curiam in Lage, curiam in Borcen et in attinentia, monetam in Emethen, thelonium in Emesa, monetam et thelonium in Lunne, in Vegte, in Bilevelde, in Vlotowe, et omnia feoda que predictus comes O. ab imperio et antecessoribus nostris et nostra manu tenebat et quiete possidebat.

---

(1) Haec notanda mentio, quae nunquam nisi de defunctis fieri solet.

Acta sunt hec anno gratie MCCXXIV, XII kalendas octobris. Ne quis vero prefate domine Sophie in hoc facto malignari possit, presentem paginam sigilli nostri appensione et testinm annotatione fecimus communiri.

Interfuerunt autem Enkelbertus archiepiscopus, dux Walraveus (a) et Heinricus filius ejus, Gerhardus de Wassenberge, comes Gerhardus de Theiz (b), comes Adolphus de Altena, comes Godefridus de Arnesberge, Hermannus advocatus Coloniensis et filius ejus, dapifer de Woltburg (c), Gerlacus de Bodinken, Hermannus de Alvetere, Hermannus de Lon, Godeschalcus de Lon, Reinoldus de Ressen, Swetherus de Dinkethen, et alii quamplures nobiles et ministeriales.

---

[Exeunte septembri.] Heinricus rex, imperatoris filius, curiam Bardewich habuit pro regni negotiis et maxime pro liberatione regis Danorum, adducto secum Coloniense archiepiscopo Engelberto; sed nihil profecit (1). Albert. Stad., *Chronic. ad ann.* — Albertus comes de Urlemunde filius sororis ipsius regis et barones Daciae hanc compositionem reprobantes (2) et ea quae promissa erant cassantes, ascensis na–

(a) Scilicet *Walramus de Limburg*.

(b) Scilicet *de Dietz*.

(c) Rectius *de Waldburg*, sicut in sequenti documento.

(1) « Dur dat gedinge vor koning Heinric.... mit grotem here des andern iares to sente » Michelis (29 septemb.) missen na des koninges vangnisse to Bardewic (Luneburgum inter et » Hamburgum), dannen voren se to Blekede. Greve Albrecht van Lovenburch unde de Denen » lagen oc un anderhalf des Elve mit eneme groten here. Dat gedingede ne volging nicht, » wande de koning unde de Denen braken ere lovede. Des karde de koning Heinric weder. » *Chronic. Luneb.* ap. Eccard, *Script.*, I, 1403.

(2) Hanc videlicet quam supra memoravimus. Vid. p. 798. Idem iste comes post Natale Domini, ut monet Godefridus Coloniensis, Heinricum comitem de Schwerin aggredi statuit; et pugna commissa cum magna animositate et multorum sanguinis effusione, ab hora diei prima usque ad vesperam dimicatum est. Albertus etiam ab Henrico cum pluribus nobilibus captus et in castrum Dannenberg ad avunculum suum perductus, ibidem custodiae mancipatus fuit. Cf. *Hist. imperat.* ap. Mencken, III, 122.

vibus cum indignatione recesserunt, infinitam pecuniam quam ad redimendum regem attulerant secum deferentes. Unde praedicti principes infecto negotio confusi discesseruut. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, II, 356.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterium Poeldense cum possessionibus ejus in sua speciali protectione recipit, eique bona confirmat quae a ministerialibus imperii adipisci poterit. In castris apud Bickede, 10 octobris.

(Edider. LEUCKFELD, *Antiq. Poeld.*, p. 44, nota *c*. — HUGO, *Annal. Premonstr.*, t. II, p. 387.)

Heinricus VII Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Apud regem regum adqne utriusque vite felicitatem nobis prodesse non ambigimus quotienscumque personis religiosis in suis petitionibus favorabiles exstiterimus et augmentare curaverimus loca diviuis obsequiis mancipata. Quapropter nniversis imperii fidelibns tam presentibus quam futuris dnximns declarandum quod attendeutes honestatem mouasterii de Pfolde et religiouem fratrum ibidem Deo famulautinm, recepimus ipsum mouasterium cum omnibus bonis suis sub specialem nostram et imperii protectiouem, confirmautes ei universas possessiones quas in presentiarum obtinet qnasve in posterum, Domino concedente, acquisitionis titnlo fuerit adeptum. De abundautiori quoque gratia et clementia nostra qua idem mouasterium complectimur, concedimus et iudulgemus ei ut . . . . . atque de bonis imperii, sive ministerialis fuerit sive liber homo, que a nobis atque imperio tenet potestatem aliquam, sive vendere vel etiam pro remedio anime sue dictis fratribns douare voluerit vel quocumque alio modo alienare, libere id facere possit et absque conseusus nostri requisitioue; bona omnia que sepedictum monasterium et fratres ipsius taliter adepti fuerint, perpetua ipsis stabilitate confirmantes. Statuimus igitur et regio edicto firmiter saucimus ut nulla nnquam persona

humilis vel alta, ecclesiastica sive secularis, ausa sit contra hanc nostram concessionem venire vel eam in irritum revocare sive fratres in aliquibus bonis eorum molestare. Quod qui facere presumpserit, omnipotentis Dei iram et nostre majestatis gravem offensam se non dubitet incurrisse. Ad hujus etiam rei perennem memoriam hanc paginam conscribi jussimus et sigillo nostro communiri.

Testes hujus rei sunt Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Thiedericus Trevirensis archiepiscopus, Gerbardus Bremensis archiepiscopus, Engelhardus Nuenburgensis episcopus, Eckhardus Mersburgensis episcopus, Conradus Hildesemensis episcopus, Fridericus Halverstadiensis episcopus, Theodoricus Monasteriensis episcopus, Engelhardus Osnabrugensis electus, Ludovicus landgravius Thuringie, Waleramus dux de Limpurc, comes Gerhardus de Dietz, comes Henricus de Lutterberg, comes Hermannus de Hartisburc, comes Heidenricus frater ipsius, comes Henricus de Zwerin, comes Volradus de Tanneberc, Bernhardus de Horstmaria, Gunzelinus dapifer de Wolfterbüttel, Eberhardus dapifer de Walpurc, Conradus pincerna de Winterstetin, Fridericus camerarius de Bienburc, Dietho de Ravensburc, et alii quamplures.

Datum apud Blekede (1) in castris, anno ab incarnatione Domini M. CC. XXIV, VI idus octobris (2), indictione XIII.

---

[Octobri circiter.] Henricus, Romanorum rex, donationem ab Henrico duce Saxoniae monasterio Walkenriedensi factam, pro sua haereditatis portione quam a marchione Badensi ejusque conjuge emit, confirmat.

(Edid. Scheid, *Origin. Guelf.*, tom. III, p. 701, n° 213, ex cop. vidimata ann. 1421, in qua inseruntur quoque donatio Henrici ducis et confirmatio

(1) Ad sinistram Albis ripam, non procul a Boitzenburg, versus meridiem.

(2) Legitur in impressis *VII kalendas octobris* (25 septemb.); ita vero correxit Boehmerus ex chartulario Poeldensi apud Hannoveriam asservato; quod rectius quoque censemus.

**Ottonis Pueri, sub ann. 1225. Videtur autem privilegium Henrici regis, licet sigillum describatur, non plane sub hac forma authenticum, neque credimus de verbo ad verbum in hoc transumpto ex originali fuisse transcriptum.)**

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus in perpetuum. Quoniam labente tempore labuntur omnia, succurrendum est rebus labentibus ut per eternam vivant memoriam et viventium testimonio roborentur. Hinc est quod notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod dilectus noster consanguineus Heinricus dux Saxonie bona patrimonalia hiis nominibus expressa : Kemenaden, Helekenroth, Immedeshusen, Walmedehusen, et silva Pandelbeke, libera et absoluta cum assensu eorum qui jure feodali ea quondam occupaverant, memorato (1) monasterio Walkenrijde tradidit in perpetuum possidenda, secundum quod in littera ipsius ducis plenius continetur; et nos, nomine nostro et serenissimi patris nostri Friderici Romanorum imperatoris et semper augusti, portionem ejusdem hereditatis, que nos titulo emptionis facte a marchione de Baden et sua conjuge spe vel re per successionem hereditariam contingit vel contingere poterit, ab omni jure advocationis eidem monasterio Walkenriiden donavimus liberam et immunem.

Testes hujus rei sunt Engelbertus Coloniensis [archi]episcopus, tutor regni, palatii primicerius, Sifridus Moguntine sedis archiepiscopus, Conradus Hildensemensis episcopus, Otto dux in Luneborg, Sifridus comes in Blankenborg, Heinricus et Hermannus comites in Waldenberg, comes Ludigerus de Insula; ministeriales (2) : Jordanis dapifer, Willikinus marscalcus, Baldewinus de Dalem (a), Bertramus de Velthem, Burkardus de Wulferbutle.

Acta sunt hec anno incarnationis Domini M° CC° XXVI° (3), Romane

(a) **Rectius tamen, ut videtur, *de Dalheim*.**

(1) Nondum tamen in hac ipsa charta nominatum. Unde altera quoque dubii causa oritur.

(2) Scilicet Henrici Saxoniae ducis; qui omnes, excepto tantum Bertramo de Velthem, in instrumento donationis ab isto factae testes adsunt; cf. *ibidem*, n° 211.

(3) Cum tamen Engelbertus Coloniensis archiepiscopus testis sit, qui septimo novembris

ecclesie presidente Honorio tertio, imperante domino Friderico, regnante secum domino Heinrico filio ipsius illustri Romanorum rege.

---

Apud Francfort, 12 novembris.

Henricus, Romanorum rex, in protectione sua suscipit Bertam abbatissam de Gandersheim et ecclesiam ejus, statuens ut decedenti abbatissae quae successerit in possessione bonorum mobilium nullomodo turbetur.

(Edider. LEUCKFELD., *Antiq. Gandersheimenses*, p. 237, not. oo.— LUNIG, *Reichsarchiv*, tom. XI, p. 824. — HARENBERG, *Histor. Gandersh.*, p. 760.)

Henricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod accedens ad presentiam nostram domina Bertha venerabilis abatissa de Gandersem et regalium a nobis recipiens investituram, a majestate nostra humiliter postulavit et devote ut eam et ecclesiam suam in nostram et imperii nostri dignaremur recipere protectionem et absolvere a gravamine et inquietatione illa, qua omnes abbatisse eam precedentes in reliquiis mobilium abbatissarum morientium molestate extiterint. Nos igitur predicte abbatisse justis postulationibus annuentes, ecclesiam Gandershemensem cum omnibus bonis suis sub nostram et imperii specialem recipimus protectionem; statuentes firmiter ut nec ipsa post decessum suum nec aliqua abbatissarum post eam decedentium super rebus mobilibus quas dimiserunt graventur, sed abbatisse succedentes et ecclesia Gandershemensis cum omni remaneant integritate, nec proinde a nostris et imperii nunciis ecclesia vel abbatissa aliquo tempore conveniatur. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam presentem exinde cartam conscribi jussimus et sigilli nostri munimine roborari.

---

anno 1225 occisus fuit, necesse est ut ad priorem annum retrocedamus. Nominibus vero testium inducimur ut hoc privilegium ad idem tempus referamus quo rex circa partes Saxoniae inferioris morabatur.

Testes hi sunt Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Diopoldus marchio de Homburch, Gerhardus comes de Dietz, Harratradus de Merenberg, Eberhardus dapifer de Walpurg, Conradus pincerna de Schipffen, Fridericus camerarius de Bienburg (a), Marquardus notarius, et alii quamplures.

Datum apud Franckenfurt, anno dominice incarnationis MCCXXVIII, II idus novembris, indictione XIII (1).

---

Dominus cardinalis Conradus Tullum venit in octavis beati Martini (2) cum Coloniensi et Moguntinensi archiepiscopis et cum imperatoris filio rege Henrico et majoribus et proceribus Alemanniae. Rex quoque Franciae Ludovicus cum suo consilio fuit in eodem confinio apud castrum Vallis-Coloris. Et sequenti die utriusque regni consiliatores in unum convenientes congruum colloquium ad invicem habuerunt (3). ALBERICI TRIUMFONT., *Chronic. ad ann.* 1224, p. 514. Apud Tullum, 11-18 novembris.

(a) Testium nomina foede corrupta sic correximus.

---

(1) Notae chronologicae inter se non concordant, quum Leuckfeld et Lünig ita referant, Harenberg vero annum 1228 et indictionem VII exhibeat. At in qualicumque casu annus 1228 non admitti potest, majoremque fidem indictioni tertiae decimae adhibemus; quae etiam ita notata invenitur in copia anni 1549 apud Wolfenbüttel.

(2) Scilicet ab undecimo die novembris ad octavum decimum ejusdem.

(3) Foedus cum imperio adversus Anglos ineundum rex Francorum in proposito habebat. Obstitit tamen archiepiscopus Coloniensis, qui propter mercimoniorum vincula inter Anglos et Germanos jam dudum assueta, Anglis se proniorem exhibebat. Vid. infra epistolam Carleolensis episcopi ad regem Angliae, circa medium februarium 1225.

---

Apud Tullum, 17 novembris. Henricus, Romanorum rex, Henricum abbatem et conventum Gemblacensem cum omnibus hujus ecclesiae bonis in sua protectione suscipit, eisque immunitates et privilegia ibidem expressa confirmat.

(Edid. Foppens, *Supplem. ad opera diplomat. Aub. Miraei*, t. IV, p. 231, ex chartulario abbat. Gemblac., quod apud Bruxellas inspeximus.)

In nomine sancte et individne Trinitatis. Henricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Pie postulatio voluutatis effectu competit congruo prosequente compleri, qnatenus et fidelis intentio laudabiliter elncescat et utilitas desiderata dignum desiderio capiat incremeutum. Ea propter tam futuris qnam presentibus Christi fidelibus volumus esse cognitum qnod nos dilectorum Henrici abbatis et conventus ecclesie sue Gemblacensis precibus iucliuati, Gemblaceusem ecclesiam cum omnibns bonis ad ipsam pertinentibus in regiam protectionem suscipimns et preseuti privilegio communimus. Privilegia a nostris predecessoribus regibns et imperatoribus eidem rationabiliter collata cenobio innovavimus et confirmavimus; authoritate regia statuentes ut ab omni jure et subjectione secularis dominii ipsum monasterium peuitus [sit] absolntum, et libertatis prerogativam presenti privilegio obtiueat iu perpetuum valituro. Advocatum quoque sub mann ac potestate regia tali couditioue habeat ut idem advocatus a rege secundus existeus unum tantum sibi substituat in ejusdem ecclesie prediis advocatum, neque unquam in quartam mannm transeat advocatia. Porro subadvocatus in villis ad abbatiam pertinentibus nichil juris habeat, nisi per singulos auuos deuarium unnm probate monete de unaquaque domo et gallinam unam et avene sextarium nnnm. Nec licebit ei precarias, hospitatioues aut obsonia vel aliqna servitia imperare aut exigere, nec aliquo imperaudi genere colonos monasterii ipsius vexare. Concessimus etiam ut post obitum Henrici vene-

rabilis ejusdem cenobii abbatis, liberam habeant monachi potestatem eligendi abbatem de suo collegio aut aliunde, ubicumque eis melius visum fuerit. Similiter et advocatum libere eligant qui ecclesie possessiones auctoritate regia prudenter defendat. Tradidimus etiam eis potestatem faciendi castella atque munitiones circa locum Gemblos; nundinas publicas et monete percussuram cum banno eis libere habere liceat, et loci ipsius habitatores nec in civitate nec in villa nec super aquas nec super pontes nec in aliquo regni nostri loco theloneum [solvant]. Foragium vini, cambium cum maceria ac positione villici aut scabinorum et ceterorum officialium ad eumdem locum pertinentium, piscaturas et vivaria cum molendinis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, et specialiter donationes ab Ottone imperatore et Wilbodone Leodiensi episcopo ipsi ecclesie collatas, reverendo Henrico abbati suisque successoribus concedimus et confirmamus. Si quis vero nostre institutionis presumptuosus violator extiterit, centum libras auri persolvat, medietatem camere nostre et medietatem sepedicte ecclesie. Et ut hec omnia in perpetuum firma et inconvulsa permaneant, presentem paginam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Testes hujus rei sunt Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Theodericus Treverorum archiepiscopus, . . . Bisuntinus archiepiscopus, Bertholdus Argentinensis episcopus, Berinkerus Spirensis episcopus, Hugo Leodiensis episcopus, Johannes Metensis episcopus, Godefridus Cameracensis episcopus, Odo Tullensis episcopus, Hugo Morbacensis abbas, Henricus dux Brabantie, Henricus filius ejus, Mattheus dux Lotharingie, Walleramus dux de Lembourch, Diopoldus (a) marchio de Voheburch, Henricus comes Barri, Hugo comes de Wademont, Gerardus comes de Diets, Symon comes de Saraponte, Fredericus comes de Leiningen (b), Henricus de Geminoponte, Gerlacus de Butigne, Everardus dapifer de Walborch, Warnerus dapifer de Borlandia, Conrardus pincerna de Scipfa, Fridericus camerarius de Bienburch, et alii quamplures.

(a) In impresso *Leupoldus*, in chartulario Bruxellensi *Verepuldus* : ambo male.

(b) In impresso *de Lumaio*, in chartulario *de Linario* ; quod ita post Boehmerum correximus.

Signum domini Henrici Romanorum regis invictissimi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXIV, indictione XIII, regnante domino Henrico Romanorum rege glorioso, anno regni ejus tertio.

Datum per manus domini Engelberti venerabilis Coloniensis archiepiscopi, doctoris (a) predicti domini regis, apud Tullum, XV kalendas decembris, feliciter. Amen.

---

Haguenau, 4 decembris.

Henricus, Romanorum rex, super sopienda controversia de feudo suo, quod progenitores sui ab ecclesia Wirzeburgensi habuerunt et ipse habere debet, approbat arbitros, ex utraque parte constitutos, et formam ipsius arbitrii, locum scilicet et terminum.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 129, nº DCLXX, ex originali unde fragmentum sigilli appendet ex segmento membranaceo. — Memoratum quoque et germanice extractum a Frisio in Ludewig, *Gesch. von Würzb.*, p. 554.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis literas presentes inspecturis gratiam suam et omne bonum. Significamus vobis quod super feudo nostro quod progenitores nostri ab ecclesia Wirzeburgensi habuerunt et nos debemus habere, taliter inter nos et ecclesiam Wirzeburgensem condatum est, annuente domino E. Coloniensi archiepiscopo et toto consilio nostro, quod super eadem discordia sopienda ex utraque parte arbitri sunt constituti : videlicet D. marchio de Hohinburc, comes G. de Diets, E. dapifer de Walburc et C. pincerna de Clingenburc, hii sunt ex parte nostra; ex adversa parte, B. burcgravius de Hennenberc, A. decanus major Wirzeburgensis, H. prepositus Werdensis, marscalcus de Luove vel Dietricus de Hohinberc. Super istos constituti sunt

(a) Sic in duobus. Non tamen dubium videtur quin originale nunc deperditum vocem *tutoris* correctius exhibuerit.

Maguntinus, Trevirensis, Coloniensis archiepiscopi; et si omnes hii tres hiis exequendis interesse non poterunt, Coloniensis assumpto sibi altero predictorum archiepiscoporum cum supradictis arbitris in arbitrio procedet. Sciendum preterea est quod si persona aliqua de prenominatis non possit haberi, alia persona idonea loco absentis instituatur. Locus vero arbitrii apud Frankfort est designatus, terminus vero in octava Epiphanie primo eventure apud Ulmam prefigetur.

Datum apud Hagenowe, II nonas decembris, indictione XIII.

---

Henricus, Romanorum rex, notum facit universis quod capitulum et archipresbyter Werdensis ecclesiae, ad petitionem suam et Coloniensis archiepiscopi, capellam in Rath in parochia Werdae sitam consecrari permiserunt sub certis quibusdam conditionibus ibidem expressis. Haguenau, 6 decembris.

(Edid. Lacomblet, *Urkundenb. für die gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 63, n° 117.— Extat quoque ap. Redinghovens MSS. in München, LXXII, 135.— Extract. etiam ap. Gelen, *De Engelberto*, p. 107.)

Henricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Cum Romanorum regum dignitati precellenter conveniat unicuique subditorum suorum jus suum illesum conservare, speciali tamen affectu moveri debet circa ecclesias et personas ecclesiasticas, ut que frequentius divinis inserviunt laudibus ab incursu rerum secularium non inquietentur. Consideratione igitur ea moti, ad declinandam presentis seculi calumpniam, notum facimus tam presentibus quam futuris quod capitulum et archipresbyter Werdensis ecclesie, ad petitionem nostram et domini Coloniensis archiepiscopi Engelberti, capellam in Rode (Rath) in parochia Werde sitam consecrari permiserunt : tali distinctione et cautela preordinatis quod predicta capella nec baptismum nec sepulturam habebit. Capellanus ibidem Altissimo famulaturus ab hominibus dicte ville

nominabitur; nominatus a conventu et archipresbytero instituetur; institutus vero de hiis que ad curam spectant parochialem se nullatenus intromittet. Parochianos nec ad septimos nec ad tricesimos nec ad anniversarios celebrandos nec sponsos et sponsas ad matrimonia contrahenda nec matronas ad purificandum recipiet, sed hec cum quibuslibet attinentiis integraliter a matrice ecclesia requirentur. In majoribus quoque anni festivitatibus homines ville sepedicte, exceptis pueris eorum et ancillis, ad matricem current ecclesiam; et propter consecrationem memorate ecclesie jam celebratam nullus hominum ejusdem ville aliquid in prejudicium Werdensis ecclesie sive parochie presumat attemptare. Si autem quicumque capellanus ibidem deserviens hujus ordinationis terminos excedere presumpserit, a sepedictis conventu et archipresbytero sine contradictione qualibet ammoveatur et alter substituatur. Si quis vero ausu ductus temerario huic ordinationi tam rationabiliter facte obviare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei nostreque majestatis offensam se noverit incurrisse. Ad hujus rei perhennem memoriam in posterum duraturam presentem exinde cartam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari.

Hujus rei testes sunt Eng. Coloniensis archiepiscopus, B. Argentinensis episcopus, Diop. marchio de Hoinburg, G. comes de Dietz, Ans. marscalcus de Justingen, E. dapifer de Walpurch, M. notarius, C. notarius de Bopardia, H. de Scharfinberc, F. de Tanne, et alii plures.

Datum apud Haginowe, anno dominice incarnationis M.CC.XXIIII, VIII idus decembris, indictione XIII.

---

Basileae, 20 decembris.

Henricus, Romanorum rex, monasterio Lucellensi (Lützel juxta Basileam) quamdam donationem impertitur.

(Memorat. et extract. ap. Bernardini *Epitom. fast. Lucell.*, p. 104 (1).)

---

(1) Memoratur, *ibid.*, p. 105, aliud privilegium Henrici regis, quo eidem monasterio novas immunitates concedit: *dat. Altkirchii*, *anno* 1225; die et mense non expressis.

Datum Basilee, anno Domini MCCXXIV, XIII kalendas januarii, indictione XIII.

---

Henricus, Romanorum rex, [Gerardo] archiepiscopo Bisuntino adjudicat investituram portarum et stratarum quas cives Bisuntini ei denegabant. Apud Bernum, 27 decembris.

(Inedit. in collect. Droz, *Titr. de l'arch. de Besançon*, tom. II, f. 521, Bibl. reg. Paris., ex chartular. Bullet; minus autem correcte exaratum.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Significavit nobis dilectus princeps noster archiepiscopus Bisuntinus quod cives ejus ingressum civitatis ei denegantes stratis et portis eum spoliaverunt, cum ipse (a) a nobis portas et stratas teneat jure regalium; et cum de hiis nobis plene constitisset, secundum judicium principum et baronum, predicto archiepiscopo investituram adjudicamus rerum predictarum (1).

Datum apud Bernum, anno dominice incarnationis M. CC. XXIIII, VI kalendas januarii.

---

Henricus, Romanorum rex, ex sententia principum curiae suae, revocat communitates a civibus Bisuntinis contra Gerardum archiepiscopum ejusdem loci statutas. Apud Bernum, 28 decembris.

(a) In codice vero legitur: *et denegantes strata et portas cum spoliaverunt hec ipse.*

(1) Eamdem formam habuit [postea] Johannes [Gerardi successor] in receptione regalium a rege, quae infra scripta est impetrata ab archiepiscopo Nicolao Bisuntino. Videndum est diploma Henrici regis, 17 martii 1230.

(Edit. ap. DESVERNOIS, *Mouvance du comté de Bourg.*, preuves, n° XCVII, ex dissertat. acad. Bisunt., ann. 1760–1761.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, universis imperii fidelibus presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Dilectus princeps noster Girardus archiepiscopus Bisuntinus sua nobis conquestione exposuit quod cives Bisuntinenses auctoritate propria quasdam communitates, constitutiones, novitates et conventiones vinculo fidei confirmatas inierunt; et cum a curia nostra judicium fieri petiisset utrum hec dictis civibus sine licentia et consensu archiepiscopi sui licerent, judicatum fuit a principibus et baronibus quod ipsi cives sine consensu archiepiscopi sui, absque nostra et imperii voluntate, nullas communitates, constitutiones et novitates poterant attemptare. Unde nos quicquid a predictis civibus taliter [est] attemptatum et precipue conventiones fidei interpositione ab eisdem de novo firmatas penitus revocamus. Ut autem sententia lata a principibus et baronibus imperii pro ecclesia et archiepiscopo Bisuntino precipua (perpetua) gaudeat firmitate, presentem paginam exinde conscribi et sigilli nostri munimine fecimus insigniri.

Hujus rei testes sunt Engelbertus Coloniensis [archiepiscopus], Henricus Basiliensis episcopus, Hugo [Morbacensis] abbas, comes Stephanus Burgundie, [comes] Willelmus Gebennensis (1).

Datum apud Bernum, anno M. CC. XXIV, indictione XIII, V kalendas januarii.

---

Apud Bernum, 28 decembris.

Henricus, Romanorum rex, notum facit universis quod ex sententia principum Clementiam quondam ducissam Zaringiae a captivitate liberare debet, et eam seu nomine ipsius Stephanum comitem Burgundiae patrem ejus mittere in possessionem castri

---

(1) Nomina vero testium non ad integrum producta comperimus, dum Fridericus II in sua ejusdem privilegii confirmatione, data quinto junii 1225, archiepiscopum Treverensem, Augustensem et Lausannensem episcopos praeter istos memoret. Cf. supra, p. 488.

Burgdorf et omnium bonorum, quae Bertholdus quondam dux Zaringiae eidem in dote contulit.

(Edit. ap. CHIFFLET, *Lettre touchant Béatrix*, preuv., p. 113.—SCHÖPFLIN, *Hist. Zaring. Bad.*, t. IV, p. 169. — *Soloth. Wochenbl.*, ann. 1829, p. 629.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, nniversis imperii fidelibus quibns he littere ostense fuerint gratiam snam et omne bonum. Significavimus vobis quod coram nobis jampridem apnd Bernum in judicio residentibus talis lata fnit sententia : qnod nos dominam Clementiam quondam ducissam Zaringie a captivitate in qua tenetur debeamns liberare. Altera etiam lata est sententia coram nobis quod nos predictam dominam Clementiam mittere debeamus in possessionem castri Burcdorf et omninm bonorum, qne dive memorie B. dnx Zaringie in dote contnlit eidem, ant loco ipsius domine C. patrem ejus Stephanum comitem Burgundie nomine tutoris. Ad cujus rei certam evidentiam presens scriptum sigilli nostri mnnimine fecimns roborari.

Testes hi sunt Engelbertns Coloniensis, Thiedricns Trevirensis, Gerardus Bisuntinus archiepiscopi, Siffridus Augustensis, Willelmus Lausannensis, Heinricus Basiliensis episcopi, comes Willelmns Gebennensis, comes Rudolphns de Hanspurc, Conradus pincerna de Schipffa, Eberhardns dapifer de Walpurc, et alii quamplures.

Datum apud Bernum, V kalendas januarii, indictione XIII, anno dominice incarnationis MCCXXIIII, anno regni nostri V (1).

---

Henricus, Romanorum rex, notificat sententiam a suis principibus pro Libaldo de Bafrimont latam, scilicet ut hominibus ejusdem Libaldi in vallibus de Hausburg non liceat communitates, consti- Apud Bernum, 28 decembris.

(1) Iste numerus, si modo sincerus sit, annos regni non a coronationis tempore, sed ab electionis die, scilicet a 23 aprilis 1220, hic computandos esse demonstrat.

tutiones et conjunctiones fidei vinculo firmatas inire sine consensu ipsorum domini.

(Edider. Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, tom. I, p. 352, n° 437.—Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 254.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Dilectus fidelis noster Libaldus de Bafrimont sua nobis conquestione monstravit quod vasalli et ceteri homines sui de vallibus in Hauspurgh auctoritate propria quasdam communitates, constitutiones, novitates et conjunctiones vinculo fidei firmitas inierunt; et cum a curia nostra judicium sibi fieri petiisset utrum hoc dictis vasallis et ceteris hominibus suis sine licentia et consensu domini sui liceret, judicatum fuit a principibus et baronibus quod ipsi vasalli et ceteri homines sine consensu dicti Libaldi et etiam absque nostra et imperii voluntate nullas communitates, constitutiones, conventiones et novitates poterant attemptare. Unde nos quicquid a predictis vasallis et ceteris hominibus taliter est attemptatum et precipue conjunctiones fidei interpositione ab eisdem de novo firmatas penitus revocamus. Ut autem sententia lata a principibus et baronibus imperii pro dicto Libaldo de Bafromont perpetua gaudeat firmitate, presentem paginam exinde conscribi et sigilli nostri munimine fecimus insigniri.

Hujus rei testes sunt Engelbertus Coloniensis, Theodoricus Treverensis archiepiscopi, Syfridus Augustensis, Willelmus Lausannensis, Henricus Basiliensis episcopi, Hugo abbas Morbacensis, comes Stephanus Burgundie, Willelmus Gebennensis, Girardus de Dyche (Dietz) comites, Conradus burgravius de Nuremberch.

Datum apud Bernum, anno gratie millesimo CCXXIV, indictione XIII, V kalendas januarii.

---

Henricus, Romanorum rex, ad preces Petri decani et Folmari archidiaconi majoris ecclesiae Tullensis, approbat et confirmat duo privilegia eidem ecclesiae indulta, scilicet ab Arnulpho et Henrico II regibus Romanorum. Apud Bernum, 28 decembris.

(Edid. BENOIT, *Hist. ecclés. et politiq. de la ville et du diocèse de Toul*, docum. p. XXXIV. — Vid. ad ann. 1225, mense junio, privilegium Friderici secundi confirmatorium, in quo privilegium istud inseritur, p. 490. Unde tantum ad ornandam documentorum seriem, notas chronologicas denuo exhibemus:)

Actum anno incarnationis MCCXXIV. . . . . . . . . . . Datum apud Bernum, quinto kalendas januarii, indictione decima tertia.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterium de Rügersberg cum omnibus bonis ejus mobilibus et immobilibus sub speciali sua protectione recipit, praepositoque et confratribus hujus loci promittit quod advocatiam monasterii ad manus suas detinebit nec eam a dominio suo alienabit. Apud Bernum, 31 decembris.

(Edidit MART. GERBERT, *Cod. epist. Rudolfi* I, auctarium diplom., p. 243, n° V, ex cop. vidim. in arch. Turic.; incius. in privilegio Rudolfi I, dat. Basilee, 9 aug. 1275. Extat quoque ap. *Solothurn. Wochenblatt*, ann. 1828, p. 317.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hec littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Significamus vobis quod nos monasterium de Rugersberch cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus sub specialem nostram et imperii protectionem [recipimus], confirmantes ei et personis ibidem Deo famulantibus universa bona que nunc habent et in posterum justis modis

poterunt adipisci. Preterea cum idem prepositus et sui confratres nos proprio motu sibi elegerint in advocatum et defensorem et advocatiam monasterii jam dicti nobis duxerint committendam, promisimus ipsis fideliter et constanter quod eamdem advocatiam semper ad manus nostras detinebimus nec eam infeodando vel obligando a dominio nostro alienabimus. Statuimus igitur et sub interminatione gratie nostre districte precipimus ut nullus sit qui contra hanc protectionem sepedictum monasterium invadere audeat vel molestare, vel dampnum ei aut gravamen aliquod irrogare. Quod qui fecerit sciat se indignationem tremendi judicis nostreque celsitudinis offensam graviter incurrisse.

Datum apud Bernum, II kalendas januarii, indictione XIII[a].

---

. . . . . Henricus, Romanorum rex, ordinationem confirmat inter Aquensem ecclesiam et parrochianos de Senceche (Sinzig) super decimis vinearum ad eamdem parrochiam pertinentium factam.

(Edider. Quix, *Cod. diplomat. Aquens.*, p. 100, n° 139. — Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 64-65, n° 119.)

Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, omnibus in Christo renatis in perpetuum. Decet regie majestatis clementiam, sicut augmento reipublice regni terreni ex debito suscepti regiminis studiose sine intermissione tenetur insistere, sic ad restaurationem celestis regni patrie cum summa devotione totis viribus insudare; quod melius peragi posse non credimus quam ut ubi animarum saluti prospicitur, utilitati etiam in domo Domini nocte ac die famulantium providetur. Inde est quod ordinationem temporibus nostris ad honorem Dei et profectum capelle nostre imperialis, Aquensis scilicet ecclesie, inter ipsam et parrochianos de Senceche super decimis vinearum ad eandem parrochiam pertinentium factam de consensu tam militum quam ministerialium et hominum necnon et tota imperii familia (*sic*) cum universitate parrochianorum ejusdem loci in hoc cum acclamatione so-

lempni convenientium et voti sui affectum exprimentium, ratam habemus: videlicet ut decime que cum hactenus dispersim per vineas non sine periculo diffidentium animarum minus plene, ut timebatur, dari consuevissent, nunc in exitibus vinearum juxta dolia deinceps sicut et suam portionem, laboribus ipsorum quorum vinee sunt et expensis, etiam ipsas decimas necesse habeant deportare et ibi nuntiis ecclesie de ipsis sine diminutione aliqua respondere (1). Verum in recompensationem laborum et expensarum sic factarum, ecclesia vice versa totalem minutam decimam quam ei dicti parrochiani persolvere tenebantur, ipsis cum integritate remisit; nichilominus tamen in consuetis luminaribus sepefati loci parrochiali ecclesie, unica videlicet cerea candela tantum in matutinis ad librum necessaria et lampade de nocte ardente, necnon in tauris, arietibus et apris domesticis juxta consuetudinem antiquam ecclesia Aquensis tenebitur providere. Ne igitur hujus ordinationis tam necessaria conscriptio in posterum dissolvi quacumque cavillosa occasione attemptetur, et ut inconcusse firmitatis robur obtineat, regie majestatis auctoritate duximus confirmandam et sigilli nostri munimine roborandam. Insuper ad majoris stabilitatis firmitatem, dilecto ac fideli principi nostro Engelberto Coloniensi archiepiscopo ac quisquis (*sic*) eidem pro tempore fuerit substitutus, presentis scripti auctoritate damus in mandatis firmiter injungendo quatinus in hac ordinatione predicte ecclesie Aquensi potenter et patenter assistat; et si quis contra temptare ausu temerario presumpserit, tanquam imperialis precepti transgressorem animadversione condigna percellat et a gratia nostra publice proclamet extorrem.

Acta anno gratie M.CC.XXIIII (2).

---

(1) Locus iste satis obscurus majorem lucem recipit ex ordinatione Friderici secundi de re eadem, quae est ita : « Ut quilibet decimam solvant in locis que Heggen vulgariter nuncupantur ubi portiones suas ad dolia sua deferunt, ibi et decimas ecclesie fideliter cum integritate persolvant, ad quod et alii qui per jumenta vel alio modo portiones suas deferunt, teneantur etiam astricti. » Vide supra privilegium dat. ap. Francfort, 19 aprilis 1220.

(2) Sic, nec plura etiam in originali, quod apud arch. Berolinense anno 1832, ut ipse monet, vidit Boehmerus.

## ANNO 1225. — INDICTIONE 13.

Apud Westmonasterium, 3 januarii.

Henricus, Anglorum rex, ad ducem Austriae et ad archiepiscopum Coloniensem legatos suos mittit, cum eis tractaturos de negotiis suis et matrimonio suo.

(Edit. ap. Rymer, *Foedera et Conventiones*, t. I, p. 275.)

### I.

Rex nobili viro et amico carissimo duci Austrie, salutem cum sincera dilectione. Mittimus ad vos venerabilem patrem W. Carleolensem episcopum et dilectos nobis in Christo fratres fratrem A. magistrum militie Templi in Anglia et fratrem R. priorem hospitalis Jerusalem in Anglia et magistrum H. cancellarium Londonensem et Nicholaum de Molis, ad tractandum vobiscum de negotiis nostris; quibus fidem habere velitis super hiis que vobis dixerint de eisdem negotiis. Nos enim rata habebimus et grata ea que vobis dixerint ex parte nostra et fecerint, secundum formam scripti super eisdem conficiendi cui eorum sigilla fuerint appensa. Teste domino Cantuariensi archiepiscopo, apud Westmonasterium, III die januarii, [anno nono].

### II.

Rex domino Coloniensi archiepiscopo, salutem cum sincera dilectione. Mittimus ad vos venerabilem patrem W. Carleolensem episcopum et fratrem A., etc., ad tractandum vobiscum de negotiis nostris, sicut nobis per litteras vestras significastis; quibus fidem, etc. Teste rege, apud Westmonasterium, III die januarii.

III.

Rex nobili viro et amico karissimo duci Austrie, salutem. Bene recolit magnificentia vestra qualiter misistis ad nos jamdudum nuntios vestros pro maritagio inter nos et filiam vestram. Propter quod mittimus ad vos dilectos et familiares nostros magistrum Henricum cancellarium Londonensem et Nicholaum de Molis militem, ad audiendum inde plenam voluntatem vestram et remittendam eam venerabili patri W. Carleolensi episcopo et dilectis fratribus fratri A. magistro militie Templi in Anglia et fratri R. priori hospitalis Jerusalem in Anglia, quos misimus ad partes Alemannie, quibus plenius exposuimus inde voluntatem nostram. Causas autem propter quas dilatum fuit certum responsum nostrum super hoc negotio, predicti Henricus et Nicholans plenius vobis exponent. Teste domino Cantuariensi archiepiscopo, apud London, III die januarii, coram magnatibus de concilio nostro.

---

Henricus, Romanorum rex, ad supplicationem Guidonis abbatis de Cappel, in protectione sua suscipit quidquid hoc monasterium in Turego et in districtu ejus possidet, peculiariter domum ad ripam fluminis juxta pontem constructam, et omnia quae in futurum legitimo modo acquirere poterit, eamdem ecclesiam omni exactione in perpetuum eximens. Apud Turegum, 6 januarii.

(Memorat. a MEYER VON KNONAU, Regest. ap. *Archiv für Schweiz. Gesch.*, t. 1, p. 90.)

Hujus rei testes sunt, etc.
Datum apud Turegum, VIII idus jannarii, indictione XIII.

---

11 januarii. Henricus, Romanorum rex, Henricum comitem Barrensem et nobilem virum Fridericum de Brisseio pro gravaminibus quae ecclesiae Tullensi intulerunt legitime citatos, pro eo quod non comparuerunt diebus assignatis, juxta sententiam principum vinculo proscriptionis innodat.

(Edidit Benoit, *Hist. ecclés. et polit. de la ville et du diocèse de Toul*, docum. p. xxxiv, ex autogr. Tull.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Notum facimus quod ad querimoniam dilecti principis nostri Odonis (1) episcopi et capituli ecclesie Tullensis, sententia coram nobis dictante, comitem Barrensem Henricum pro injuriis quas dicto episcopo et ecclesie Tullensi in Castro Fago et aliis locis inferre dinoscitur et nobilem virum Fridericum de Brisseio (2) pro gravamine quod eisdem infert, legitime citavimus; qui cum diebus ipsis assignatis non comparuissent et, nuntiis dicti episcopi et capituli ipsos in curia nostra expectantibus, nullos responsales pro ipsis misissent, nos dicto principi nostro Odoni Tullensi episcopo et capitulo justiciam debitam exhibere volentes et debentes, juxta sententiam principum et nobilium qui presentes nobiscum aderant, ipsum comitem Barrensem et nobilem virum Fredericum de Brisseio vinculo nostre proscriptionis innodavimus.

Actum anno incarnationis Domini MCCXXIIII (3), sexta feria post Epiphaniam Domini, indictione XIII.

---

(1) Tunc temporis *Eudes de Sorcy*.

(2) Id est *Brixey-sur-Meuse*. Idem iste vir pluries ap. Benoit memoratus, praesertim p. 420 et 440, *Petrus* nomine, non *Fridericus* vocatur.

(3) Impressionis defectu forsan legitur in libro MCCXXIII. Nam autor ipse huic documento alludens p. 440, annum 1224 clare indicat, nostra computatione 1225.

---

Henricus, Romanorum rex, ad supplicationem Bernardi abbatis in Odenheim, culturam vinearum montis Eichelberg duodecim rusticis ecclesiae ab eo traditam sub certis conditionibus confirmat. Apud Ulmam, 18 januarii.

(Inedit. ex chartulario abbat. de Odenheim, fol. 18, in arch. Carlsruhensi.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis ad quos presens scriptum pervenerit gratiam suam et omne bonum. Exposuit excellentie nostre dilectus fidelis noster Bernhardus, abbas in Odenheim, quod diversis ecclesie sue incommodis incumbentibus, ipse vineas ecclesie de propriis expensis, sicut hactenus consuevit, colere non sufficit. Unde consilio usus prudentum, montem qui dicitur Aichelberg ecclesie Odenheim vicinum duodecim rusticis ecclesie fidelibus tradidit excolendum, ea conditione quod quamdiu abbas vel sui successores vineas predicti montis eisdem rusticis dimittere voluerit colendas, abbas et ecclesia Odenheim decimas fructuum integraliter accipiat sine omni contradictione colonum (*sic*). De reliquis vero fructibus, abbas mediam partem et coloni aliam mediam partem accipiant juste et equaliter inter eos dividentes; et ut in cultura earum vinearum rustici efficiantur promptiores et devoti, de consueta eis donamus benignitate quod nos vel nostri provisores sive sculteti et eorum nuntii nihil eis requiremus ratione culture predicte. Verum abbas de Odenheim singulis annis unam carratam vini puri ministro nostro dabit, quamdiu rustici culturam predictarum vinearum habebunt. Abbas vero predictus plenam habebit potestatem vel sui successores culturam predictarum vinearum ab ipsis rusticis recipiendi et per se sive aliquos alios excolendi; et dum eas de propriis coluerit expensis, carratam vini quam de cultura procuratori nostro dare promisit, de cetero non persolvet. Et ut hec nostra donatio in perpetuum firma permaneat, presentem cartam scribi et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum apud Ulmam, anno ab incarnatione Domini M. CC. XXV, XV kalendas februarii, indictione XIII.

---

Apud Ulmam, 20 januarii,

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem archiepiscopi Coloniensis et de consilio principum imperii, ecclesiae et civitati Coloniensi confirmat privilegium, quo Henricus sextus, 28 junii 1195, castrum Are ecclesiae archiepiscopali et theloneorum exemptionem burgensibus in feodo concesserat.

(Edid. Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 61, n° 111, ex origin. in archivo civit. Colon.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus.

[*Hic sequuntur, verbis competenter mutatis, exordium confirmationis a Friderico secundo indultae et tenor privilegii Henrici sexti in eadem confirmatione inserti. Vide supra ad ann.* 1216, 6 *maii.*]

Nos itaque tantam gratiam Coloniensi ecclesie et civitati Coloniensi per tale privilegium indultum diligentissime attendentes, ad petitionem dilecti principis et consanguinei nostri Engilberti Coloniensis archiepiscopi, eandem gratiam, de consilio principum regni nostri qui nobiscum presentes aderant, dignum duximus approbare et nostre majestatis sigillo feliciter confirmare; districtius auctoritate regia precipientes ne quis huic nostre confirmationi modis aliquibus audeat obviare. Quod qui fecerit sciat se nostram gratiam graviter lesisse et pena debita a nostra majestate debere puniri.

Testes autem hujus nostre confirmationis sunt hii : Engelbertus Coloniensis, Theodericus Treverensis archiepiscopi, Sifridus Augustensis, Gerardus (*a*) de Frisingen episcopi, Henricus de Kempene (*b*), Albertus

(*a*) In sequenti autem *Geroldus*, recte.

(*b*) Rectius tamen, ut videtur, *de Kerpen.*

de Eilwangen abbates, Wildebrandus major prepositns Hildensemensis, Cnnradus major prepositus Spirensis, Cnnradus de Danne prepositus Sancte Trinitatis in Spira, Henricns major prepositus Constantiensis, imperialis anle prothonotarius, Marquardus ejnsdem anle notarius, Lodewicus dux Bauwarie, Hermannus marchio de Baiden, Gerardns comes de Dieschen, Gerlacns de Bndingen, Bernardus de Hurstemare, Everardus de Wailtpurch imperialis aule dapifer, Hildebrandns marescalcns de Reperch, Cunradus pincerna et Everardus fratres de Winterstede, Dido de Ravenspnrch, Fridericus Triskamere, et alii quamplures.

Datum apud Ulme, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXIIII, tertio decimo kalendas februarii, indictione tertia decima.

---

Henricus, Romanorum rex, confirmat donationem a Liutolfo de Sunniswald Hospitali Theutonicorum Sanctae Mariae in Jerusalem coram se factam de ecclesiis in Sunniswald et Asoldespach, cum jure patronatus et advocatia, et de montibus qui dicuntur Nidungen et Arne cum proprietate feudorum. Ulmae, 20 januarii.

(Inedit. ex libro copiarum recent. ad hist. ord. Theuton. in Helvet. spectantium, f. 49, in arch. Stuttgart. Originale extat in *Staatsarchiv* ap. Bernum.)

Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex, semper augustns. Noverit tam presens etas quam successura posteritas quod fidelis noster vir nobilis Liutolfus de Sumoldeswaldt in presentia nostri, coram principibus et imperii fidelibus, ecclesiam in Sumoldeswaldt et ecclesiam in Asoldespach (1) cum jnre patronatus et advocatia et omni jure in eis ad eum spectante et omne predium suum tam in terris qnam nemoribus et aquis infra terminos dicte parrochie Sumoldeswaldt et montem qui dicitnr Nidung et montem qni dicitur Arne et proprietatem feodorum que

---

(1) Ambo loci in dioecesi Constanciae.

vasalli sui in ea ab eo habebant, recognovit se donasse domui hospitali Theutonicorum Sancte Marie in Jherusalem, et iu cautelam habuudantiorem iterato coram nobis solempniter et libere ei omuia predicta contradidit, adjiciens de assensu fratrum, videlicet H. preceptoris domus in Alamauia et aliorum ibidem presentium, ut duo ibidem perpetuo sacerdotes habeaut et, cum ibi hospitale constructum fuerit, iu eo pauperes et peregrini recipiautur : prestita eis tali consolatione juxta fratrum estimationem, prout proventus ipsius domus supplere poterunt. De bouis autem feodorum addidit ut vasalli sui qui ea possident in presentiarum hereditario jure et eorum heredes ea possideaut, tali pacto ut de una qualibet huba domui solvant annuatim in festo sancti Johannis Baptiste unum solidum mouete de Turego. Quod qui neglexerit, anno sequenti duplicatum solvat. Si quis vero per auuos quatuor violeuter solvere supersederit, a jure ipso cadat et huba ista absolute ad domum transeat. Ut autem hec donatio et prenotata singula coram nobis solempniter facta perpetua firmitate roboreutur, et dicta domus debita in hiis gaudeat possessiouis libertate, donationem ipsam coufirmamus et omnia ipsa bona sub nostre celsitudinis protectione suscipimus; statuentes ne quis ei ausu temerario contravenire vel eam quoquo modo infringere presumat. Si quis vero hoc attemptaverit, omnipotentis Dei et beate Virginis Marie odium sempiternum et gratie nostre offensam se noverit incursurum. Ad hujus rei evideutiam litteram presentem conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari.

Hujus rei testes sunt Engelbertus Coloniensis et Theodoricus Treverensis archiepiscopi, Siveridus Augustensis, Geroldus Frisingensis episcopi, Lodevicus comes palatinus Reni et dux Bavarie, Hartmannus de Dilingen comes, Gerhardus comes de Diets, C. burgravius de Nuremberg, Eberhardus dapifer de Walpurg, C. et E. pincerne de Winterstete, Dieto de Ravensperg, Cuno scultetus de Berno, H. prothonotarius imperialis aule, Marquardus ejusdem aule notarius, et alii quamplures.

Datum Ulme, auno Domini millesimo ducentesimo vicesimo quiuto, decimo tertio kalendas februarii, indictione duodecima (a).

(a) Sic in copia; recte tamen *tertiadecima*.

Henricus, Romanorum rex, vetat ne quis praefectus vel advocatus in Walheim fratres Dominici Sepulchri apud Denkendorf commorantes molestare praesumat in possessione bonorum quae quondam Albertus [comes] de Calw eisdem fratribus contulit. Ulm, 20 januarii.

(Edidit Schmidlin, *Geschichte des Klost. Denkendorff*, Beylag. n° 5 (1), et *Beitr. zur Gesch. von Wirtemb.*, II, 250. Sub ista qua editur forma documentum corruptum aut saltem rescriptum censemus.)

H. Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, universis Christi fidelibus hanc paginam inspicientibus gratiam suam et omne bonum. Innotescat presentibus et futuris quod A. de Calw bone memorie fratribus Dominici Sepulcri apud Denckendorff commorantibus bona quedam apud Walheim, ob remedium anime sue, nullo habito respectu ad aliquem nisi sub forma protectionis, in perpetuum contulit possidenda. Quamobrem presentem paginam signo nostro consignatam predicte domui contulimus; districte precipientes ne quis prefectus vel advocatus in Walheim qua ductus vesania sepedictam domum aliqua vexet molestia vel exactione; quod penitus inhibemus. Si quis autem memoratos fratres in aliquo gravare presumserit, offensam regiam se noverit omnimodis incurrisse. Datum apud Ulm, XIII kalendas februarii (2), presente [archi]episcopo Coloniensi et duce Bavarie, comite de Dietz, cum ministris regis Magillino et sculteto in Ldingen (?) et aliis quampluribus.

(1) Extat ibidem sub n° 3 confirmatio donationis ejusdem a Conrado episcopo Spirensi; apud Ulm, ann. Domini MCC vicesimo quarto, XIII kal. februarii; sed minus recte, quum legendum sit *a Conrado episcopo Portuensi, Ulme, XI kal. februarii, XIII indictione*, ut monuit Stälin.

(2) Memoratur ap. Boehmer, *Regest. imper.*, praefat. p. LXXXVI. ex *Salemer Copialbuch* in arch. Karlsruhensi, t. II, f. 33, aliud privilegium Henrici regis, datum Ulmae, X kal. februarii 1224 (1225), quo homines monasterii de Salem ab omni seculari jurisdictione eximit.

Augustae, 11 februarii. Henricus, Romanorum rex, sententiam per abbatem Sancti Udalrici in Augusta impetratam promulgat et confirmat : abbatem praedictum non teneri feodali jure cuiquam persolvere pellicia, calceos et similia religiosorum dona.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. XXXI, pars 1ª, p. 514, è libello membranaceo per Oswaldum Heintzel notarium Augustensem ann. 1450 confecto.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Quoniam a rege celi terreni imperii coronam sumus adepti, meritum eterni regni et retributionem perpetue vite nos recepturos speramus, si cum potestate qua ab ipso ceteris mortalibus eminemus, commoditati et quieti religiosorum virorum promptiores extitemus (*sic*). Ea propter notum esse volumus omnibus Christi fidelibus et precipue regni primoribus tam futuris quam presentibus quod abbas monasterii Sancti Udalrici in Augusta coram nobis per patronum querelam proposuit se et locum suum a multis indebite gravari, postulando ab eo jure feodali pellicia et calceos hyemales. Unde nos auctoritate et potestate regia super tali impetitione justitiam perquirentes, a principibus regni et nobilibus ac ministerialibus coram nobis assidentibus sententiatum fuit pellicia et calceos et similia religiosorum dona non posse dici feoda, nec constare abbatem ea aliquo jure cuiquam persolvere, nisi ad placitum suum aut benivolentia alicujus ad hoc inductus. Imperiali nempe clementia vestigiis genitorum nostrorum inherentes, cenobium beati Udalrici et fratres illic Deo servientes tutari cupientes, majestatis nostre auctoritate stabilimus et confirmamus eamdem sententiam, ut nulli de cetero officialium nostrorum et advocatorum suorum seu ministerialium majoris ecclesie liceat predicta violenter et contra voluntatem abbatis et fratrum suorum postulare; et confirmationem ipsam

presentis scripti patrocinio, signo sigilli nostri roboratam, ratam et inconvulsam deinceps permanere decernimus.

Hujus itaque confirmationis nostre testes sunt hii : dominus Heinricus imperialis aule prothonotarius, Hartmannus comes de Dilingen, Gotfridus comes de Marsteten, Gerardus comes de Tokenpurgk, Adalbertus de Nifen, Rudolphus de Vernhaim, Eberhardus dapifer de Waltpurg, Conradus pincerna de Winterstetten, Hainricus de Itenhusen, Hainricus Gans de Nuenburg, Wernherus de Mendechingen.

Datum Auguste, III idus februarii, per manum domini Hainrici prothonotarii, indictionis XV, incarnationis anno M. CC. XXVIII, anno regni domini Hainrici tercio (1).

---

[Coloniae, circa medium februarium.]

Walterus, Carleolensis episcopus, Henrico tertio Angliae regi suae ad archiepiscopum Coloniensem legationis rationem reddit de matrimonio inter [Henricum] Alemaniae regem et sororem ipsius regis contrahendo, simulque de confoederatione cum Francorum rege impedienda : nuntiat animum archiepiscopi optime ad hoc propositum inclinari, sed imperatorem multa oblata pecunia conciliandum fore.

---

(1) Notae chronologicae valde inter se dissentiunt; quarum nulla anno expresso convenit, quum indictio anno 1227, annus regni numeratus a coronatione anno 1225 respondeat. Ad hunc ultimum annum veram instrumenti epocham referendam esse docet Sibothonis episcopi Augustensis confirmatio, data mense maio 1233, in qua dicitur sententiam Heinrici regis super pelliciis et calceis hyemalibus impetratam fuisse petente abbate tunc temporis Dietone; quem ex catalogo abbatum ab anno 1216 usque ad ano. 1225 praefuisse discimus (vid. *Monum. Boica*, tom. XXII, p. 208). Oscitantia autem legentis seu scribentis notarii facilius forsan contigit in numeris romanis quibus annum incarnationis ac indictionis scriptum invenerit quam in anno regni qui litteris totus exhibetur. Legendum itaque censemus *indictionis XIII*, *incarnationis anno MCCXXV*; quum praeterea locus dati privilegii et testium nomina sat bene se itineri accommodent.

(Edidit CHAMPOLLION-FIGEAC, *Lettres de rois, reines, et autres personnages*, etc., t. I, n° XXXV, p. 44 et seqq., ex collect. Bréquigny, Bibl. reg. Paris., t. LXIII. — Extat in turri Londin. originale transumptum ap. Rymeri supplem. MSS., t. II, n° 9. — Bréquigny ex Rymero ad ann. 1236 et Champollion ad ann. 1235 hoc documentum, quod ad maritagium Friderici imperatoris cum Isabella regis Anglorum sorore pertinere putaverunt, reponunt. Quantum sit erronea ista opinio, facile tam ex serie actorum quam ex notis ibi adjectis demonstratur.)

Excellentissimo domino suo Henrico Dei gratia illustri regi Anglie, domino Hibernie, duci Normannie, Aquitanie et comiti Andegavie, suus devotus in omnibus W. (1) eadem gratia Karleolensis episcopus, salutem et prosperos ad vota successus. Quoniam litteras quas vobis de Dorobernia in recessu nostro transmisimus propter festinam navis ascensionem plene non inspeximus nec constat nobis si eventus nostri ad notitiam vestram pervenerint, ne vos omnino lateant, tam statum itineris nostri et nostrum quam processum negotiorum vestrorum vobis plenius duximus intimandum. Noverit igitur excellentia vestra quod in festo sancti Vincentii (2) obvio turbine ventorum rejecti fuimus sub rupe Dorobernie, ultra quam dici potest rabie maris et procellarum afflicti, ibique navi nostra anchoris affixa cum hernasio nostro et equis nostris qui nulla ratione potuerunt educi relicta, Doroberniam in quodam batello venimus; et quoniam intelleximus moram nostram valde vobis fore dampnosam, elegimus potius discrimina terrarum subire quam spatiosi maris fluctuationi hiemali quasi mortis crudelis exanimi (*sic*) nos exponere. Sicque accepto nobiscum uno solummodo serviente absque hernasio et equis, cum peregrinis quamdam navem ascendimus die veneris proximo ante conversionem beati Pauli (3), et eodem die per gratiam Dei Graveling applicuimus. Incontinenti vero nos et serviens noster duos equos (quos a quodam mercatore qui nobiscum transfretaverat mutuo

(1) Is est Walterus, cognomento Malus, circa festum Ascensionis anni 1223 in episcopum Carleolensem consecratus. Vid. MATT. PARIS., ad ann. et passim.

(2) Scilicet 22 januarii.

(3) Scilicet 25 januarii.

acceperamus) ascendimus, de die in diem per magnas dietas terram illam transeuntes quousque Coloniam venimus; sed quot adversitates in itinere illo sustinuerimus tum per viarum duritiam, tum per aeris intemperiem, tum per continuum timorem et infirmitatem vix alicujus calamus scribere sufficeret. Venimus itaque Coloniam in vigilia Purificationis beate Marie (1), ibique dominum Henricum de Zudenthorp et Johannem clericum nostrum invenimus, qui nuper de domino archiepiscopo redierant de quodam colloquio quod dominus rex Alemannie cum pluribus principum suorum apud Ulmam in Suevia celebraverat (2), et fere in itinere illo omnes equos suos amiserant. Ad eorum igitur instantiam dominus archiepiscopus ad partes Colonie accessit, et die mercurii proximo ad quoddam castrum suum quod distat a Colonia per duo miliaria venit; quo statim nuntium nostrum ad eum destinavimus, adventum nostrum et qualiter sine sociis nostris venimus ei signantes. Quod cum intellexisset, per eumdem nuntium nobis signavit quod ardua negotia imperii trahebant eum ad partes Saxonie, que differre non potuit; et quoniam credebat quod nos sine sociis nostris de negotiis vestris cum eo tractare non vellemus nec possimus, dixit quod statim ad partes Saxonie iret et sub festinatione rediret, et interim forte socii nostri venirent et nuntii sui quos ad ducem Austrie miserat; et ita in crastino summo mane versus Saxoniam iter arripuit. Eodem autem die venerunt magister militie Templi et prior Hospitalis non sine gravi periculo; et ex quo per servientes eorum adventum eorum scivimus, mox ad dominum archiepiscopum nuntium nostrum transmisimus, adventum illorum ei nunciantes et supplicantes eidem pro Deo et ob reverentiam vestri ac proprium honorem quod de partibus illis non recederet antequam nobiscum loqueretur. Ipse itaque per dietam unam ad nos revertens signavit nobis ut die veneris proximo apud quamdam abbatiam que vocatur Audenesburg ei occurreremus; quem cum ibi invenissemus, ipsum ex

(1) Scilicet primo februarii.

(2) De curia ista Ulmensi diebus 18-23 januarii 1225 celebrata, vide documenta praecedentia, p. 827 et 831.

parte vestra salutavimus, gratias ei referentes de amicitiis et honoribus vobis exhibitis et maxime de eo quod permittere noluit ut aliqua confederatio fieret inter imperium et regnum Francorum. Ipse vero nobis respondit quod nescivit qualiter hoc acciderat, sed semper bonum affectum habuerat negotia vestra promovendi, et quod inimicitias regis Francorum et regis Boemie et aliorum plurimorum magnatum pro vobis incurrerat. Dixit etiam quod rex Francorum de concilio Vaucolorum incontinenti ad dominum Papam et imperatorem miserat nuntios suos, conquerens de eo quod noluit permittere confederationem inter filium ejus et ipsum fieri, que de certa scientia domini Pape inter eos providebatur et quam imperator specialiter fieri preceperat (1). Dominus vero archiepiscopus contra regem Francorum domino Pape scripsit per specialem nuntium, ei signans quod noluit permittere ut confederatio illa fieret, quia hec esset contra ecclesiam Romanam et specialiter contra vos qui protectione sua gaudere debetis; et rogavit eum quod non permitteret ut dicta confederatio procederet, sed potius partes suas erga imperatorem interponeret ut confederatio inter vos et ipsum (de qua aliquando fuit tractatum) consummaretur. Preterea dixit nobis quod nuncios suos ad dominum imperatorem destinaverat, peracto concilio de Vaucoloris, per quos ei signaverat quod nuncios in Angliam transmiserat quorum adventum expectavit, et quod regem Francorum non exaudiret, nec nunciis suis aliquod responderet, donec de nuntiis in Angliam transmissis certitudinem ei nunciasset. Postea de colloquio Ulme misit ad imperatorem pro negotio vestro expediendo dominum Bernardum de Horstemar (2), qui fideliter laboravit et adhuc pro posse suo laborat circa consummationem illius negotii, ut per ipsum de voluntate

(1) De concilio apud Vallem Colorum, vid. supra p. 811. Ex litteris legatorum Anglorum apud Papam, 22 decembris 1224 scriptis, quid de re ista factum fuerit sat bene compertum est : « Die jovis proxima (19 decembr.) recepit Papa litteras Portuensis episcopi legati Ale- » mannici, quod idem Portuensis tractatum habitum inter reges Alemannie et Francie super » matrimonio de quo scitis impedivit. Dixit tamen nobis Papa quod rex Francie pro eodem » facto nuncios suos ad imperatorem iterum transmisit; sed quid egerunt adhuc nescivimus.» Ap. Rymer, *Foedera et convent.*, t. I, p. 274.

(2) Vide supra mandata regis Angliae pro eodem viro, p. 783.

domini imperatoris finaliter certificetur et propositum regis Francorum evacuetur (1). Hiis auditis, nuncium vestrum ei exposuimus, dicentes ei quod vos tam de maritagio corporis vestri quam sororis vestre consilio illius parebitis; ad quod respondit consilium suum esse ut talem et tantam oblationem faceremus quod dominus imperator non debeat eam repudiare. Dixit etiam periculum esse in mora; rex enim Francorum magnam pecuniam ei optulit ut confederationem filii sui habeat et negotium nostrum impediat. Ex altera parte dux Bavarie venit cum maxima pompa ad colloquium Ulme et optulit pro maritagio filie regis Boemie, que est neptis ipsius, XV milia marcarum, ultra oblationem XXX milia marcarum quam ipse rex Boemie prius obtulerat; sed rex Alemanie respondit ei quod nunquam eam duceret. Preterea adjecit quod rex Hungarie misit ad dominum imperatorem et pro maritagio filie sue optulit ei pecuniam maximam. Ipse vero non sitit nisi pecuniam ut illam accumulet; unde consuluit ut nos sub festinatione talem oblationem offerremus qualem acceptare deberet. Ad hec respondimus ei quod aliquam oblationem sine consilio ejus facere non potuimus et multum laboravimus ad hoc ut extorqueremus ab eo voluntatem suam super oblatione offerenda; sed perficere non potuimus. Dixit enim quod quantumcumque personam vestram diligat, cum sit ballivus imperatoris et consanguineus filii sui, hoc non faciet, nec potest nec debet facere. Tamen in verbo Domini, altari coram quo sedebamus aspecto, nobis promisit quod fidele consilium et auxilium in expeditione negotiorum vestrorum nobis parabit. Nos vero quia cancellarius et dominus Nicolaus de Molis socii nostri adhuc non venerant, nec ipse potuit diutius morari quin recederet, de voluntate sua recessimus, oblatione aliqua non facta, et expectabimus eum Colonie quousque redeat. Veniet autem Coloniam die Jovis proximo

(1) At hostiles archiepiscopi litterae et Bernardi missio nihil omnino profecerunt, cum jam confoederationis pactum Cataniae, mense novembri 1224, tractatum juratumque fuerit. (Vide supra p. 462.) Mirandum tamen quod res tanti momenti nondum nec ipsi Papae nec etiam mense februario archiepiscopo Engelberto nota fuerit, nisi sit suspicandum imperatorem et Franciae regem communi consensu rem aliquamdiu sub secreto tenendam jussisse.

ante Cathedram beati Petri (1), prout nobis promisit; et habito tunc cum eo tractatu, fidelem nuntium vobis destinabimus qui ore omnia vobis serio revelabit. Ceterum sciatis, domine, quod dominus archiepiscopus ita loquitur de negotio vestro ac si per illud debeatis totam terram vestram amissam recuperare, et non credimus quod per oblationes in potestate nostra per chirographum nobis traditum positas possit perfici tantum; tamen dante Domino faciemus quod non patietur interruptionem. Cancellarius vero et dominus Nicolaus socii nostri venerunt die sabbati post recessum domini archiepiscopi, quam plurimum fatigati, et in recessu latoris presentium versus ducem Austrie non processerunt; nec expedit forte ante adventum domini archiepiscopi, quoniam licet miserit filium ipsius ducis ad eum cum magistro suo pro negotio illo, tamen cum nuntiis vestris dixit quod alios nuncios mitteret; et dicti nuntii vestri, accepta temporis opportunitate et equis suis recreatis, semper prompti erunt ad proficiscendum (2). Preterea videtur nobis quod negotia vestra non modicam sument dilationem; magister vero Templi militie et prior Hospitalis nullatenus ultra Pascha moram facient in partibus Alemanie. Immineret etenim eis periculum ordinis, cum oporteat eos capitula sua celebrare et pecuniam in Terram Sanctam cum fratribus suis transmittere. Nos etiam continua infirmitate laboravimus et plures equos in itinere amisimus totamque fere pecuniam quam nobis tradidistis expendimus. Qualescumque igitur simus, nomen episcopi habemus et omnes ad nos

---

(1) Festum Cathedrae B. Petri in Antiochia apud calendarium vetus ecclesiae Anglicanae in 22 februar. incidebat. (Vide CHAMPOLLION-FIGEAC, ibid. in praefatione.)

(2) Ad rem istam videtur pertinere haec ducis Austriae epistola, ut sequitur : « Dilecto et » speciali amico suo H. Anglorum regi, etc., L. dux Austrie et Styrie, etc. Nuper nuncii vestri » cum serenitatis vestre litteris ad nostram presentiam accesserunt, per quos nobis fecistis » constare de filia nostra vobis matrimonialiter copulanda. Et verum quidem esse fatemur » nostros vobis super hoc negotio alioquin nuncios destinatos [fuisse]; unde et adhuc vestram » nosse cupimus excellentiam quod omnem hujus facti processum in domino Coloniensi archi- » episcopo locavimus et posuimus. Id quoque vos scire verius cupientes quod plene in hac » voluntate persistimus quod nulli hominum magis volumus magisque quam vobis cupimus » copulari per talem affinitatis copulam, qui et semper nostris vobis desideravimus obsequiis » applicari. Valete. » Ap. VON MEILLER, *Regest.*, p. 135, n° 197, ex copia in arch. Vindobonensi.

confluunt; ideoque necesse est ut magnos viros ad partes illas destinetis qui multa possint expendere, ut ibi morentur donec negotia vestra perficiantur; et si volueritis quod nos per tantum tempus moram ibidem faciamus, necesse habemus ut denarios nobis transmittatis : quod per Henricum de Sancto Albano vel Johannem de Lyburn benefacere poteritis. Ipsi enim illos nobis bene habere facient. Preterea si socii nostri recedant, nos nullatenus soli in partibus illis remanebimus ad negotia illa consummanda. Valeat excellentia vestra in Domino.

---

Henricus, Romanorum rex, notum facit in curia sua pro Henrico Brixinensi electo sententiatum fuisse quod excommunicato feudum suum negare possit, et alienationes bonorum episcopatus absque imperii et capituli assensu factas licite revocare debeat. Apud Lutream, 24 aprilis.

(Edider. DE HORMAYR, *Histor. Tirol.*, t. I, pars 2, p. 278. — PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 254.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee litere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Significamus vobis quod cum dilectus princeps noster H. venerabilis Brixinensis electus coram nobis constitutus requireret in sententia si ipse vel alter princeps aut episcopus excommunicato cuicunque feudum suum, quamdiu in excommunicatione permanserit, concedere debeat vel negare, et a principibus et magnatibus imperii adjudicatum et sententiatum extitit eidem quod unicuique excommunicato feudum suum negare et detinere possit debita ratione. Ad hec coram nobis per sententiam extitit adjudicatum quod universas obligationes pignorum, concessiones feudorum seu quascunque alienationes bonorum, episcopatus Brixinensis specialiter, absque nostro et imperii ac etiam capituli sui consensu et assensu factas, licite possit et debeat revocare. Quapropter mandamus per gratiam nostram firmiter precipientes ut nullus

sit qui predictis sententiis a principibus et magnatibus imperii approbatis derogare andeat vel aliquatenus contraire. Quod qui fecerit indignationem et gravem nostram et imperii offensam se noverit incursurum.

Datum apud Lutream (a), VIII kalendas maii, indictione XIII.

---

Lutreae, 25 aprilis.

Henricus, Romanorum rex, claustro de Otterberg jus incidendi ligna in nemoribus quae Waldmark et Brand dicuntur et usum pascuorum confirmat.

(Edid. Steph. Alex. Wurdtwein, *Monast. Palat.*, t. I, p. 277, n° XLVII.)

Henricus septimus Dei gratia [Romanorum] rex et semper augustus, universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, ad quos littere iste pervenerint gratiam suam et omne bonum. Notum sit omnibus quod cum claustrum de Otterburg a multis temporibus jus habuerit incidendi ligna que vulgo surda et mortua dici solent, hoc est omnia, preter quercus atque fagos, in nemoribus que Waltmarcha et Brand dicuntur, insuper et colligendi ligna etiam quercuum et fagorum que ventus dejecerit et que fuerunt ab aliis succisa et relicta tam que rami et que (*sic*) Caude appellari solent, sed et usum pascuorum [habuerit], preter glandes quibus sine licentia non debent uti, nos jus inde prefato cenobio in perpetuum confirmamus. Authoritate regia inhibentes universis ne quis fratres hujusmodi loci tam in claustro quam in curtibus, quod jus idem olim habuerunt, super usuario isto impedire aut molestare presumat. Alioquin indignationem nostram, si hanc confirmationem et concessionem nostram spreto majestatis nostre testimonio attentaverit irritare, se certissime noverit incursurum.

Hujus rei testes sunt venerabilis archiepiscopus Trevirorum Theodoricus, Johannes Metensis episcopus, Hermannus Herbipolensis electus (1),

(a) In duobus *Lucuam*, male. Correxit Boehmerus ex originali.

(1) Hermannus vicesimo tertio die februarii hoc ipso anno in episcopum fuerat electus.

Matheus dux Lotharingie, Marquardus notarius aule regie, Henricus de Ulmene, Henricus de Cimeterio Confluentie, et plures alii.

Datum Lutree, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, septimo kalendas maii, indictione decima tertia.

---

Henricus, Romanorum rex, Gotefrido abbati et conventui in Schönthal confirmat praedium Bieringen quod ab Henrico de Langenberg et ab uxore ejus emerunt, addito quod Agnes de Bilrieth ejusdem Henrici socrus contradictioni quam dudum obtenderat omnino renuntiavit. Hallis. 28 aprilis.

(Edid. J. F. Georgius, *Uffenheim. Nebenstunden*, t. 1, p. 1204, sed minus integre. Ad fidem originalis exhibemus ex copia quam nobis liberaliter Kauslerus communicavit. Sigillum cereum, egregie conservatum, ex filis sericis rubris flavisque dependens, refert legendam : † HENRICVS DI GRA ROMANORVM REX ET SEMP. AVGVSTVS.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Deo omnipotenti gratum non ambigimus prestare obsequium, et ad utriusque vite felicitatem scimus nobis prodesse, si personas religiosas et loca divinis mancipata obsequiis pio curaverimus defendere favore, et ea que ad ipsorum commodum pertineant salubriter promovere. Qua propter ad universorum imperii fidelium tam presentium quam futurorum noticiam duximus perferendum, quod cum dilecti nostri Gotefridus abbas et conventus in Sconendal, ordinis Cisterciensis, a nobili viro Heinrico de Langenberc et uxore sua Sophia predium quoddam situm in loco Biringen, cum omnibus suis attinentiis preter mancipia utriusque sexus, pro ducentis marcis argenti comparassent, et socrus prefati Heinrici Agnes de Bilrieth facte venditioni contradiceret, orta est inter ipsos vendentes et ementes disceptatio, eo quod abbas nollet Heinrico precium solvere quamdiu socrus contra-

diceret. Que videlicet socrus ipsum eidem Heinrico cum filia quondam sua ita contradiderat, ut ipse Heinricus libere et absolute eodem predio pro arbitrio suo posset uti et de eo disponere quecumque vellet absque socrus contradictione. Unde et ipsa tandem casse contradictionis impedimentum quod obtenderat relinquens, in nostram venit presentiam Hallis et ibidem coram nobis confessa est quod monasterium et generum indebito inquietaverit, ac pristine contradictioni atque impeticioni sue prorsus abdicavit et renunciavit; sicque omni impedimento facto de medio, predicti abbas et Heinricus in ipso contractu rite processerunt. Ad hujus igitur rationabilis facti confirmationem et ejus perhennem memoriam, paginam hanc conscribi jussimus et nostro sigillo communiri, auctoritate regia statuentes et sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nulla unquam persona contra factum hoc aliquo improbitatis ausu venire presumat.

Hujus rei testes sunt Engilbertus archiepiscopus Coloniensis, Gerhardus comes de Diets, Gerlacus de Buthingen, Albertus de Alvelt, Cunradus de Winsperc, Walterus de Hornburc, Fridericus et Heinricus Enze fratres de Bilrieth, Walterus Bacho de Thetingen, Rudegerus de Herlekoven, Burchardus de Wagenhoven, milites; Ruggerus scultetus de Hallis et filii ejus Ruggerus et Heinricus, Fridericus Senex scultetus et filii ejus Fridericus et Burchardus, Hermannus, Heinricus, Walterus filii domine Berlen, Heinricus et Burchardus Ummazen (1) fratres, Walcunus, Erkenbertus, Cunradus de Dinkelsbuhel, burgenses in Hallis, et ceteri quamplures.

Datum in Hallis, anno dominice incarnationis M° CC° XXV°, quarto kalendas maii, indictione terciadecima.

---

Apud Würtzburg, 21 maii.

Henricus, Romanorum rex, conventum et monasterium de

(1) Isti autem rectius *de Unmuess* appellari deberent, qui cum hoc cognomine ut fundatores unius in Hallis capellae memorantur. Vid. Sagittarium, *Histor. Hallens.*, § 34.

Scheftersheim cum omnibus bonis ejus sub sua et imperii speciali protectione recipit, statuitque ut nullum praeter se ipsum recognoscat advocatum.

(Edid. Hansselmann, *Diplomatisch. Beweiss des Hauses Hohenlohe*, t. 1, beylage n° XIX, p. 395, ex origin. in archiv. Hohenl.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, uuiversis imperii fidelibus quibus hec pagina ostensa fuerit gratiam suam et omne bouum. Siguificamus vobis quod uos conveutum et mouasterium de Schepffirsheim cum omuibus bonis suis sub nostram et imperii specialem recepimus protectionem, statuentes et volentes ut jam dicti monasterii conventus, quia ipsum mouasterium iu fundo patrimonii nostri constat esse fundatum, uullum super se et bona sua preterquam uos recognoscat vel teneat advocatum. Mandamus igitur et sub pena gratie uostre districte precipimus ut uullus sit qui super ipsum mouasterium vel boua sua aliquam ei advocatiam audeat vendicare vel dampuum ipsis aut gravamen aliquod irrogare. Quod qui fecerit uostram et imperii offensam se sciat graviter iucursurum. Ad hec volumus ut sepefatus conventus lesiones et gravamina sua, si uon personaliter iu hiis partibus existamus, fideli uostro sculteto de Rotemburc conquerantur. Ad hujus rei eternam evidentiam preseutem litteram sigillo uostro jussimus iusigniri.

Datum apud Wirzburg, XII kalendas junii, iudictione XIII.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterium Scotorum et Hyberniensium Nurembergae, ab antecessoribus suis regibus et imperatoribus constructum, amplissimo libertatis privilegio munit, simul que ejus possessiones ac donatores nominibus designat. Apud Nuremberg, 2 julii.

(Edit in Wölkern, *Histor. diplom. Norimb.*, 50, n° 6.— In Schutz, *Corp. Hist. Brandenb.*, diplom., IV abtheil 63, n° 27. — In Falkenstein, *Cod. diplom. Antiq. Nordg.*, sive part. IV, 45, n° 29. — In Ussermann, *Cod. diplom. ad*

*histor. episcop. Bamb.*, 147, num. 165. — Ap. *Monum. Boic.*, tom. XXXI, pars I^a, p. 519, e libr. cop. Scotor. Norimb. sec. XV.— In Hansselmann, *Beweiss. des h. Hohenl.*, I, 393, n° XVIII.— In Soden, *Beschr. der cap. zu Altenf.*, 38.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Si viris religiosis favoris et munificentie gratiam impenderimus, temporalium et eternorum bonorum retributionem indubitanter consecuturos nos esse speramus. Quapropter notum sit omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris qualiter monasterium Scotorum et Hyberniensium in Nuremberg constructum nec non et ecclesiam in Altenfurte vulgo dictam ad idem monasterium Sancti Egidii Scotorum attinentem secundum tenorem firme libertatis privilegiorum antecessorum nostrorum Romanorum imperatorum et regum, ob honorem et venerationem beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Jacobi et Sancti Egidii confessoris, rogatu Martini abbatis et fratrum ejusdem monasterii atque fratrum Sancti Johannis et Sancte Catherine in Altenfurte supplicatione, que Scotis Sancti Egidii subdita esse probatur, cum omnibus possessionibus quas modo habent rationabiliter et quas in posterum specialibus nominibus designabimus aut in futurum justis modis sunt habituri, in mundiburdium defensionis nostre suscepimus : eo scilicet tenore ut, sicut constitutum est ab antecessoribus nostris imperatoribus et regibus, idem monasterium Sancti Egidii in Nuremberg ac ecclesia in Altenfurte necnon et bona ei attinentia ac ibidem solummodo Scoti et Hybernienses inhabitantes et nulli alii perpetuam libertatem habeant et tutelam. Tantum etiam humane prosperitatis bonum in adsciscendis pauperibus Christi Scotis et Hiberniensibus animadvertentes, decernimus et regia auctoritate prohibemus ne quis preter Scotos et Hibernienses prefatam ecclesiam Sancti Egidii monastico habitu inhabitet. Quia etiam predicta ecclesia de elemosinis regalibus fundata est, ubicumque abbas vel monachi sui regie curie interfuerint, stipendia a curia s cut ab antiquo statutum est habeant; statuentes ut nulla persona humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, in eos aut bona eorum qualemcumque dominationem habeant preter nos et successores nostros reges vel imperatores, excepto abbate Sancti Jacobi Scotorum Ratispone

cujus est ex antiqua consuetudine et approbata secundum regularia statuta eos corrigere, sed securi maneant absque omni ejectione, gravamine, molestia et perturbatione, nec quicquam servitii nisi soli Deo et sanctis ejus reddere cogantur, orantes tantum pro se et statu imperii ac totius Ecclesie salute. Nomina antem possessionum hec sunt : Vazendorff cum advocatia sua ex testamento regis Conradi. Idem rex contulit duas partes decime in Heroltperg, tres mansos in Lewmpurg, in Typerstorff unum mansum, Heydelpach unum mansum, in Baucshausen duos mansos, in Biberbach et Symonhowe tres mansos et dimidium, Weisenprunn duos mansos ex dono Alberti de Danne cum advocatia, Huesenbuhil ex dono Alberti de Reyz cum advocatia, Rorenstat unum mansum ex dono Burcardi de Reginhowe cum advocatia, Kefenbach unum mansum ex dono ejusdem matris, Bullingen et Holtzheim ex dono Reingeri de Herisbach, Meckenloch quinque mansos ex dono Gotfridi burgravii, Stuphaim ex dono filii ejus, Nemsdorff tres mansos ex dono Rymarii, Rorendorff unum mansum ex dono Eberhardi de Rietfelt, Meirsperg quinque mansos ex dono Lewpoldi de Grindela, Gotelendorff duos mansos ex dono Rihze Incluse, Hezelbach tres mansos ex dono Gerhardi de Zewheim cum advocatia, Dornheim duos mansos ex dono Lewpoldi et filii ejus de Grindela, Helboltzheim, Umgerheim et Kircheim sex mansos ex dono Hiltigardis prefectisse, Godelbrune unum mansum ex dono Ludwici de Aspach, Sydelbach unum mansum ex dono Jute de Hausen cum advocatia, Hagenhawsen et Rotenpach duos mansos et dimidium ex dono Markardi de Hallenhawsen, Hosmarstorff unum mansum ex dono Alheidis de Henige, Reicholswant duos mansos ex dono Burchardi de Ginsenha, Melgach unum mansum ex dono Conradi prefecti de Nuremberg, villam Huel novem mansos ex dono burgravii Gotfridi, Newsaz quatuor mansos ex dono Gotfridi filii ejus, Kempnat quatuor mansos ex dono Menradi de Kempnat, Hagenhawsen et Hewndal tres mansos ex dono Jute de Tanne, Ferriden unum mansum ex dono Alberti Lupi, Lechendorff unum mansum ex dono Herdegen de Grindila, Rorenstat unum mansum et dimidium, Ganstorff unum mansum, Ura unum mansum, Krigenbrunn unum mansum, Kranach quatuor mansos cum advocatia.

Preterea dignum duximus et idem monasterium, quod a nobis nostrisque antecessoribus regibus et imperatoribus noscitur esse constructum, ab omni advocatorum vexatione liberum esse volumus nec ejusdem ecclesie advocatiam concedere, habere aut dare vel obligare, nisi per nos vel nostros successores reges et imperatores et cum voluntate abbatis Scotorum. Inhibemus etiam et precipimus ne alicui advocato liceat bona eorum usurpando emere aut renovando addere, sed solis Scotis tantummodo de bonis suis, prout melius vel utilius poterint, disponere liceat, sicut hactenus temporibus antecessorum nostrorum noscitur observatum, nec eorum advocatiam aliquis tenebit aut sibi vendicabit, sed tutela regia inconcusse conservabitur ob salutis eterne augmentum. Statuimus quoque ut nulli secalari judici aut preconi in curia Scotorum vel in atrio aut in hospitali dominari liceat aut judicium exercere, et reus fugiens pacem habebit in locis eisdem. Nolumus etiam ut ab aliquo impignorari debeant. Si quis autem hanc libertatem eis infringere presumpserit, trecentas marcas auri compositurus banno nostro subjacebit, medietatem camere nostre et medietatem supradicte ecclesie. Ut autem hec nostra concessio rata et intemerata permaneat in perpetuum, presentem paginam scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Testes autem sunt hii Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Heinricus Eystetensis episcopus, Ludwicus dux Bavarie, Otto dux Meranie, Dieboldus marchio de Hohinburg, Conradus burgravius de Nuremberg, Gerardus comes de Dietz, Heinricus comes de Ortemburg, Hiltibrandus marscalcus de Rehberg, Conradus pincerna de Winterstetten, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXV, regnante domno Heinrico invictissimo Romanorum rege, anno regni ejus V.

Datum apud Nuremberg, VI nonas julii, indictione XIII.

---

Apud Nuremberg, 2 julii.

Henricus, Romanorum rex, monasterio Scotorum apud Ratisponam possessiones et bona ejus confirmat.

(Memorat. et extract. ap. Gemeiner, *Chronic. Regensb.*, t. I, p. 312.)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXV, etc.
Datum apud Nuremberg, VI nonas julii, indictione XIII.

---

Henricus, Romanorum rex, claustrum Neuwerk apud Goslariam in sua protectione suscipit, et ad exemplum suorum praedecessorum confirmat ut ejusdem loci moniales super ipsarum bonis nullum alium advocatum habere debeant nisi quem ab imperio obtinuerint. Northausen, 27 julii.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 221, n° 87, ex originali a Volgero ipsi communicato.)

Datum apud Northusin, VI kalendas augusti, indictione XIII.

---

Henricus, Romanorum rex, formam arbitrii approbans, quo controversia super feodo Herbipolensi inter patrem suum Fridericum imperatorem et se ex una parte, et ecclesiam Herbipolensem ex parte altera decisa est, nominatim exprimit feoda, quae ab ecclesia eadem se habere recognoscit; reliqua autem omnia ab impetitione sua et successorum suorum libera declarat. (Northausen), 27 julii.

(Edit. in Jager, *Gesch. Frankenlands*, III, 346, n° 19, et in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 130, n° DCLXXI, ex originali unde quatuor sigilla fere illaesa appendent: primum Henrici regis, secundum Engelberti Coloniensis archiepiscopi, tertium Engelhardi Nuenburgensis episcopi, quartum equestre Ottonis Meraniae ducis. — Memoratum etiam et germanice extractum a Frisio in Ludewig, *Geschichr. von Wirzburg*, d. 554.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Ad noticiam omnium Christi fidelium, tam presentium quam futurorum, scripti hujus insinuatione volumus pervenire quod cum super feodo Herbipolensi inter dominum et patrem nostrum Fr. imperatorem et nos ab una parte et ecclesiam Herbipolensem ab altera lis et dissensio aliquamdiu verteretur, tandem ad declinandum totius rancoris et discidii fomitem, prudentum virorum mediante consilio, electis utrimque arbitris, finalis ejusdem cause decisio est commissa. Arbitrii autem forma talis est: quod oppidum Heilecbrunnen et villam Bochingen cum omnibus bonis tam absolutis quam infeodatis et omni jure, ita quod infeodati ad nos respectum habeant de suis beneficiis requirendis; advocatias quoque de Stephe et Sickershusen una cum villa Kuonegeshoven que infeodata est, ab ipsa ecclesia in feodo teneamus. Preterea advocatiam in Frickenhusen concessam nobis cognoscimus sub spe gratie specialis. Reliqua autem bona seu absoluta seu inbeneficiata, quaecunque sita, que eidem dicebantur feodo attinere, sine omni impedimento et nostra ac omnium successorum nostrorum et a nobis descendentium inpeticione ecclesia cunctis postmodum evis libere possidebit. Quibus universis seu absolutis seu inbeneficiatis coram subscriptis testibus pro nobis et patre nostro libere renuntiavimus et precise, nullam habituri in ipsa ullo umquam in posterum tempore rationem. Insuper ad certam favoris et gratie evidentiam qua prefatam ecclesiam amplexamur, violentias si que de nostris eidem civitatibus inferuntur precipimus et ordinabimus amputari. Ut autem facti hujus a nobis et ecclesia Herbipolensi approbata stabilitas perpetuo maneat inconvulsa, presentem paginam nostro, Coloniensis archiepiscopi, Nuwenburgensis episcopi ac aliorum que appensa sunt sigillis fecimus communiri.

Testes hujus rei sunt : Engilbertus Coloniensis archiepiscopus, Engilhardus Nuwenburgensis episcopus; laici : Otto dux Meranie, Boppo comes de Hennenberg, Diepoldus marchio de Hohenburg, Gerhardus comes de Dieths, Cuonradus comes Zolre, Fridericus de Truohendingen, Heinricus de Gruonbach, Mangoldus de Wilperg, Heinricus de Sternberg, Cuonradus de Hohenloch; ministeriales : Volricus de Mincenberg,

Eberhardus dapifer de Walburg, Hiltebrandus marscalcus de Rechperg, Cuonradus pincerna de Clingenburg, Cuonradus de Winterstete, Fridericus camerarius de Bigenburg, Dietho de Rabenspurg, Dietricus de Hohenberg, marscalcus Heinricus de Lure, Volkerus dapifer de Salzperg, Heinricus magister coquine, et alii quamplures.

Actum anno Domini M°CC.XXV, indictione XIII, VI kal. augusti (1).

---

Henricus, Romanorum rex, notum facit Moguntinum archiepiscopum et Hildeshemensem episcopum, post dissensiones varias super terminis partis quae est citra Gosam in Goslar, consensisse quod ecclesia Goslariensis in suo pristino statu remaneat, donec quaestio sit rationabiliter terminata.

Apud Northusin, 28 julii.

(Edid. HEINECCIUS, *Antiq. Goslar.*, lib. III, p. 237. Aderant originali sigilla quatuor, scilicet Henrici regis, Moguntini et Coloniensis archiepiscoporum et Hildeshemensis episcopi.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis hoc scriptum perspicientibus gratiam suam et omne bonum. Post dissensiones varias inter dilectos et familiares principes nostros dominos S. Moguntinum archiepiscopum et C. Hildesheimensem episcopum super terminis partis que est citra Gosam in Goslar, n[obis] mediantibus per familiarem principem nostrum E. Coloniensem archiepiscopum qui nostri et imperii curam gerit, in hoc consenserunt episcopi supradicti quod Goslariensis ecclesia, que specialis imperii nostri dignoscitur esse capella, cum suis pertinentiis omnino in eo sit statu in quo fuit ante omne dissensionis initium, ita quod medio tempore ab ipsis episcopis nichil

(1) Locus ubi peractum est negotium ex praecedenti et sequenti documento facile colligitur. Unde auctores Monumentorum Boicorum erraverunt, quum apud Francofurtum rem diffinitam fuerint arbitrati.

[predictum capitulum vel (*a*)] a singulis nec ab aliquo molestentur (*sic*), donec questio inter episcopos memoratos juste et rationabiliter sit terminata.

Acta sunt hec Northusen, in presentia domini E. Coloniensis archiepiscopi et domini F. Halverstadensis episcopi, domini E. Nuenburchensis episcopi, . . . . . de Ther. (*b*), comitum H. et H. de Waldenberc, et . . . de Wnlferbuttele imperialis aule dapiferi.

Anno incarnationis Domini M° CC° XXV°, V kalendas augusti, [indictione] XIII.

---

Apud Ingelheim, 23 augusti.

Henricus, Romanorum rex, monasterio de Eberbach exemptionem thelonei super Rhenum apud Bopardiam confirmat, sicut pater suus Fridericus imperator anno 1218, 27 martii, eidem ecclesiae concesserat.

(Memorat. ap. Boehmer., *Regest. imper.* (Uneinreihbare Stücke), p. LXXXVII; ex originali apud Idstein asservato.)

Datum apud Ingelnheim, X kalendas septembris, anno imperii nostri quinto (1).

---

Apud Westmonasterium, 27 augusti.

Henricus, Anglorum rex, episcopum Carleolensem rogat ut in

(*a*) Locus uncis inclusus ita ab Heineccio suppletur.

(*b*) Locus, ut videtur, oblitteratus forsitan legendus *ducis de Meran*.

(1) Caeterae notae desunt. Annus imperii seu regni a die coronationis computatus anno Christi 1226 rectius respondet. Quum tamen isto anno 23 augusti apud Wimpinam rex fuerit moratus, hoc privilegium ad ann. 1225 ex itineris serie potius referendum arbitramur. Praeter id in privilegiis, 2 julii 1225 (vid. supr. p. 846) et 12 octob. 1225 (vid. infr. p. 859), annus quoque regni *quintus* bis memoratur.

partibus Alemanniae moram suam proroget, usque dum cum assensu Coloniensis archiepiscopi et sine periculo negotii sibi injuncti recedere possit.

(Edid. Rymer, *Foedera et convent.*, tom. I, p. 282.)

Rex episcopo Carleolensi salutem. De sollicitudine continua et laudabili cui vigilanter insistitis ad honorem nostrum procurandum in partibus longinquis, moram facientes in labore et tedio, in sumptibus non modicis (1), dilectionem vestram affectuose prosequimur cum gratiarum actione. Cum autem ex transmissis nobis domini Coloniensis et H. de Zudentorp litteris acceperimus, quod et nobis satis est manifestum, quod ipsius domini Coloniensis sicut ut multorum de partibus illis gratiam obtinueritis ad agenda nostra efficacius et facilius expedienda, vobis mandamus rogantes quatenus [in] partibus illis adhuc immorari non omittatis; inquirentes tamen usque ad festum Sancti Michaelis tam diligenter quam prudenter si cum bona voluntate et assensu ipsius domini Coloniensis, et maxime ne ex recessu vestro injunctum vobis negotium rumpi contingat, a partibus illis recedere possitis. Et si ad recessum vestrum forte cucurrit bona voluntas et assensus ipsius domini Coloniensis cum spe negotii nostri promovendi, nos super hiis omnibus simul cum consilio nostro reddatis instructos, ut ex tunc quod in hac parte nobis placeat simul et expediat discretioni vestre rescribamus (2).

Teste rege apud Westmonasterium, XXVII die augusti, [anno IX].

---

(1) Aliis jam scriptis litteris, 7 julii 1225, rex Angliae episcopo Carleolensi et Nicolao de Molis mandaverat ut imperatoris et ducis Austriae responsum accepturi moram suam prorogarent. Cf. Rymer, *Ibidem*, p. 280.

(2) Negotium vero regis Angliae minime ad optatum finem pervenit, cum haec legamus apud Godefridum Coloniensem : « Anno Domini MCCXXV, Heinricus rex curiam habuit Frankinvort. Ubi quidam episcopus (agitur de Carleolensi) missus a rege Angliae cum caeteris ipsius legatis affuit, laborans ut ipse rex matrimonium contraheret cum sorore regis Angliae. Sed cum talis contractus displicuisset principibus nec potuisset habere processum, nuntii inacte revertuntur. » Quo tempore fuerit haec celebrata curia apud Francfort, discimus ex documento dato ibidem 21 octobris. Vid. infra p. 859.

Wormatiae, 3 septembris.

Henricus, Romanorum rex, ad preces Engelberti Osnaburgensis electi, ei de consilio principum concedit auctoritatem exequendi judicium quod Gogericht dicitur per gogravios proprios, ita ut liberiorem habeat subditorum excessus corrigendi facultatem.

(Edid. Just. Mösers, *Osnabruck. Geschichte*, III<sup>a</sup> pars, docum. n° 137, e schedis Henseleri.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Ad tocius ignorantie scrupulum resecandum notum facimus universis imperii fidelibus quod dilectus princeps et consanguineus noster Engelbertus Osnaburgensium electus a nostra postulavit excellentia ut in quibusdam villis sui episcopatus, videlicet civitate Osnabrugensi, Iburg, Melle, Dissen, Anckem, Bramesche, Damme, Wiedenbrugge, judicium quod vulgo Gogericht appellatur ipse suique successores per gogravios proprios per eos institutos libere exequantur; quod habeant liberiorem suorum subditorum excessus et insolentias corrigendi facultatem. Nos ergo cum ex suscepta cura regiminis promotionibus ecclesiarum intendere teneamur et eas sui juris conservatione clementer confovere, memorati principis nostri E. petitioni pio concurrentes assensu, in prenominatis villis idem judicium quod Gogericht dicitur sibi et suis successoribus de consilio principum et fidelium nostrorum exequendi concessimus authoritatem. In cujus rei testimonium presentem paginam exinde conscriptam sigilli nostri munimine dignum duximus corroborari.

Datum Wormatie, III nonas septembris, indictione tercia decima, anno Domini millesimo ducentesimo XXV°.

Apud Wormatiam, 4 septembris.

Henricus, Romanorum rex, ratam habet et confirmat alienationem, qua cum debita solemnitate ecclesia Porcetensis (Burtscheid)

bona in Costem (Kostheim) ecclesiae beati Stephani apud Maguntiam vendidit.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 134, nº DCLXXIII, ex originali unde sigillum appendet ex filis sericis subflavi et purpurei coloris. — Cf. JOANNIS, *Rer. Mogunt.*, tom. II, p. 529, in Chronico eccles. colleg. S. Steph. Mogunt. — Edid. quoque WURDTWEIN, *Nov. subs. diplom.*, t. IV, p. 43; sed perperam Friderico secundo documentum tribuit.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis Christi fidelibus ad quos presens pagina pervenerit in perpetuum. Notum facimus universis quod nos propter urgentem necessitatem et manifestam utilitatem ecclesie Porcetensis, alienationem factam de bonis in Costem cum suis pertinentiis, que dicta ecclesia de consensu et auctoritate venerabilis et dilecti principis nostri Engelberti, Coloniensis archiepiscopi, nostri provisoris et regni, ecclesie beati Stephani in Maguntia pro certa pecunie vendidit quantitate, ratam habemus et eam nostri scripti munimine confirmamus. In cujus rei testimonium et firmitatem presenti pagine sigillum nostrum jussimus appendi.

Datum apud Wormatiam, II nonas septembris, indictione XIIIª.

---

Henricus, Romanorum rex, sculteto et universis civibus de Rheinfelden concedit ne possessiones ad dominium civitatis pertinentes alienare debeat, neque procurationem castri seu regimen civitatis alicui nisi providae et discretae personae committere. Wormatiae, 7 septembris.

(Edid. HERRGOTT, *Genealog. Austr.*, t. II, p. 231, ex archivo civitatis Rhenofeldensis.)

Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Decet regalem eminentiam fidelium suorum obsequia vultu sereno respicere et eos condignis retributionum premiis prevenire. Qua-

propter significandum duximus tam presentibus quam futuris quod nos de mandato serenissimi domini imperatoris patris nostri nec non de providentia consilii nostri et specialiter de ordinatione dilecti consanguinei nostri E. venerabilis Coloniensis archiepiscopi, dilectis fidelibus nostris sculteto pro tempore constituto et universis civibus de Rinfelden concedimus et presenti privilegio confirmamus ne possessiones, bona ac proventus ad dominium Rinfelden pertinentes titulo feudi, commissionis, concessionis seu donationis aliquo genere alienare vel distrahere debeamus, sed nostris usibus conservare. De habundantiori quoque gratia nostre celsitudinis cupientes eisdem modis omnibus providere, cum per pressuras, damna ac pericula multa non solum rerum, sed etiam personarum, nostro se dominio studeant subjugare, promittimus eis et confirmamus ut nunquam procurationem castri Rinfelden seu regimen civitatis alicui committere debeamus, nisi persone provide et discrete ad ipsum dominium pertinenti, vel alicui quem sine nota suspicionis duxerint acceptandum. Ad cujus promissionis et facti nostri perennem memoriam, presens privilegium conscribi et sigillo nostro jussimus communiri.

Testes hii sunt E. Coloniensis, . . . Trevirensis venerabiles archiepiscopi, . . . Wormaciensis, . . . Spirensis episcopi, . . . marchio de Baden, . . . comes de Liningen, . . . comes de Diets, W. dapifer de Bonlandia, E. dapifer de [Walpurc], C. et E. de Winterstetten, . . . camerarius de [Bienburg?], et alii quamplures.

Actum apud Wormatiam, anno dominice incarnationis MCCXXV, VII [idus] septembris, indictione XIII.

---

Apud Spiram, 7 septembris.

Henricus, Romanorum rex, commutationem quorumdam bonorum inter abbatem et fratres ecclesiae Odenheimensis et Rudolfum de Chisolowa factam ratam habet et confirmat.

(Inedit. ex chartulario abbatiae de Odenheim, f. 38, in arch. Carlsruh.; inclus. in privilegio Ludovici Bavarici sub anno 1338.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee litere ostense fuerint gratiam et omne bonum. Ex benignitate majestatis regie compellimur piis et justis petitionibus et maxime religiosorum virorum audientiam favorabilem exhibere. Proinde est quod notum esse volumus universis quod constituti coram nobis dilecti nostri abbas et fratres ecclesie Odenheimensis bona sua que in villa Zütherin habebant tam in agris quam in vineis et aliis possessionibus, cum dilecto fideli nostro Rudolfo de Chisolowa pro quibusdam bonis omnibus que habebat in Michenfeldt et Angelocha tam in silvis, pratis, vineis, agris ac aliis possessionibus per concambium commutaverunt. Verum cum dictus Rudolphus prelibata bona in Michenveldt et Angeloch a nobis et predecessoribus nostris in feodo detinebat, memorata bona abbatis et suorum confratrum in Zütherin a nobis in feodo recepit, ut ipsius Rudolphi bona in Michenfeldt et Angeloche libere et omni jure proprietatis abbas et sui confratres possideant memorati. Nos vero attendentes evidentem utilitatem ecclesie prelibate, dictam commutationem habere volumus firmam et ratam. Mandamus igitur sub pena gratie nostre firmiter inhibentes ne aliquis sepefatum abbatem et suos confratres in bonis eorum in Michenveldt et Angeloch ipsos presumat in aliquo molestare. Quod qui fecerit offensam nostram noverit graviter incurrisse.

Hujus vero facti testes sunt venerabilis Engelbertus Coloniensis [archi]episcopus, Conradus major prepositus de Tan, G. comes de Diez, C. (E.) dapifer de Walpurg, Otto (Dieto) de Ravenspurg, et alii quamplures.

Actum apud Spiram, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXV°, VII idus septembris, indictione XIIII°.

---

Henricus, Romanorum rex, cunctis imperii fidelibus mandat ne ullum impendant auxilium civibus Bisuntinis, qui archiepiscopum suum ejecerant communitatesque contra sententiam Berni latam statuerant. Apud Werden, 23 septembris.

(Edit. ap. Desvernois, *Mouvance du comté de Bourgogne*, preuves n° C, ex dissertat. Acad. Bisuntin., ann. 1760-1761. Coll. cum codice dicto *Chartulaire de Franche-Comté*, collect. Droz, Bibl. reg. Paris., tom. III, f. 527 verso, 528 recto.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, universis baronibus, ministerialibus ac totius imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitatem vestram credimus non latere qualiter Bisuntini cives venerabilem principem nostrum archiepiscopum Bisuntinum (1) non sine divine majestatis et nostre contemptu a civitate Bisuntina ejecerunt, communitates sibi, constitutiones, confederationes et alias novitates statuentes. Nolentes itaque ejectionem nostri principis impunitam vel alia superius comprehensa stabilia permanere, presertim cum principes in nostra curia apud Bernum super hiis communem sententiam protulerunt contra ipsos (2), dilectionem vestram rogando affectuose et precipiendo vobis mandamus quatenus jam dictis civibus quos contumaces imperii invenimus et rebelles, favorem vel auxilium non impendatis, sed eisdem sic substrahatis subsidia terre vestre quod nec ipsos ad eam accedere nec de ea ad eos portare victualia vel subsidia aliqua sustineatis (3).

Datum apud Verden, VIII° kalendas octobris, indictione XIIII°.

(1) Scilicet Gerardum, qui in exilio circa hoc tempus vitam amisit.

(2) Vid. supr. ad ann. 1224, 28 decemb., p. 818.

(3) Extant de re eadem, in collect. Droz, tom. I, fol. 382 verso, litterae patentes Joannis archiepiscopi Bisuntini ann. 1225 exeunte, ubi legitur : « Super illo autem articulo, scilicet de » colligatione a vobis per juramentum firmata, scitis quoniam dominus noster Alemannie rex » illustris per judicium curie sue et principum Alemannie declaravit jus suum et nostrum esse » quod in hac civitate nostra Bisuntina sine consensu suo et archiepiscopi non poterat fieri » communitas nec aliqua obligatio fide vel juramento firmari, et ideo quidquid factum fuerit » contra hoc per judicium revocavit et hoc dominus imperator confirmavit. » Iste autem civibus excommunicatis tandem absolutionem concessit hac conditione : « Ut ob remissionem » peccati vestri apud Deum veniatis usque ad centum de majoribus vestris nudis pedibus in » tunicis ad ecclesiam S. Johannis, et ibi expoliati in camisiis et ad pedes nostros inclinati » cum virgis a nobis recipiatis disciplinam. » *Inventaire du chap. métropolitain*, ap. Desvernois, *Ibid.*, p. 63.

---

Henricus, Romanorum rex, abbatiam Veteris Montis (Altenberg), Cisterciensis ordinis, cum omnibus bonis ejus sub sua defensione recipit, atque eidem confirmat exemptionem thelonei per alveum Rheni tam in Bopardia quam in Werda. Werden, 27 septembris.

(Edid. Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 66, n° 124.)

Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus in perpetuum. Cum nichil majus a Deo anima susceperimus, Deo debemus indulgere per omnia que quidem nobis cariora reservamus. Hac igitur salubri consideratione, non solum ad presentium notitiam, verum et futurorum volumus pervenire quod abbatiam Veteris Montis, Cysterciensis ordinis, cum omnibus personis, monachis videlicet et conversis, ibidem Deo famulantibus et eorum mancipiis et bonis eorum omnibus mobilibus pariter et immobilibus in nostram tuicionem et defensionem recepimus, volentes ut eadem ecclesia Veteris Montis ab omni perturbatione quorumlibet hominum salva semper sit et secura; et quemadmodum eidem ab illustrissimis progenitoribus et predecessoribus nostris, avo videlicet et patre nostro, ab antiquo concessum est, ex regia nostra liberalitate confirmamus eidem ut quecumque bona fratres ipsius per alveum Reni sursum sive deorsum duxerint libera pertranseant, et sine omni theloneo nec non exactione tam in Bobardia quam in Werda deducantur. Ne quis autem huic confirmationi nostre ausu temerario presumat obviare, presens privilegium conscribi dignum duximus et sigilli nostri munimine roborari.

Testes sunt Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Hermannus prepositus Werdensis, Gerardus comes de Diez, Arnoldus de Gimmenik, Gerardus de Sinzich, Gernandus burgravius de Werden, Conradus notarius de Bobarden, Wilhelmus advocatus Aquensis, frater Bertoldus de

Tonroth (a) domus Teutonicorum, Ulricus notarius regis, et alii quamplures.

Datum apud Werden, anno dominice incarnationis M.CC.XXV, quinto kalendas octobris, indictione XIIII.

---

Apud Sinzig, 12 octobris.

Henricus, Romanorum rex, de providentia consilii sui ecclesiae et canonicis Aquensibus confert jus quoddam in villa sua Sintzig quod Rostant nominatur, pro quo sibi et imperio sex solidi solvebantur, et quamdam aream adjacentem domui quam Fridericus imperator pater suus eidem ecclesiae in civitate Aquensi contulit.

(Edider. Quix, *Codex diplomat. Aquens.*, t. I, p. 101. — Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 67, n° 125.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Heynricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Ad utriusque vite felicitatem prodesse nobis non ambigimus, si loca divino cultui mancipata curaverimus ampliare et innate nobis pietatis subsidio promovere. Ea propter noverint tam presens etas quam successura posteritas quod nos ob reverentiam beatissime Virginis Marie ac pro remedio anime nostre et progenitorum nostrorum divorum imperatorum et regum, de providentia consilii nostri, ecclesie et canonicis Aquensibus contulimus jus quoddam in villa nostra Sinzeke quod Rostant nominatur, a quo ex ordinatione inclite recordationis F. serenissimi imperatoris attavi nostri annuatim nobis et imperio Coloniensis monete sex solidi solvebantur, a tali pensione et solutione canonicos Aquenses pro tempore constitutos absolventes et perpetuo eximentes. Ad hec etiam aream quamdam versus curiam in civitate Aquensi domui quam serenissimus pater noster F. Romanorum imperator contulit dicte ecclesie adjacentem, in longitudine

(a) Rectius *de Tannenroth.*

dicte domus et in latitudine prefate aree, eidem ecclesie contulimus; precavere volentes ne propter nimiam vicinitatem adjacentium domorum claustrum et ecclesia aliquo incendio in posterum possit periclitari. Ad hujus itaque donationis nostre robur in posterum duraturum, presentem paginam conscribi et sigilli nostri munimine jussimus insigniri (1).

Testes hii sunt Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Herimannus Werdensis prepositus, Sibodo Aquensis decanus, Gerardus comes de Diez, frater Bertoldus de Tannenrode, burgravius Johannes de Hammersteyn, Wilhelmus advocatus Aquensis, Arnoldus de Gimmennich, Gerardus de Sinzeke, Hertwicus magister coquine, et alii quamplures.

Actum apud Sinzeke, anno ab incarnatione Domini M. CC. XXV, IIII idus octobris, indictione XIIII, anno regni nostri quinto.

---

Henricus, Romanorum rex, notum facit universis quod Otto praepositus ecclesiae S. Servatii in Trajecto, consanguineus suus, omni actioni quae super donatione obedientiae et jure patronatus ecclesiae in Fletingen ipsi competere videbatur, renuntiavit et omne jus capitulo S. Servatii ad terminandam litem liberaliter contulit. Franckenfurt, 21 octobris.

(Inedit. ex chartular. S. Servatii Trajectens. in Bibliot. maj. Parisiensi, tom. I, fol. 45 recto; ex origin. ibid., tom. III, fol. 5. Quo in loco mentio fit sigilli quondam filis sericis viridis coloris appensi.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Notum sit tam presentibus quam futuris quod cum inter dilectum consanguineum nostrum Ottonem ec-

(1) Quae quidem donatio confirmata fuit a Conrado episcopo Portuensi et Sanctae Ruffinae, legato Sedis Apostolicae, apud Coloniam, 3 idus februarii (1226), et ab Henrico comite de Monte filio Walrami ducis de Limburg, apud Monjoie, X kal. junii (1226). Cf. Quix, *Ibidem*, p. 102 et seqq.

clesie beati Servatii in Trajecto prepositum ex una parte et capitulum ejusdem ecclesie ex altera super donatione obedientie et jure patronatus ecclesie Fletingensis cum suis pertinentiis questio sepius mota fuisset, idem prepositus omni actioni que contra prefatum capitulum super eisdem rebus sibi competere videbatur, effectuando (?) renunciavit. Insuper etiam propter cautelam abundantem, presente capitulo supradicte ecclesie, pro remedio anime sue, fratribus ibidem die noctuque Deo famulantibus quicquid juris ad eum pertinebat super rebus superius expressis liberaliter contulit; tali tenore adhibito quod de fructibus exinde provenientibus panis cotidianus fratrum in ecclesia jam dicta residentium augeatur. Statuimus igitur et sub interminatione gratie nostre precipimus ut nulla persona, humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, factum idem audeat infringere vel aliquo dissensionis scrupulo perturbare. Ad cujus rei certam evidentiam presentem paginam conscribi et sigillo nostro fecimus insigniri.

Testes hii sunt Sifridus Moguntinus archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Henricus Wormatiensis episcopus, Otto comes de Thekemburg, Conradus comes Silvestris, Conradus comes de Everstein, Theodericus de Heinisberg, Gerlacus de Budingen, Wernherus dapifer de Bolanden, Conradus notarius de Bobarden, et alii quamplures.

Actum apud Frankenfurt, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto, duodecima kalendas novembris, indictione decima quarta.

---

..... Henricus, Romanorum rex, ad petitionem Engelberti Coloniensis archiepiscopi et fratrum cœnobii Campensis, eisdem fratribus indulget ut quascumque possessiones a fidelibus imperii obtinuerint sine qualibet contradictione in perpetuum possideant.

(Edid. LACOMBLET, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 68, n° 127.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Ad hoc divina disponente Providentia ad regni gubernacula nos credimus esse sublimatos, ut servorum Dei utilitatibus in temporalibus subsidiis regia liberalitate consulamus et propensiori diligentia privilegiorum nostrorum confirmatione prospiciamus. Inde est quod omnibus imperii fidelibus constare volumus quod nos petitioni dilecti nobis principis Engelberti venerabilis Coloniensis archiepiscopi fratrumque Campensis cenobii satisfacientes, pro remedio anime nostre parentumque nostrorum, hanc eisdem Campensis cenobii fratribus gratiam et licentiam indulsimus, quatinus quascumque possessiones in agris videlicet, vineis, pratis, silvis, aquis, stagnis, pascuis, terris cultis et incultis, a fidelibus imperii titulo donationis, emptionis seu concambii obtinuerint vel prius obtinuerant, sine omni prorsus contradictione nostre majestatis auctoritate in perpetuum possideant. Ut autem hec nostra donatio rata in posterum permaneat et inconvulsa, presentem exinde paginam conscribi et sigilli nostri impressione jussimus communiri.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXV (1).

[Per aliud documentum ejusdem anni eamdem abbatiam rex Henricus eximit ab omni theloneo seu pedagio apud domum suam Werdam (Kaiserswerth). *Memorat. ap.* LACOMBLET, *Ibid.*, p. 68, not. 1.]

---

Henricus, Romanorum rex, pro remedio animarum inclytae recordationis divorum progenitorum suorum imperatorum et regum, cœnobio de Adelberg donat mansum unum apud Heilicbrunnen (Heilbronn) (2). **Apud Wimpinam, 31 octobris.**

---

(1) Cum desit notatio mensis, necesse fit ut hoc documentum ante mensem novembrem referamus, quo, scilicet septimo die, Engelbertus archiepiscopus occisus est.

(2) Cf. infra privilegium eidem monasterio indultum, 26 maii 1234.

(Memorat. et extr. ap. C. Jager, *Geschichte der Stadt Heilbronn*, tom. I, p. 77.)

Actum apud Wimpinam, II kalendas novembris, indictione XIV.

---

7 novembris. Ipso anno, VII idus novembris, Engilbertus venerabilis Coloniensis ecclesiae archiepiscopus, pater nostrae patriae et decus Theutoniae, heu! a comite de Isenberg cognato ipsius miserabiliter trucidatur (1). Godefr. Colon. ap. Boehmer., *Fontes*, t. II, p. 357. — Ludewicus dux Bawariorum curator regis Heinrici in rebus tam propriis quam imperialibus in Alemannia efficitur. *Chronic. Ursperg. ad ann.*

---

17 novembris. [Archiepiscopi] morte audita, Heinricus comes de Scuirinh (Schwerin) promissum in resignatione regis Daciae cassat, et mediante compositione et acceptis obsidibus et copiosa pecunia, regem absolvit et absolutum permittit ad propria remeare (2). Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 359.

---

Hallis, 19 novembris. Henricus, Romanorum rex, monasterium de Walkenried in sua

(1) De nefando isto facinore a Friderico de Isenburg et satellitibus ejus in via publica prope Schwelm perpetrato, vide plura ap. eumdem Godefridum, p. 358, ap. Caesar. Heisterb., *Vit. S. Engelberti*, ibidem, p. 305 et seqq., ap. Emonem et Menconem in Hugo, *Sacr. antiq. monum.*, t. I, p. 486 et seqq.

(2) Vide secundam compositionis formam super liberatione Waldemari regis, anno 1225, XV kalendas decembris tractatam, ap. *Orig. Guelf.*, t. IV. praef. p. 87, et *Cod. diplomat. Lubec.*, t. I, p. 33; quibus addendus Albertus Stadensis, *Chronic. ad ann.* Rex tamen non ante mensem julium anni 1226 libertati restitutus est, si fidem adhibeamus litteris Honorii papae supra memoratis, p. 608.

protectione suscipit, fratres ejusdem advocato et burgensibus Goslariae commendat benigne tractandos et a civilibus oneribus eximendos, illosque immunes omni tributo specialiter apud Goslariam denuntiat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 223, n° 97, ex originali apud Hannoveriam asservato, cujus Bethmannus ipsi copiam fecit.)

Datum Hallis, XIII kalendas decembris, indictione XIV.

---

MCCXXV, V idus novembris, Fridericus imperator nuptias in Apulia celebravit; cujus filius postea in octava beati Martini nuptias celebravit Nurnberch. *Annal. Scheftlern. MSS. ap. Monachium* (1). — Rex Hainricus, filia Bohemi [regis quam desponsaverat] secundum statuta legis repudiata per dispensationem domini Apostolici, saniori principum usus consilio, cum filia ducis Austriae legitime sibi copulata nuptias in omni libertate celebravit. *Garstens. Chron.* ap. Rauch, *Scriptor.*, t. I, p. 29. — Heinricus, rex Romanorum, filius Friderici imperatoris, duxit in uxorem filiam ducis Austriae. Heinricus filius ducis Austriae duxit in uxorem sororem langravii Duringiae. Multi in ipsa solemnitate prae multitudine oppressi perierunt apud Nurenberch. *Chronic. Claustroneob.* ap. Pez, t. I, p. 452. Cf. Hermann. Altah. ap. Boehmer, *Fontes,* II, 499, ad ann. 1225. — Conr. Schir. ap. Pez, I, 452. — *Hist. imperat.* ap. Mencken, III, 123.

Apud Nuremberg, exeunte novembri.

---

(1) Nullibi dies nuptiarum Henrici expresse notatur nisi in his annalibus ineditis, quos nobis indicavit Boehmerus. Quum tamen octavum decimum diem novembris auctor referat, paululum tempore rem antecedere videtur, si fides praecedenti documento adhibeatur; quo comperimus regem isto die adhuc circa Halam Suevorum fuisse versatum.

Nurimberg, 30 novembris.

Henricus, Romanorum rex, compositionem confirmat, coram se, archiepiscopo Salzburgense mediante, factam inter Gebehardum Pataviensem episcopum et Hermannum marchionem de Baden de persolutione debitorum ac promissis, quibus praedecessor Gebehardi, Ulricus episcopus Pataviensis, in transmarinis partibus marchioni praedicto se obligaverat.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 127, nº DCLXIX, ex originali. Ex quinque sigillis appensis sigillum regis periit, quatuor reliquis sigillis ex segmentis membranaceis adhuc remanentibus.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Constitutus in nostra et dilecti principis nostri archiepiscopi Salzburgensis presentia fidelis noster H. marchio de Baden, contra dilectum nobis Pataviensem episcopum proposuit in hunc modum : quod cum in transmarinis partibus esset predecessor ipsius pie recordationis Wlricus episcopus et marchio idem, inter se convenerint ibidem quod CCCC marcas episcopus memoratus persolveret marchioni, sub eo videlicet pretextu quod Pataviensis ecclesie vassallus idem marchio esset, et quod insuper XL marcarum redditus de proprietatibus suis in manus resignaret episcopi ipse marchio, quas nomine feodi ab ipso deberet recipere iterato. Insuper CL marcas quas predecessori suo marchio se mutuasse asseruit repetebat. Cum autem hec diffiteretur episcopus successor ejusdem, inter ipsos tandem coram nobis, mediante dicto archiepiscopo, talis composicio intervenit ut tum pro CCCC marcis ipsi marchioni vassalli nomine porrigendis, tum etiam pro reliqua summa pecunie quam ut asseruit suo mutuaverat predecessori, in proximo festo Assumptionis beate Virginis CL marcas totidemque in futuro festo Pentecostes Pataviensis episcopus marchioni persolvat memorato. Ea videlicet conditione quod de redditibus predialibus usque ad XL marcas resignatis et ab ipso episcopo

nomine vassalli receptis, ipsum episcopum vel ejus de hiis nuntium instruat et informet. Insuper sepefatus marchio pro E. comite de Helfinstein fidejussit quod idem comes ad X marcas proprietatum suarum in manus dicti episcopi debeat resignare, easdem nomine vassalli in feodo ab ipso iterum recepturus, ut et episcopus dicto comiti de Helfinstein ad plenum satisfaciat de promissis. Ut hoc igitur quod ab ipsis alterutrum est factum robur teneat firmitatis, presens scriptum tam appensione nostre bulle quam etiam archiepiscopi Salzburgensis et ipsius episcopi Pataviensis et ejusdem loci capituli et marchionis fecimus communiri.

Datum Nurimberch in sollempni curia nostra, pridie kalendas decembris, indictione XIII (1).

---

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem Alberti Livoniensis episcopi, marchiam unam per episcopatum ejus instituit, eique concedit auctoritatem monetam faciendi et fundandi civitatem in Riga, ipsius fidei committens jus suum speciale super venas metalli et thesauros absconditos. Apud Noremberg, 1° decembris.

(Edider. Dogiel, *Cod. Polon.*, V, 75, ex confirmatione Caroli quarti ann. 1366, cum indictione pessima XVII; *Ibidem*, V, 171, ex copia vidimata ann. 1519 cum indictione XIV. — Lundorp, *Acta publica*, VIII, 658. — Dumont, *Corps diplomatique*, t. I, p. 165 ex quadam informatione anni 1660 : ambo cum indictione XIII. — Voigt, *Gesch. von Preussen*, I, 674 cum indictione XIV. — Napiersky, *De diplomate quo Albertus episcopus Livoniae*, etc., p. 6.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus ad quos he littere pervenerint gratiam suam et omne bonum. Ad petitionem Alberti venerabilis Livoniensis episcopi marchiam unam per totum ejus episcopatum, per Livoniam videlicet et Lettiam, Leale

(1) Rectius autem *indictione XIV*, quum hoc instrumentum clare pertineat ad tempus quo rex solemnem curiam pro matrimonio suo celebrabat.

et terras maritimas, instituimus et eumdem ei principatum jure aliorum principum munificentia regali concessimus, dantes ei authoritatem monetam faciendi et fundandi civitatem in Riga et in locis aliis in quibus eas fieri oportet. Si autem in illis locis vena metalli cujuslibet vel thesaurus absconditus fuerit repertus, in his et hujusmodi jus nostrum speciale de consilio principum nostrorum ipsius fidei commisimus. Statuimus igitur et sub interminatione gratie nostre firmiter precipimus quatenus episcopo prenominato de omnibus justitiis et rationibus ad regalem jurisdictionem pertinentibus respondeatur et per omnia obediatur. Sciturі quod nos ipsum tanquam dilectum imperii principem sincere diligimus, et cum per ipsum imperiales termini dilatentur et annuente Domino barbarorum infidelitas jugo Christi subjugetur, nihil eorum omittere volumus que ipsius commodo conducere poterunt et honori.

Hujus autem nostre concessionis testes sunt venerabiles Trevirensis et Salzburgensis archiepiscopi, Herbipolensis, Augustensis, Bambergensis, Pataviensis et Eistadensis episcopi, Austrie, Saxonie, Bavarie et Carinthie duces, landgravius Thuringie, et alii quamplures comites, nobiles et imperii ministeriales.

Datum apud Noremberg, kalendis decembris, indictione XIV.

---

Apud Nuremberg, 1° decembris.

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem Hermanni Dorpatensis episcopi, marchiam unam per episcopatum ejus instituit, eique concedit auctoritatem monetam faciendi et fundandi civitatem in Dorpat, ipsius fidei committens jus suum speciale super venas metalli et thesauros absconditos.

(Edid. Dumont, *Corps diplomatique*, t. I, pars 1ª, p. 162, n° CCCIV, ex informatione circa Livoniam prodita anno 1660.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens scriptum ostensum fuerit gratiam suam

et omne bonnm. Notum esse volumus universis quod nos ad petitionem dilecti fidelis nostri Hermauui veuerabilis Torpatensis episcopi, marchiam unam per totum ejus episcopatum, per has videlicet provincias Ugenois, Waigel, Sobolitz, Saccale, Mölke, Alumbus, Nurmegunde, constituimus et eumdem ei principatum jure aliorum priucipum concessimus, dantes ei authoritatem monetam faciendi ac fundandi civitatem in Tarbato et in locis aliis in quibus eas fieri oportet. Si autem in illis locis vena metalli cujuslibet vel thesaurus absconditus fuerit repertus, in his et hujusmodi jus nostrum speciale de consilio principum nostrorum ipsius fidei commisimus. Mandantes itaqne et regia authoritate firmiter precipientes ut de omnibus justitiis et rationibus ad regalem jnrisdictionem pertinentibus sepefato episcopo respondeatur et per omnia obediatur; scituri quod nos ipsum tanquam dilectum imperii principem sincere diligimus, et cum per ipsum imperiales termini dilatentur et annneute Domino barbarorum infidelitas jugo Christi subjngetur, nihil eorum omittere volumus que ipsins commodo conducere poterunt et honori.

Hujus antem nostre concessionis testes sunt venerabiles Salseburgensis et Trevirensis archiepiscopi, Augustensis, Herbipoleusis, Bambergensis, Pazowigensis (*sic*) et Eistadensis episcopi, Austrie, Saxonie, Bavarie et Carinthie duces, landgravius Thuringie, et alii quamplures comites, nobiles et imperii ministeriales.

Datnm apud Norimbergam, kalendis decembris, anno dominice incarnationis MCCXXIV (1).

---

Henricus, Romanorum rex, fratres de Schönthal ab omni exactione officialium suorum eximit, ita ut, se ipso vel regina conjuge sua apud Wimpinam commorante, nec equi in eorum curiis hospitentur nec heresturae (heersteuer) ab eis exigantur. Herbipoli, 7 decembris (1).

---

(1) Ex praecedente documento facile comperimus cui anno istud quoque juste conveniat.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgartensi, nobis a Kauslero communicato. Sigillum ex parte superiori aliquantulum laesum filis sericis viridibus, rubeis flavisque appendet.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Henricus divina favente gratia Romanorum rex, semper augustus, omnibus in perpetuum. Regalis magnificentie clementia deposcit ut omnibus quidem fidelibus in suis necessitatibus subveniamus; hos autem precipue quos Rex regum ab hujus mundi vanitatibus ereptos peculiares sibi statuit servitores, ut in suo felici proposito valeant perseverare, quantum possumus, ipso adjuvante, tenemur adjuvare et eorum precibus benivolas regie pietatis aures omni difficultate remota clementer accommodare. Noverit igitur universitas fidelium quod, licet universam Cystertiensis ordinis fraternitatem sub alis nostre protectionis defensare parati simus, precordiales tamen nostros fratres de Schontal, tanquam in sinu benivolentie majoris exceptos, tali gratia pre ceteris donavimus ut ab omni advocatorum, sculthetorum vel quorumlibet officialium nostrorum quacumque exactione liberi perpetuo sint et absoluti: ea videlicet conditione ut, nobis aput Wimpinam sive in illo confinio existentibus vel serenissima regina conjuge nostra ibidem commorante, nec equi in eorum curiis hospitentur nec exactiones que vulgo heresture vocantur ab eis quoquomodo exigantur. Et ut breviter omnia concludamus, nulla penitus ab eis servitia requiri volumus, preter hoc solum quod, cum necesse fuerit, nuntii nostri pertranseuntes apud ipsos sicut ceteri hospitentur. Ut igitur prescripta libertatis donatio prefati cenobii fratribus firma permaneat in perpetuum, presentem eis paginam donavimus sigilli nostri auctoritate roboratam.

Hujus autem facti testes sunt Hermannus Herbipolensis et Heinricus Eistetensis episcopi, Otto major prepositus et Willehelmus novi monasterii decanus; Ludewicus dux Bawarie, Cunradus burgravius de Nurenberc, Fridericus de Truhendinghen, Gherlacus de Botingen, Wasmodus et Cunradus filius ejusdem de Specchevelt, Engelhardus de Nidecche, Arnoldus de Rotenburch, Ulricus de Werde, Heinricus et Hertwicus magistri coquine regis, Ulricus notarius domini regis.

Acta sunt hec anno gratie M° CC° XXV°.

Datum Herbipoli, VII° idus septembris, indictione XIIII° (1).

---

Frankenvord, 10 decembris circiter.

Ascendens inde Frankenvord ad colloquium regis [Heinricus Coloniensis] electus, corpus martyris duobus abbatibus ordinis Cisterciensis deferendum commisit.... Cumque praesentatum esset corpus Heinrico regi atque principibus,.... rex puer, ut lugere solet filius patrem et puer tutorem suum, extinctum planxit episcopum. Proscriptionem vero Friderici in celebri conventu Norinbergensi factam renovavit, omnibus ei abjudicatis tam allodiis quam feudis. Feuda libera adjudicata sunt dominis suis, allodia proximis, ministeriales et homines a juramento ei praestito absoluti. Uxor ejus vidua, liberi ejus orphani sunt judicati (2). CAES. HEISTERB. *vita Engelb.* ap. BOEHMER, *Fontes*, II, 321.

---

(1) Quum tamen et locus et testium nomina a notatione diei et mensis ibi expressorum abhorreant, quum praeterea reginae conjugis suae mentionem rex nunc prima vice faciat, necesse fuit ut post celebratum matrimonium istud privilegium reponeremus. Hoc si quis admiserit, facile in nostram lectionem *VII idus decembris* vertet, cum locus Herbipolis itineri regis a Nuremberg versus Frankfort redeuntis apprime se accommodet.

(2) Deinde archiepiscopus a rege infeudatus Moguntiam descendit, ubi Conradus Portuensis episcopus et Sedis Apostolicae legatus a die Adventus Domini (30 novemb.) concilium celebrabat. In quo Fridericus de Isenburg etiam spirituali gladio punitus est; qui quidem per totum annum errabundus, tandem in habitu mercatoris prope Hoyum detectus et Coloniensibus traditus, rotali supplicio scelestam animam efflavit, eo die quo fuerat superiori anno primum Engelberti septenarium celebratum (14 novemb. 1226). Cf. CAES. HEISTERB., *Ibid.*, p. 321, 328. — GODEFR. COLON., *Ibid.*, p. 359, 360. — REINER. LEOD., *Ibid.*, p. 387. — EMONEM et MENCONEM ap. HUGO, *Sacr. antiq. monum.*, t. I, p. 486 et seqq.

## ANNO 1226. — INDICTIONE 14.

Apud Frankenfort, 10 februarii.

Henricus, Romanorum rex, ratam habet pacem ordinatam per Conradum Portuensem et Sanctae Rufinae episcopum, Apostolicae Sedis legatum, inter Ottonem episcopum Ultrajectensem et Gerardum comitem Gelrensem, eidemque episcopo advocatiam Sallandiae confert, quam Gerardus miles de Buchorst habuit et comes Gelrensis post emptionem sibi resignavit.

(Edider. Heda, *Hist. episc. Ultraj.*, p. 197.— Bondam, *Charterboek*, I, 356-357.)

I.

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis in perpetuum. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod formam compositionis et pacis per venerabilem dominum C. Portuensem et tituli Sancte Rufine episcopum, Apostolice Sedis legatum, inter dilectum principem nostrum Ottonem episcopum Trajectensem et G. comitem Gelrensem ordinatam ratam et firmam habentes, ad petitionem ejusdem domini legati, advocatiam quam Gerardus miles de Buchorst habuit in Sallandia et dictus comes Gelrensis ab ipso emerat, in manus nostras ab eis libere resignatam nobis et vacantem, prefato episcopo et successoribus suis et ecclesie sue Trajectensi contulimus, cum aliis beneficiis et feodis que ab imperio obtinet perpetuo possidendam. Ad hujus igitur nostre donationis firmitatem et evidentiam perennem, hanc paginam sigilli nostri appensione munitam ecclesie et episcopis Trajectensibus perpetuo fecimus assignari,

sub obtentu gratie nostre inhibentes ne quis hominum huic nostre donationi audeat contraire.

Datum apud Franckenvort, anno Domini MCCXXVI, X kalendas martii.

II.

Henricus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis presens scriptum inspecturis salutem et omne bonum. Notum sit omnibus quod advocatiam Sallandie quam habuit Gerardus miles de Buchorst et quam Gerardus comes Gelrensis ab ipso emerat, ab eisdem nobis resignatam libere et vacantem, dilecto principi nostro Ottoni episcopo Trajectensi et ecclesie sue suisque successoribus in perpetuum contulimus possidendam; et Johannem notarium ipsius, canonicum Sancti Petri Trajectensis, nomine predicti episcopi et ecclesie Trajectensis de manu nostra protestamur recepisse.

Datum apud Frankenvordt, anno Domini M. CC. XXV (*sic*), X kalendas martii.

---

Henricus, Romanorum rex, confirmat sententiam qua Conradus Portuensis episcopus, Apostolicae Sedis legatus, abbati et conventui Werdenensi confirmavit advocatias quinque curtium, scilicet Lüdinghausen, Eicholz, Nordkirchen, Selheim et Werne, quas de eorum ecclesia impius Fridericus quondam comes de Isenburg tenebat in feodo, et quae per sententiam fuerant ad ipsos reversae. Apud Frankenfort, 21 februarii.

(Memorat. ap. LACOMBLET, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 69, not. 2; qui quidem tantummodo sententiam Conradi legati, sub n° 131, in integrum exhibet. — Cf. KREMER, *Beitrage*, II, 122.)

Datum anno dominice incarnationis millesimo CC. XXVI, apud Frankenfurt, IX kalendas martii, indictione XIII (*a*).

(*a*) Indictio tamen mendosa pro *XIIII*.

---

Haguenau, 20 martii.

Henricus, Romanorum rex, coenobium beatae Mariae in Königsbruck a progenitoribus suis fundatum in sua protectione recipit, cum omnibus pertinentiis quarum quaedam ibidem exprimuntur.

(Edid. Schoepflin, *Alsat. diplom.*, t. I, p. 354, n° 439, non integre tamen ex schedis Wenckerianis.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. . . . . . . . Cenobium Beate Marie quod in Regisponte a felicibus augustis progenitoribus nostris recolende memorie fundatum est, in nostram regalem protectionem suscipimus. . . . . ipsum videlicet locum Regispontem in quo abbatia constructa est cum omnibus pertinentiis suis, grangiam Wintershusen, Rotbach, Wigersheim, Kesselbach, Eberbach, Triegenbach, Hugesbergen, Danchratesheim, grangiam quoque Ostrendorf ab avo nostro pie memorie jamdicto cenobio ex maxima parte comparatam, infra comitatum sitam, et grangiam Vechenheim, predium quoque quod prelibatum cenobium a Waltero viro nobili de Borre trigiuta marcis argenti comparatum juste et rationabiliter possidet; cujus termini a Forstfelden per paludem usque super fluvium qui est apud Kesselbach extenduntur, etc. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Datum Hagenawe, XIII kalendas aprilis, indictione XIV, anno Domini MCCXXVI.

---

Apud Biberahe, 31 martii.

Henricus, Romanorum rex, monasterio in Weingarten privilegium renovat de jure censualium et de novalibus in sylva Altor-

fensi excultis, hoc addens quod nullus colonorum ipsius monasterii aream in Altorf vel in Ravensburg jure fori possidere valeat.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgart., quod nobis Kauslerus communicavit. Sigillum perquam laesum, cerae farina intermixtae impressum, filis sericis subrufi flavique coloris appendet.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Consuevit regalis benignitas ecclesias Dei, etc. [*Sequitur inde de verbo ad verbum, paucis competenter mutatis, sicut in privilegio Friderici secundi dato apud Ulmam, 20 junii 1215, usque ad*] decimam persolvet. Preterea de colonis qui predia sepedicte ecclesie coluerunt, statuimus ut cuiquam ipsorum non liceat jure fori aream in Altorf vel in Ravesburc possidere; ita quod pretextu talis possessionis agri sepedicte ecclesie inculti relinquantur, nec inter cives et mercatores nostros, licet ejusdem ecclesie sint homines, reputentur. Si vero aliquis memoratorum colonorum, agricultura postposita, ad supradictos cives se transtulerit et aream jure fori ibidem acquisierit, si infra annum abbas Winegardensis ipsum repetierit, cum pleno jure restituatur eidem. Ad cujus rei perennem memoriam presentem paginam conscribi jussimus et majestatis nostre bulla consignari, regia auctoritate districte precipientes ut nulli unquam persone licitum sit hanc nostre confirmationis divalem paginam infringere, etc., *ut in præcedenti quod supra videsis.*

Testes hujus facti sunt H. marchio de Baden, Hartmannus comes de Wirtinberc, comes Ulricus de Ultimo, Eberardus dapifer de Walpurc, Cunradus et Eberhardus pincerne de Winterstete, Dieto de Ravensburc, Burcardus de Hohenburc, et alii quamplures.

Datum apud Biberahe, pridie kalendas aprilis, indictione XIIII.

---

Henricus, Romanorum rex, mandat ne quis haeredum, successorum aut consanguineorum Ottonis de Sancto Martino a patre suo — Apud Brixinam, 22 aprilis.

proscripti abbatissam et ecclesiam Sonnenburgensem in bonis de jure vacantibus impedire seu molestare audeat.

(Edid. Hormayr, *Gesch. der Grafst. Tirol.*, Urkundenb., p. 193.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Constituta coram nobis venerabilis abbatissa Soneburgensis ecclesie per sententiam principum et magnatum imperii obtinuit quod Otto de villa Sancti Martini, postquam a serenissimo domino imperatore patre nostro pro violenta oppressione mulieris proscriptionis vinculo fuerat innodatus, nil potuit de rebus suis disponere vel quidcunque ordinare quod ecclesie prenominate aliquod posset vel deberet prejudicium generare. Nos itaque de providentia consilii nostri, latam sententiam auctoritate regia confirmantes, mandamus sub interminatione gratie nostre firmiter precipientes ut nullus sit heredum vel successorum aut consanguineorum Ottonis antefati, qui predictam ecclesiam aut abbatissam in bonis ecclesie sue de jure vacantibus impedire seu molestare audeat vel dampnum aut gravamen aliquod irrogare. Quod qui facere attemptaverit, indignationem tremendi judicis nostreque celsitudinis gravem offensam se noverit incursurum.

Data apud Brixinam, X kalendas maii, indictione XIIII.

---

Tridenti, maio, junio. Cum multi principes Teutonici [ad curiam Cremonensem] properarent, una cum filio imperatoris rege Heinrico apud Tridentum per sex hebdomadas commorantur, non valentes progredi propter rebellionem Veronensium qui Clusas Veronensium tunc obtinuerunt. Quidam autem principes de Saxonia alia via per Austriam sunt ad imperatorem ingressi. Rex autem a Tridento, non viso imperatore, cum principibus in Alemanniam inacte revertitur; in

quorum discessu Tridentum civitas casuali incendio concrematur. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, II, 359.

---

Henricus, Romanorum rex, notum facit se confoederationem iniisse cum Ludovico Franciae rege; quae quidem ex praecedenti tractatu patris sui, verbis competenter mutatis, innovatur.

Apud Tridentum, 11 junii.

(**Inedit. e Regist. Phil. Augusti, ap. Bibl. reg. Paris., n° 8408, fol. 168 verso, et 9852-3, fol. 133 recto. — Memorat. ap. MARTENE, *Amplis. coll.*, t. I, p. 1183, nota.**)

**Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis presentem paginam inspecturis salutem. Noveritis quod nos propter dilectionem quam nos et progenitores nostri habuimus et habemus erga karissimum amicum uostrum et fratrem Ludovicum regem Francorum illnstrem et ipsius progenitores et autecessores, hanc confederationem cum eodem rege bona fide duximus iniendam : quod nos homines regni sui vel ad regnum suum pertineutes contumaces et eidem rebellantes seu moventes guerram contra ipsum regem vel forisbanuitos regni sui non receptabimus uec receptari sustinebimus in imperio uostro ubi potestatem habeamus, ueque aliquam confederationem cum eis faciemus, postquam id ipsum ab eodem rege nobis fuerit intimatum. Et hanc confederationem fecit bona fide uobiscum idem rex Ludovicus quod homines imperii uostri vel pertinentes ad imperium uostrum contumaces et uobis rebellantes seu moveutes nobis guerram et forisbannitos regni uostri non receptabit nec receptari permittet bona fide in regno suo ubi potestatem habeat, nec aliquam confederationem cum eis faciet, postquam id ipsum fuerit significatum eidem regi. De rege Anglie sic erit quod uullam cum eo faciemus confederationem uec cum heredibus suis nec a nostris fieri permittemus ubicumque potestatem impediendi habeamus. Hanc autem confederationem precepimus et injunximus ju-**

randam pro nobis et in anima nostra a dilectis familiaribus nostris Hermanno venerabili Herbipolensi episcopo et Gerlaco de Boutingen coram Milone venerabili Belvacensi episcopo et Roberto de Bovis dicti regis Francie legatis.

Actum apud Tridentum, anno dominice incarnationis M°CC°XXVI° (a), III° idus junii, indictione XIIII°.

---

Apud Tridentum, 11 junii.

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem et assensum Godefridi Cameracensis episcopi, sententiam damnationis contra cives Cameracenses propter eorum contumaciam differendam esse denuntiat, salvo quod nullum inde prejudicium episcopo generari possit, cum sententia sit immutabilis et episcopo in annum vel citius ejusdem pronuntiationem petere liceat.

(Inedit. ex cod. B. 1029 in Bibl. comm. Camerac. pergam. sec. XIII, ubi continentur privilegia eccles. Camerac., folio 110 recto-verso.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Ad notitiam singulorum volumus pervenire quod dilectus fidelis princeps noster Godefridus, Cameracensis episcopus, in curia nostra apud Tridentum personaliter constitutus, in nostra et principum ac aliorum nobilium imperii presentia secundum jus et legem curie nostre sufficienter probavit quod, cum cives Cameraci per annum et diem et amplius excommunicationis vinculo fuissent innodati et postmodum per sententiam principum banno imperiali perculsi et proscripti et licet de excommunicatione satisfactione prestita fuissent absoluti, de banno tamen quem per quinque annos et amplius sustinuerunt satisfacere non curarunt. Unde majestati nostre dictus episcopus supplicavit ut super hiis debitum curie

(a) In codice 9852-3 *millesimo ducentesimo vicesimo septimo*, minus recte.

nostre ipsi judicium fieri faceremus et per sententiam principum quid de talibus esset faciendum faceremus declarari. Cum itaque nichil aliud restaret nisi quod sententia dampnationis contra dictos cives perferretur, videlicet quod dampnati essent et exleges, dictus episcopus injurias et dampna sibi et ecclesie multoties illata non attendens, sed potius eis miserabiliter condescendens, ad nostram et principum ac aliorum nobilium imperii instantiam, ut videret si forte ad satisfactionem redirent, sustinuit quod talis et tam severa sententia differretur ferri contra ipsos; hoc salvo quod prius per sententiam principum ac aliorum nobilium fuit solempniter declaratum, quod dilatio pronuntiationis sententie talis de jure curie nostre fieri poterat et quod nullum eidem episcopo vel successori suo posset prejudicium generare; maxime cum de jure curie nostre ad hoc simus adstricti quod sententiam jam dictam, quandocumque ab ipso episcopo vel successoribus ejus vel eorum certo nuntio fuerimus requisiti, proferre debeamus, nullam ab eodem episcopo vel suis successoribus alia probatione requisita vel recepta. Hoc etiam adjuncto quod dicti cives nichil possint a nobis interim in eorum subsidium impetrare quominus sententia jamdicta, sicut supradictum est, proferatur.

Testes qui prelibatis interfuerunt hii sunt Hermannus Wirhibiburgensis episcopus, Sivridus Augustensis episcopus, . . . Tridentinus episcopus, Ludovicus illustris dux Bavarie, Henricus prothonotarius, comes Ludovicus de Wirtemberg, burgravius Conradus de Nurimberc, comes de Harhburc, comes de Castele, Ebehardus dapifer de Walpurc, C. et E. pincerne de Winterstete, Dieto de Raffenburc, et alii quamplures.

Volumus insuper quod sepedictus episcopus vel ejus successor a presentis octava Pentecostes (*a*) ad annum coram nobis compareat, prelibatam sententiam petiturus, ita quod si medio tempore eamdem sententiam exigere voluerit, libere possit : sic tamen quod dies ferende sententie civibus sub competenti spatio significetur.

(*a*) Locus omnino corruptus in chartulario ita sonat : *a presentis oct. pendet oscen ;* quem correximus, quum hoc anno festum Pentecostes in septimum diem junii inciderit.

Datum apud Tridentum, anno Domini M°CC°XX° sexto, tercio idus junii, indictione XIIII°.

---

Apud Ulmam, 15 augusti.

Henricus, Romanorum rex, ad imitationem patris sui Hermanno magistro hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum et fratribus ejus jus patronatus et quidquid juris in loco Kunitz juxta Bernum et in capellis pertinentibus ad imperium spectat, perpetuo possidendum concedit.

(Edit. in *Soloth. Wochenblatt*, ann. 1828, p. 232.)

Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper auguslus, omnibus in perpetnnm. Collata nobis a Deo potestas et charitas regie majestatis ad hoc nos indncit ut loca divino cultui mancipata sereno respiciamns affectu et ex innate nobis pietatis snbsidio eadem promoveamus. Noverint itaque tam presentes qnam futuri quod nos attendentes qualiter in Chnnizenzi loco sito jnxta Bernensem civitatem nostram esset antiqnitus colleginm regularium clericorum, quis ordo(*sic*)quamvis ibidem sino imperii conscientia vel jnssn fnerit constructus, nos tamen considerantes defectnm divinorum obseqniorum et qnod per dilectnm fidelem nostrum Hermannnm virum religiosnm et fratres domus Theutonicorum Hospitalis Sancte Marie in Jerusalem et per successores eorumdem fratrnm possint commodins reformari, ad imitationem serenissimi domini imperatoris patris nostri cujus sigilli robore et privilegio eadem donatio esse dinoscitur roborata (1), jus patronatns et qnidquid jnris in eodem loco nec non in ecclesia Berne et capella Yverinsdorf ceterisque capellis ad enmdem locum Chnnizensen pertinentibus ex antiqno ad nos nostrumque spectat imperium, de mera benignitate

(1) Verisimiliter apud Burgum S. Donnini, junio vel julio mense. Nusquam autem reperitur, nec etiam memoratum alias invenimus.

regia et de pleuitudiue consilii nostri dedimus predicto magistro et fratribus domus Theutonicorum et eorum successoribus perpetuo possidendum, eadem ipsis auctoritate presentium coufirmantes; statuentes nihilominus ut idem locus ad observantiam divini cultus reformetur et ea utatur et gaudeat libertate qua domus eadem ac cetere ab ea derivate de concessione nostra utuntur et gaudent, velut in nostris privilegiis eidem domui indultis plenius continetur. Preterea auctoritate regia firmissime inhibemus ut nullus priuceps, dux vel marchio, comes, scultetus, advocatus, officialis, ministerialis seu persona quelibet alta vel humilis, publica vel privata, ecclesiastica vel secularis, contra presentis donationis nostre et investiture memoriam sepedictum magistrum et suos confratres vel eisdem in ipsorum ordine succedentes impetere vel molestare presumat. Quod qui attentaverit, indignationem et gravem offensam nostram se noverit incursurum. Ad hujus itaque prelibate donationis nostre perennem memoriam, presentem paginam scribi fecimus et sigilli nostri patrocinio communiri.

Testes vero hi sunt Sigfridus venerabilis Augustensis episcopus, . . . abbas Sancti Galli, H. regalis aule protonotarius, L. illustris Bavarie dux, dux de Teke, marchio de Baden, marchio de Burgowe, H. comes de Dilingen, comites de Helfenstein, comes de Oetingen, E. dapifer de Waldburg, C. et E. pincerne de Winterstettin, U. et L. notarii aule regalis.

Datum apud Ulmam, anno dominice incarnationis M.CC.XXVII (*a*), decimo octavo kalendas septembris, indictione XIV.

---

Henricus, Romanorum rex, notam facit formam compositionis coram se et duce Bavariae nutricio suo factam inter abbatem et conventum de Kreutzlingen et comitem Albertum de Rutimberch, super bonis in Neckargau et censualibus hominibus ecclesiae in Wurmelingen ab ista ecclesia non alienandis. Apud Ulmam, 17 augusti

(*a*) Sic, et etiam ut videtur in originali. Recte tamen *MCCXXVI*.

(Inedit. ex copia quam transcripsit Staelin et cujus nos liberaliter participes fecit.)

Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Que geruntur in tempore labuntur cum tempore, nisi scripti memoria vel voce testium perhennantur. Noscant igitur presentes cum posteris formam compositionis factam inter abbatem Crucelingensem cum conventu suo et comitem Albertum de Rutimberch, in nostra presentia et coram illustre duce Bawarie tunc temporis nostro nutricio. Prefatus comes Albertus fide data in manus nostre majestatis et sacramento confirmavit, quod sepedictum abbatem et conventum suum in bonis suis sitis in Nechirgo non presumat gravare deinceps juxta curriculum vite sue. Promisit etiam antedictus comes Albertus sub eisdem confirmationibus quod si quos homines censuales ecclesie Wurmlingen attinentes concessos qualitercunque per infeodationes alienavit ab eadem ecclesia, a tali infeodatione absolvat. Si quos etiam genitor prefati Alberti comitis suo tempore a predicta alienavit ecclesia, sepefatus comes Albertus cum sepedicto abbate et conventu ad recuperationem predictorum hominum censualium nulla subdolositate interserta tenetur efficaciter laborare. Si vero memoratus comes Albertus fidei date et sacramenti facti male immemor, quod absit, gravis et injuriosus exstiterit sepefato abbati suoque conventui, pro tali delicto insolito increpandus et admonendus est a venerabili Constantiensi episcopo vel abbate, et post talem admonitionem infra sex hebdomadas conferre sese debet in civitatem Uberlingen nomine obsidis, abinde non discessurus nisi prefato abbati suoque conventui plenariam fecerit satisfactionem. Promisit quoque sepedictus comes Albertus se daturum X marcas examinati argenti in proximo festo beati Martini vel infra pro dampnis illatis prefato abbati suoque conventui; pro quibus extitit fideijussor Rudolfus homo nobilis de Hewe, pacto tali, si dictus Rudolfus de Hewe delicta nature solverit, Johannes de Dirbehein et Burchardus de Hohinburc pro solvenda prefata pecunia vicem pro ipso incident fidejussoris. Hec autem promissio ac confirmatio ut robur suum teneat incorruptum, sigilli nostri robore et sigillo illustris ducis Bawarie tunc temporis nostri nutricii cum nostro privilegio non omisimus confortare.

Hujus rei testes sunt H. regalis aule prothonotarius, Bertholdus plebanus de Arnisperc, Ulricus presbyter de Walse, burgravius de Norimberc, H. comes de Dilingen, E. dapifer de Walpurc, C. et E. pincerne de Winterstetin, Dieto de Ravinspurch, H. de Schalchisperg, N. (W.) Nagillinus et alii complures.

Datum apud Ulmam, anno Verbi incarnati MCCXXVI, XVI kalendas septembris, indictione XIV[a].

---

Henricus, Romanorum rex, compositionem confirmat quondam initam per Lutholdum Basiliensem episcopum et Bertholdum ducem Zaringiae inter abbatem de Beinweiler ex una parte et nobiles de Thierstein ex altera. Apud Ulmam, (augusto).

(Edit. ap. *Solothurnisches Wochenblatt*, ann. 1824, n° 24, p. 277.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis Christi fidelibus gratiam suam et omne bonum. Significamus vobis quod nobis talis confirmatio compositionis fuit exhibita :

Lutholdus Dei gratia Basiliensis episcopus, universis et singulis presentem paginam inspecturis rei geste notitiam. Ne labantur cum tempore que geruntur in tempore, scriptis solent authenticis roborari. Sciat igitur presens etas et futura posteritas quod, litigantibus in nostra presentia dilectis nostris Heinrico abbate de Beinwilre ex una parte et nobili viro Rudolfo comite de Thierstein et Rudolfo filio suo ex altera, tandem nobis et aliis viris discretis mediantibus, talis inter ipsos compositio intervenit. In arbitrio domini Bertholdi ducis Zeringie fuit ab utraque parte compromissum, si dictus comes homines ad monasterium de Beinwiler spectantes compellere deberet ut eidem abbati fidelitatis facerent juramentum, et si iidem homines secundum consuetudinem aliorum cenobiorum falla in morte sua abbati reddere tenerentur. Que duo dictus

dux inquisita veritate apud Sanctum Blasinm facienda recognovit. Statuimus etiam ut prenominatus comes nullam procurationem ab abbate et conventu ratione advocationis requireret in Nativitate Domini, in Pascha et in Pentecoste, nisi esset ab abbate et fratribus invitatus; si autem alias quandoque ad locum accederet, nihil malitiose ab eis exigeret, sed gratanter acciperet quod ei benevole erogaretur, nec ad curtes dicti cenobii accederet hospitia vel alia servitia requirendo. Insuper quicumque de hominibus ecclesie ab abbate et fratribus in eisdem curtibus fuerit villicus vel economus constitutus et servientes eorum conducti et pactati ab omni exactione liberi permanebunt. Idem abbas in villis suis villicos libere constituet, et duas partes habebit, comes vero tertiam, de omni questu judiciali; si quis etiam de familia ecclesie sine prole legitima decesserit, omnia bona ipsius ad ecclesiam libere devolvantur. Ut autem hec nostra constitutio firma et stabilis de cetero permaneat, presentes litteras sigillo nostro et abbatis necnon comitis fecimus sigillari.

Testes autem hujusmodi compositionis sunt Arnoldus abbas de Murbach, Conradus decanus Basiliensis ecclesie, Otto prepositus Sancti Leonardi, Conradus de Pfeffingen, Bertholdus de Vinzels, Cuno de Telsperg, Rudolphus Dives, Wernherus de Ifenthal, Ulricus Kuchimeister, Ulricus de Loperstorf et decanus de Vintersingen, et alii quamplures.

Datum Basilee, anno MCCXII.

Sane quia dignitas et sollicitudo excellentie regalis requirunt ut ea que pie acta et perpetuo sancita invenerimus, diligenti solertia debeamus in augmentum imperii fidelium conservare, et licet omnes ecclesias regia teneamur auctoritate defensare, propensius tamen utilitatibus et saluti ecclesiarum imperio attinentium nostra tenetur sinceritas subvenire. Hac itaque ratione ducti, supranotatam confirmationem nobis exhibitam de plenitudine consilii nostri duximus confirmandam et sigilli nostri munimine roborandam (1); statuentes et regia auctoritate firmiter precipientes ut nulli unquam persone licitum sit hanc nostre confirmationis paginam

(1) Quae confirmata etiam fuit a Gregorio nono, Perusii, nonis decembris, pontificatus anno secundo (5 decemb. 1228). *Ibid.*, p. 278.

infringere seu aliquo ei ausu temerario obviare. Qnod qui facere presumpserit, in sue presnmptionis penam centum marcas auri examinati componat, medietatem fisco nostro, reliqua vero pars passis injnriam distribuatur; sed qui prelibatam penam non solverit vel persolvere non poterit, gratia nostra in perpetuum expers erit.

Testes qui memoratis coram nobis affnerunt hi snnt : venerabilis Sifridus Augustensis episcopus, Henricus protonotarius, Ludovicns illustris dux Bavarie, Conradns burgravins de Nuremberg, Fridericns de Truhendingen, Eberhardus dapifer de Walpurg, pincerne Conradus et Eberhardns de Winterstetten, Dieto de Ravenspurg.

Datum apnd Ulmam, anno Domini M.CC.XXVI (1).

---

Henricus, Romanorum rex, advocato et burgensibus Goslariae mandat ut Conrado episcopo Hildeshemensi, pro continua erga se et patrem suum fidelitate, contra canonicos Goslariae in jure ejus assistant, cum jurisdictionis possessio super ecclesias Goslarienses quae ab archiepiscopo Maguntino impetita fuerat, eidem episcopo fuerit adjudicata et a Conrado Apostolicae Sedis legato confirmata. Apud Wimpinam, 22 augusti.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 225, n° 111, ex originali apud Hannoveriam asservato et a Bethmanno ipsi communicato.)

Datum apud Wimpinam, XI kalendas septembris, indictione XIV.

---

Henricus, Romanorum rex, Conrado episcopo Hildeshemensi, Apud Wimpinam, 23 augusti.

(1) Locus dati privilegii et nomina testium ex praecedentibus mensem augustum esse supplendum sat abundanter demonstrant.

propter magna et semper accepta servitia quae sibi et imperio praestitit, confirmat, sicut et pater suus jam fecit, dioecesanam jurisdictionem diu litigiosam super praepositum et capitulum Goslariense.

(Memorat. *Ibidem*, n° 112, ex eodem fonte.)

Datum apud Wimpinam, X kalendas septembris, indictione XIV.

---

Esslingen, 26 septembris.

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem papae, patriarchae Jerosolymitani et fratrum apud Denkendorf commorantium, ecclesiam Dominici Sepulcri ibidem cum omnibus ejus appendiciis in sua protectione recipit, statuitque ut ejusdem ecclesiae protectio non possit ab auctoritate imperiali alienari.

(Edid. Besold, *Docum. rediv. monast. Wirtemb.*, t. 1, p. 458.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Omnibus regni nostri fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse volumus quia nos in Denckendorff ecclesiam Dominici Sepulcri, ad mandatum et petitionem universalis patris nostri Honorii, ad petitionem patriarche Jerosolimitani, ad postulationem fratrum religiosorum ibidem commorantium, cum omnibus appenditiis suis, ecclesiis, agris, cultis et incultis, pratis, pascuis, et cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus que ipsi ecclesie collate sunt aut in posterum justa largitione bonorum hominum seu fidelium oblatione ipsi ecclesie conferentur, in nostram pacem et nostre protectionis defensionem, ad laudem et gloriam Dei sanctique Sepulchri, clementer recepimus. Cum igitur piis locis ob sanctorum reverentiam favor impenditur, et nullus profecto locus sepulcro dominico quem (*sic*) ipsius Sancti Sanctorum corporalis presentia sanctum fecit, favore dignior invenitur, digne et juste ipsorum petitionibus justis assensum

adhibuimus. Ipsorum etiam subnixis postulationibus firmum et inviolabile statutum auctoritate regia et nostri sigilli munimine corroboramus, ut jamdicte ecclesie protectio sive defensio nulla casus varietate, nulla rerum mutabilitate, ab auctoritate imperiali sive a regia excellentia possit alienari. Ut igitur hec rata et incommutabilia permaneant, presentem inde paginam scribi et sigillo nostro jussimus communiri, regali qua fungimur auctoritate statuentes ut quicumque huic nostre ordinationi obviare attemptaverit, regiam excellentiam se noverit offendisse et decem libras auri pro satisfactione compositurum, dimidias nobis, reliquas injuriam passis.

Hujus facti testes sunt Sifridus episcopus Augustensis, Ludowicus dux Bawarie, Hartmannus comes de Dilingen, Albertus comes de Rotinburg, Bertholdus comes de Sultz, Ulricus comes de Helfinstein, Heinricus nobilis vir de Niffen, Eberhardus imperialis aule dapifer, Eberhardus et Conradus fratres de Winterstetten imperialis aule pincerne, Marquardus et Ruckerus de Bernhusen, Waltherus minister in Ulma.

Datum anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo vigesimo sexto, in Ezzelingen, sexto kalendas octobris.

---

Henricus, Romanorum rex, recognoscit Gerechino de Sintzig jus patronatus in Königsfeld, hac conditione ut clericus in hac villa et in capella castri imperialis Landscron faciat residentiam. Apud Haug (?), 7 octobris.

(Edid. Tross, *Westphalia*, 9 jul. 1825, p. 12.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, universis imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Ad notitiam singulorum cupimus pervenire quod nos fideli nostro Gerechino de Sintziche recognoscimus jus patronatus in Kunigesfelt, tali modo quod nullus ibidem instituatur clericus, nisi faciat residentiam in villa prenotata et in ca-

pella uostra Laudscron, tum per se, tum per alium procuret divina officia celebrari.

Testes autem qui huic recognitioni iuterfuerunt hi suut S. venerabilis Augustensis et . . . Eichstetensis episcopi, L. dux Bawarie, Eberhardus dapifer de Walperc, C. et E. fratres piucerne de Winterstetiu.

Datum apud Hayuc (1), uouis octobris, indictione XV.

---

Apud Weingarten, 6 novembris.

Henricus, Romanorum rex, coenobio Sancti Petri in Augea (Weissenau) ecclesiam parrochialem Briganziae cum capella in Wolfurt contradit, omnemque traditionem quam pater suus et caeteri sui praedecessores eidem fecerunt confirmat, statuens ut ea libertate fruatur qua caetera coenobia Sanctae Romanae Ecclesiae attinentia.

(Edid. Lunig, *Reichsarchiv*, tom. XVIII, p. 750; nunc tamen correctius ex originali in archivo Stuttgartensi asservato.)

In uomine sancte et iudividue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Ad eterni regis premium promereudum spectare diuoscitur summeque beatitudinis gaudiis se uou modicum aconciliare videtur, immo utriusque vite prosperos eventus indubitauter sibi adoptat, qui ecclesias Dei et sacra loca et persouas Deo dicatas, quibus gladio materiali uti uou licet uec pugnare datum est, sublimare, manu tenere et clipeo fortitudiuis defensare studuerit; presertim eas quas sacra religio admodum commendat et fulgidas reddit, et ubi famulautium Deo corda iu amore Christi jugiter ardescuut et ad illam celestem patriam totis viribus omuique desiderio dulciter ac vehementer anhelant. Hujus rei iutuitu et omuibus vigilanti animo perspectis et consideratis, animo

(1) Sic, sed supra ibidem legitur *Hoyc*. Nomen corruptum rectius legendum arbitramur *Hogue* sive *Houge*, scilicet *Haug*, domus canonicorum juxta muros Herbipolis.

munificentie nostre subiit ut nos prebendam in ecclesia parrochiali Briganzie cum capella in Wolfurt et omnibus suis appendiciis et cum omni jure quo eam possideramus, cenobio Sancti Petri principis apostolorum in Augea, fratribus et sororibus inibi degentibus, Premonstratensis ordinis, ad eorum inopiam relevandam contraderemus, eisque sicut jus expostulat confirmaremus. Ad hec predicto cenobio indulgemus et confirmamus omnem traditionem quam pater noster Fridericus Romanorum imperator invictissimus et alii nostri predecessores tam reges quam duces fecerunt in hominibus utriusque sexus, mancipiis, agris, pascuis, terris cultis sive incultis, aquis, seu quibuscumque aliis rebus; utque breviter omnia concludantur, omnem caritatem et permissionem, omne quoque jus quod pretaxati principes prefato cenobio concesserunt seu tradiderunt, fratres inibi Deo famulantes libere possidere et in quieta possessione habere volumus. Ut autem hec traditio nostra rata permaneat et inconvulsa perseveret, sigilli nostri impressione communiri jussimus; statuentes et firmiter precipientes ne aliqua persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, nostre dicioni subjecta [hanc] infringere vel violare presumat. Quod qui fecerit sciat se indubitanter nostre indignationis offensam incurrisse, nec dubium habemus quin ejus incidat anathemati et excommunicationi qui vicem Petri gerens jus ligandi atque solvendi habet. Hec quoque adjicientes universitati vestre significamus predictum claustrum in Augea, Premonstratensis ordinis, omni libertate privilegiatum esse, sicut alia queque cenobia Sancte Romane Ecclesie attinentia, nec nos nec quempiam alium aliquid juris seu potestatis in eo habere, preter quod illud cum omnibus pertinentiis suis acquisitis et acquirendis in tuitionem nostram recepimus et sub ala protectionis nostre gaudere statuimus, ita ut per nostrum patrocinium sepe dicta ecclesia libera permaneat et secura deserviat.

Hujus rei sunt testes Hainricus episcopus de Ainstetten, Ludewicus dux Bawarie, Hartmannus comes de Dilingen, Werinherus comes de Chiburch, Manegoldus comes de Nellenburch, Ludewicus comes de Castello, Hainricus de Nifen, Fridericus de Truheldingen, Bilgerinus de Horewen, Heberhardus dapifer de Walpurc, Couradus et Heberhardus

pincerne de Wintirstetin, Burchardus de Hohenburch, Burchardus et Waltherus de Hohenvelse, Rodolfus et Burchardus de Ramesberc, Rodolfus de Arbona, Fridericus de Bongarten, Heberhardus de Fronehoven, Heberhardus et Bertoldus de Limpach, et alii quamplures.

Datum apud Winegarten, per manum Hainrici Constantiensis prepositi, imperialis aule prothonotarii, octavo idus novembris, indictione tercia decima (*a*), anno ab incarnatione Domini millesimo CC° XX° VI°.

---

Augustae; 13 novembris. Henricus, Romanorum rex, monasterium Ursperg, cujus advocatiam, a patre suo Friderico II titulo pignoris obligatam, ducentis marcis a praeposito et fratribus ejusdem claustri persolutis, ex potestate Alberti de Niwenburc redemerat, sub sua et imperii perpetua protectione recipit; possessiones etiam ejus et privilegia confirmat, ministerialibus quoque suis et imperii res ipsorum monasterio praedicto conferre permittit, electionem denique defensoris fratribus ejusdem monasterii concedit.

(Edit. ap. HUGO, *Annal. Premonstr.*, t. II, probat. p. 707, omisso tamen anno. — LUNIG, *Spicileg. eccles.*, III theil, p. 678.— *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 139, ex originali cujus sigillum periit, remanentibus tantum filis rubri et flavi coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Omnibus qui sub nostra vivunt ditione volumus, sicut condecet principis sublimitatem, in suo jure assistere, specialius autem religiosa loca et personas inibi regi celorum militantes et Deum pro nostra et aliorum principum et populi Christiani salute et victoria frequentius exorantes tenemur confovere, et ipsis jura sua conservare et protectionis et confirmationis nostre virtute defendere. Quo

(*a*) Sic; recte tamen *quinta decima*.

circa notum fieri volumus omnibns tam nostris successoribus quam nostre excellentie jndicibns nniversis et omnibus presentem paginam inspectnris qnod nos monasterium in Ursperc, cnjus advocatiam serenissimus princeps pater noster Fridericns Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus pro necessitatibns imperii olim titnlo pignoris obligaverat, redemimus de potestate nobilis viri Alberti de Niwenburc; pecunie qnoqne que soluta fuerat prepositns et fratres clanstri dncentas marcas persolverunt, ut ulterius nulla tali oppressione vexentur aut quolibet modo extra potestatem imperii alienentnr sive ipsi sive snccessores eorum. Qua propter nos clementer ipsorum precibns annnentes, ipsum locum cum personis et rebns ad eudem pertinentibns snb nostra protectione snscipimus; et ut in perpetuum sub culmine majestatis imperialis consistat, statuimns ne in quemquam transferatur contra volnntatem Deo ibidem servientinm. Bona quoqne que in presenti possident ant in futnrum snb nostra jnrisdictione poterunt adipisci legitime, cum omnibus pertinenciis et legitimis videlicet mancipiis, agris cultis et incultis, viis et inviis, pascuis, nemoribns, aqnis et aquarum decursibns, molendinis et piscationibus et ceteris attinenciis, confirmamus eisdem. Preterea qne in privilegiis antecessorum nostrorum sive annotationibus aut aliis scriptis dive recordationis proavi nostri imperatoris Friderici et regis Cuonradi in eadem ecclesia sunt statnta et hactenus observata, mandamus et precipimus inviolata consistere : nt videlicet nullus jndex seu cujuslibet potestatis homo presnmat homines ipsorum temere distringere aut contra ipsos de prediis ecclesie placitare, nisi coram nobis aut nuntio nostro specialiter ad hoc destinato. Liceat quoque ministerialibus imperii sive ad nos pertinentibus de prediis snis sive aliis rebns conferre prefato monasterio, et hec ipsis fratribus nostra permissione firma consistant. Adicimus etiam ut quilibet cui ad electionem fratrum committimus ut ipsos vice nostra defendat et jura nostra et ipsorum tneatur, si fuerit eis gravis aut dampnosus seu inutilis, cum hoc nostre innotuerit majestati, ad petitionem fratrum alins defensor quem pecierint ipsis concedatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod si quis facere presnmpserit,

indignationem imperii Romani et nostram se noverit incurrisse, et violate pacis reus existat.

Acta sunt hec presentibus et cooperantibus principibus, venerabilibus in Christo Sifrido Augustensi et Heinrico Eistetensi episcopis, Ludewico quoque illustri duce Bawarie; preterea comitibus et baronibus, Hartmanno de Dilingen, Chuonrado de Wirtenberc comitibus; Friderico de Truhendingen, Heinrico de Niphen, Alberone de Wange, Eberhardo de Aichheim baronibus; ministerialibus quoque imperialis aule: Eberhardo dapifero de Waltpurc, Cuonrado et Eberhardo fratribus de Wintersten, Dietone de Aistegen, Swiggero de Mindelberc, Burchardo de Hohenburc, et aliis quam plurimis, feliciter. Amen.

Datum Auguste, per manum Heinrici Constantiensis prepositi, imperialis aule prothonotarii, idibus novembris, indictione tercia decima (1), anno Domini M° CC° vicesimo sexto.

---

Apud Herbipolim, 22 novembris.

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem C. praepositi majoris ecclesiae in Hildesheim, novam civitatem inter Hildesheim et Losbeke constitutam liberam declarat, ita ut soli praeposito subsit, nundinas et fora ibidem instituens.

(Edid. SCHÖNEMANN, *Versuch eines vollständ. systems der diplomatik*, tom. II, p. 142, ex fac simili, unde sigillum cereum nunc dimidium appendet, tab. XII.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis ad quos presens scriptum pervenerit gratiam suam et omne bonum. Cum imperialis magnificentia omnibus aliis superemineat, liberalitatem nostram

---

(1) Indictio erronea posita est loco decimae quartae ordinariae aut quintae decimae caesareae. Nam ad annum 1226 instrumentum hoc pertinere certum est ex synchrono teste et oculato Burchardo Biberacensi, in *Histor. Friderici I* edita a CHRISTMANN, p. 167 (*Not. Monum. Boic.* (b)). Cf. insuper CONRAD. ABB. URSPERG., *Chronic. ad ann.*, p. 337.

decet esse precipuam maxime circa loca religiosa et viros viros (*sic*) ecclesiasticos ut grata eis conferamus subsidia, ipsum honorantes ad cujus sortem electi sunt et ministerio mancipati. Unde nos ad instantiam et petitionem C. prepositi majoris ecclesie in Hildensem, civitatem novam inter Hildensem et Losbeke constitutam liberam esse censemus, eam ab honeribus et muneribus eximentes ut telonia et prestationes quas debuerunt nulli homini persolvant, sed soli preposito majori qui fuerit pro tempore, quoad omnem utilitatem et reverentiam semper subsint et in ejus devotione permaneant. Liberum etiam preposito sit in eadem civitate ordinare officia in mechanicis et aliis professionibus, et magistros officiorum instituere qui ad ipsum habeant respectum et ejus tantum observent judicium. Indulgemus etiam eidem civitati semel in anno nundinas, scilicet in festo beati Lamberti, et forum semel in septimana, scilicet die dominico vel alio quem sibi utilem viderint et commodum. Omnes etiam ad nundinas predictas et forum venientes et inde recedentes nostre magnificentie gaudere volumus defensione. Ut autem hec nostre indulgentie ordinatio rata et inconvulsa permaneat, eam sigilli nostre (*sic*) impressione munimus et ab omnibus firmiter precipimus observari.

Datum apud Herbipolim, X kalendas decembris, indictione XV[a].

---

Henricus, Romanorum rex, memorans sententiam noviter in curia patris sui promulgatam, nec non et dilationem a se ipso apud Tridentum concessam de lite inter episcopum et cives Cameracenses, cum petitioni episcopi jus facere teneatur, privilegia civium omnino cassa diffinitive declarat; jubetque ut haec omnia dicto episcopo reddere teneantur et campanae communiaque destruantur, nulla jurisdictione praedictis civibus reservata. Apud Herbipolim, novembri.

(Edit. ap. *Mémoire pour M. l'archevêque de Cambrai* (Paris, 1772, in-4°), pièces justificatives, n° XXII; ex autographo in arch. Camerac., unde pendebat tunc aurea bulla, licet in privilegio non indicetur; coll. quoque cum codice B, 1029.

— Memorat. et extr. ap. MIRAEUM, *Oper. diplomat.*, t. IV, p. 540, et ap. PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 257, ubi tantum pars documenti cum testibus aliquot exhibetur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Ne que in nostra solempni curia aguntur, lapsu temporis in oblivionis scrupulum relabantur, notum fieri volumus universis Romani imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum inter dilectum et fidelem principem nostrum Godefridum Cameracensem episcopum ex parte una et cives ipsius episcopi Cameracensis ex altera super privilegiis et scriptis a nobis vel antecessoribus nostris regibus vel imperatoribus Romanis ab utraque parte obtentis, de consensu partium taliter compromissio esset facta quod partes scripta sua in curia Allemanie presentare deberent; et cum in curia serenissimi genitoris nostri Friderici Dei gratia Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, per sententiam principum fuisset solempniter declaratum quod cassatis omnino privilegiis civium predictorum, privilegia episcopi in suo robore perpetuo durare deberent (1); postmodum cum ad instantiam civium predictorum, dictum episcopum ad curiam Herbipolensem in octavis beati Martini citari fecissemus, dicto episcopo in persona propria ac civibus per procuratores sufficienter instructos ad curiam ipsam comparentibus, et cum ex parte civium a procuratoribus ipsorum factum suum proponeretur et ex parte episcopi responsum fuisset quod nullatenus respondere tenebatur eisdem nec advocatum nec jus aliquod in curia obtinere debebant, cum banno imperiali suppositi essent et proscripti, maxime cum dictus episcopus in curia nostra apud Tridentum (2) secundum jus et legem curie nostre sufficienter probasset quod dicti cives per annum et diem et amplius excommunicationis vinculo innodati et postmodum banno imperiali per sententiam principum percussi et proscripti fuissent, quem (*sic*) per quinque annos et amplius sustinuerant, et satisfacere non curassent; unde nichil

(1) Vide supra p. 629.
(2) Vide supra p. 876.

aliud restabat nisi quod contra dictos cives dampnationis sententia perferretur; et ad instantiam nostram et principum et aliorum nobilium imperii sustinuisset idem episcopus quod talis et tam severa sententia differretur ferri contra ipsos, ut videret si forte ad satisfactionem redirent; obtento prius per judicium principum quod dilatio pronunciationis talis sententie de jure curie nostre fieri poterat nec ullum dicto episcopo vel successori suo prejudicium generabat, quia ad hoc eramus specialiter astricti quod sententiam ipsam, quandocumque ab ipso episcopo vel successoribus suis vel eorum certo nuntio essemus requisiti, perferre teneremur, nulla alia probatione ab eis requisita sive recepta, dictique cives nichil a nobis impetrare possent quominus dicta sententia perferretur; et de his prefatus episcopus litteras nostras patentes coram nobis et principibus nostris exhibuisset, nos de assensu dicti episcopi et principum nostrorum instantia, personis dictorum civium talem gratiam misericorditer duximus faciendam ne talis et tam severa sententia perferretur ad presens contra ipsos usque ad sepedicti episcopi voluntatem. Ex sententia principum nostrorum ac aliorum nobilium imperii, diffinientes privilegia sive scripta omnia a nobis vel antecessoribus nostris regibus vel imperatoribus Romanis, tam a dive memorie proavo nostro Friderico Romanorum imperatore quam a Rogero quondam Cameracensi episcopo quam ab aliis a dictis civibus obtenta, cassa de cetero et inania reputari, privilegiis sive scriptis memorati episcopi et ecclesie sue in suo robore perpetuo duraturis, sicut in aliis solempnibus curiis tam serenissimi genitoris nostri quam aliorum Romanorum imperatorum seu regum alias extitit judicatum et sepius declaratum. Hoc adjuncto quod dicti cives omnia sua privilegia sive scripta reddere tenentur dicto episcopo. Et si qua forte alia scripta que non sint reddita seu per negligentiam seu per oblivionem inveniantur, ea penitus cassa et inania reputari per nostrorum sententiam principum adjudicavimus; sententialiter etiam diffiniendo quod campana sive campane et campanile quod Berfrois (1) dicitur et communia quam pacem nominant vel quocumque alio nomine

(1) Alias *Bierfrois*, nunc gallice *beffroi*, ex germanica voce *bergfried*.

palliotur, in eadem civitate tollantur et destruantur omnino, nulla jurisdictione predictis civibus penitus reservata, sicut in aliis privilegiis ejusdem episcopi plenius et apertius dinoscitur contineri; statuentes et firmiter auctoritate regia precipientes ut nulla omnino persona (a) magna vel parva, secularis vel ecclesiastica, contra prescripta omnia tempore aliquo temerario ausu venire presumat vel dictum episcopum et successores suos ac ecclesiam suam exinde molestare. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostram et penam quinquagentarum (b) librarum auri puri se noverit incursurum; quarum medietas fisco nostro, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec premissa robur obtineant perpetuo valiturum, presens privilegium conscribi et sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus vero rei testes sunt Sifridus Maguntinus, Theodoricus Treverensis, Henricus Coloniensis archiepiscopi, Hermannus Herbipolensis, Henricus Eistedensis, Sifridus Augustensis, Bertholdus Argentinensis, Henricus Basiliensis, Engelhardus Nuenburgensis, Henricus Wormaceusis episcopi; Ludovicus Hersveldensis, Conradus Foldensis, . . . Corbacensis, Albertus Lauricensis abbates; Ludovicus dux Bavarie, Ludovicus landgravius Duringie, Hermannus marchio de Baden, Popo de Henneberch, Gerardus Gelrensis, Hartmannus de Dilengen, Lotharius de Hostade comites; Michael in Hanonia, Willelmus in Antwerpia archidiaconi, Rogerus decanus, magister Werricus, Henricus de Colonia, Ellebaldus presbiteri, Johannes de Roia, Petrus thesaurarius Sancte Crucis, Brictius levite, Jacobus de Bethunia sublevita beate Marie, canonici (*sic*) Egidius, magister Arnulfus Sancti Gaugerici canonici Cameracenses.

Signum domini Henrici Dei gratia invictissimi Romanorum regis, semper augusti, anno regni ejus sexto.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense novembri (c), indictione quinta decima, regnante

(a) In verbis *Ex sententia principum* usque nunc, caeteris omissis, Miraeus et Pertz se concludunt.

(b) Sic, forsan *quinquagenarum*. In codice B, 1029 *quingentarum*.

(c) In impressis ap. Miraeum et Pertz *die VII novembris*, minus recte.

domino nostro Henrico invictissimo Romanorum rege, semper augusto.

Datum apud Herbipolim, per manum Henrici imperialis aule prothonotarii, anno, mense et indictione predictis, feliciter. Amen.

---

Henricus, Romanorum rex, praecedentem sententiam civibus Cameracensibus notificat, firmiter praecipiens quatenus infra decem dies post receptionem litterarum, omnia ipsorum privilegia episcopo restituant, campanasque et communiam penitus destruant. [Apud Herbipolim], 26 novembris.

(Inedit. ex cod. B. 1029 in Bibl. comm. Camerac., pergam. sec. XIII, continente privilegia eccles. Camer., fol. 112 verso, 113 recto.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis civibus Cameracensibus spiritum consilii sanioris. Cum in curia nostra solempni apud Herbipolim per sententiam principum nostrorum, in presentia nuntiorum vestrorum, solempniter sit diffinitum privilegia dilecti principis nostri G. Cameracensis episcopi et ecclesie sue firma de cetero et stabilia reputari et vestra nullius esse momenti vel vigoris, vobis auctoritate regia mandamus firmiter precipientes quatinus infra decem dies post harum susceptionem litterarum, dicto episcopo omnia scripta vestra que hactenus vobis prestiterunt occasionem malignandi, que a nobis vel ab antecessoribus nostris, regibus vel imperatoribus Romanis, obtinuistis et alia omnia scripta que penes vos remanserunt restituatis; et campanas vestras et campanile quod Berfrois dicitur et communiam quam pacem nominatis sive quocumque alio nomine pallietur, sicut in privilegio dicti episcopi a nostra majestate obtento plenius et apertius continetur, infra eumdem terminum penitus destruatis, si penam in eo contentam et indignationem nostram volueritis evitare (1).

(1) Quum diutinae contestationis hujus finis in privilegiis imperialibus non appareat, addi-

Datum sexto kalendas decembris, indictione quinta decima.

---

Apud Wirceburg, 26 novembris.

Henricus, Romanorum rex, ad preces principum in sua generali curia existentium, donationem ecclesiae in Esslingen a patre suo Friderico imperatore canonicis majoris ecclesiae Spirensis factam ratam habet, et quidquid juris in ista ecclesia sibi competere videtur eisdem confert.

(Inedit. ex libr. obligat. eccles. Spir., t. I, fol. 91 verso, in archivo Carlsruhensi.)

---

mus instrumentum pacis gallice scriptum, quo Godefridus episcopus, vigore litterarum Henrici regis, cives cameracenses banno, amendis et catallia quietatos denuntiat. Ineditum hucusque jacet in codice supra memorato, fol. 14 verso, ut sequitur : « Nous Godefroia par le » grasse de Dieu euesques de Cambrai, faisons a sauoir a tous chiaus ki ore sunt et ki auenir » sunt ki ces lettres ueront ke querieles ont este entre nous et nos ancisseurs euesques de Cambrai dune part et les citains de Cambrai dautre part de pluseurs querieles ki montent a » amendes et a cateus et de ban roial u li citain furent mis par leur defautes a no tans et al » tans nos ancisseurs euesques de Cambrai; et par le grasse de nostre Segneur pais est tele » reformee entre nos et eus ke nous leur cuitons le ban et gietons fors et deuons estre warant » et serons, si com cil ki bien en auons pooir par les lettres nostre seignor le roi Henri dAle- » maigne et par nos meesmes a qui li queriele monte. Et ceste quitance faisons nos par lassens » et en le presense de nostre capitle et par les letres le roi ke nous leur rendomes, et uolons » et loons ke toutes querieles ki entre nous et nos ancisseurs dune part et eus dautre ont este » de chi a cest ior dore, ki montent a amendes et a cateus, soiient quites clamees a bone » foi. Et por çou nentendons nous mie que les segnories et les justices de le cite ki nostres » sunt et par kartes et par priuileges de rois et dempereurs ne li lois par quoi li cittes doit » estre gouernee, que nous iauons mise, ki enseeles sunt de nostre seeil, par le seeil de » leglise et par le seeil de le cite, soiient amenusies en nule partie por cose ki chi deuant soit » dite; ains nous sont toutes asuues et li iretage et les droitures ki a nous apartienent et de » par le conte et de par leuesquiet. Et en tesmoignage de ces coses auons nous mis no seeil a » ces letres et li capitles et li cites ausi, en lan del incarnation Iehsu Crist mil CC et vint et wit, » el mois doctembre. » Leges autem de quibus hic agitur frequentissime memorantur in annalibus Cameracensibus, sub hoc vocabulo *lois Godefroy;* quae quidem latine simul et gallice redactae apud Miraeum, t. IV, p. 391, et ap. *Mémoire pour M. l'arch. de Cambrai* in integrum reperiuntur, sub data 1227, mense novembris.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Henricus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, in perpetuum. Cum universa sub lunari globo existentia corruptioni et mutabilitati subjaceant, necesse est ut omnis dispositio et ordinatio humana sicut fit cum tempore, ita etiam per successionem temporis a memoria hominum que labilis est elabatur. Sed huic incommoditati sagacitas hominum adhibuit remedium, scripture suffragium et vivorum hominum testimonium. Notum sit igitur universis presentem paginam inspecturis tam presentis etatis quam future posteritatis quod nos inclinati ad preces dilectorum principum nostrorum in nostra generali curia Wirtzeburg existentium, videlicet Sifridi Moguntini venerabilis archiepiscopi, Theoderici Treverorum venerabilis archiepiscopi, Henrici Coloniensis venerabilis archiepiscopi, venerabilium Hermanni, Sifridi, Henrici et Henrici Herbipolensis, Augustensis, Wormaciensis et Eistetensis episcoporum, Ludewici illustris ducis Bawarie, Hermanni marchionis de Baden, donationem ecclesie in Esselingen quam inclitus noster genitor Fridericus, Romanorum imperator augustus, majoris ecclesie Spirensis canonicis fecit in translatione corporis Philippi regis a Babenbergensi civitate ad Spirensem, gratam et ratam habentes, quidquid juris in dicta ecclesia Esselingen ex paterna successione vel ex alia quacumque causa nobis competere videretur, canonicis dicte ecclesie Spirensis majoris liberaliter contulimus; liberam eis dantes facultatem de redditibus prefate ecclesie Esselingen et nunc et in posterum pro sue voluntatis arbitrio disponendi. Ut autem hec omnia perpetua firmitate subnixa permaneant, presens privilegium inde conscribi jussimus et sigillo nostre majestatis communiri; statuentes et districtissime precipientes ut nemo sit unquam qui hanc nostram ordinationem aliquo modo infringere presumat. Quod si quisquam facere attemptaverit, quinquaginta libras puri auri componat, dimidiam partem fisco nostro, reliquam partem sepedicte ecclesie Spirensi persolvendam; nostra ordinatione nihilominus rata et inconvulsa permanente.

Testes hujus rei sunt principes suprascripti et ceteri quorum nomina subsequuntur: Henricus major Constantiensis prepositus, imperialis aule

prothonotarius, Fridericus de Truhtingen, Albero de Wange, Albertus de Rossewag, Cunradus de Steinach, Eberhardus dapifer de Walpurg, Conradus pincerna de Windersteten, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno Domini millesimo CC° XXVI°, indictione XV, VI kalendas decembris.

Datum apud Wirceburg in Cazenwichus, anno, mense, indictione prescriptis.

---

Apud Herbipolim, 27 novembris.

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem Sifridi archiepiscopi Moguntini et ex consilio principum suorum, statuit ut homines archiepiscopi praedicti, qui se in oppidum regium Oppenheim receperunt, eidem reddantur et ulterius ibidem non colligantur; rescindit etiam confoederationes, quibus civitates Moguntia, Pinguia (Bingen), Wormatia, Spira, Frankinvort, Geilinhusen et Frideberc, in praejudicium ecclesiae Moguntinensis, se invicem obligarunt.

(Edit. ap. GUDEN., *Cod. diplomat.*, t. I, p. 493. — PERTZ, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 257. — *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 143. — SCHAAB, *Gesch. des Rhein. Städtebundes*, t. II, p. 2. — BOEHMER, *Cod. diplom. Moenofrancf.*, t. I, p. 48.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis hujus scripti seriem inspecturis gratiam suam et omne bonum. Regie majestatis dignatio semper consuevit occurrere petentium justis votis. Quapropter ad instantiam venerabilis et dilecti principis nostri domini S. archiepiscopi Maguntini, conquerentis sibi esse onerosum plurimum et dampnosum quod ex hominibus suis quidam in nostro se oppido Oppinheim receperunt, communicato consilio dilectorum nostrorum principum qui sollempni nostre curie Wirceburc magnifice affuerunt, statuimus ut ministeriales, burgenses sive quicumque alii homines, quovis jure prefato archiepiscopo attinentes, cum omni integritate reddantur

eidem, et nulli ex hominibus ejus ultra in predicto opido colligantur. Volumus etiam confederationes sive juramenta quibus se civitates Maguntia, Pinguia, Wormatia, Spirea, Frankinvort, Geilinhusin, Frideberc, in prejudicium ecclesie Maguntinensis invicem obligarunt (1), rescindi penitus et in irritum revocari. Quod ut ratum et inviolabile observetur, paginam istam nostro sigillo fecimus roborari.

Cujus facti testes sunt Theodericus Treverensis, Heinricus Coloniensis archiepiscopi, Hermannus Herbipolensis, Bertoldus Argentinensis, Sifridus Augustensis, Henricus Eistetensis, Henricus Wormatiensis, Engilardus Nuwinburgensis, . . . (a) Basiliensis episcopi, Cunradus Fuldensis, Ludewicus Hersfeldensis, Cunradus Laurensis abbates regales; laici, Ludevicus palatinus comes Reni et dux Bauwarie, Ludewicus lantgravius Thuringie, et alii quamplures tam seculares quam ecclesiastice persone.

Acta sunt hec apud Herbipolim, anno dominice incarnationis M°CC°XXVI°, V° kalendas decembris, pontificatus nostri anno XXVI° (2).

---

Henricus, Romanorum rex, compositionem inter imperatorem patrem suum et seipsum ex una parte et Bertholdum episcopum Argentinensem ex altera ratam habet, omni actioni in successione bonorum comitissae de Dagsburg renuntiat, castrum de Girbaden Apud Herbipolim, 28 novembris.

(a) Ap. Gudenum suppletur nomen *Heinricus*.

(1) Primam nunc, et nostra sententia vetustissimam, confoederationis inter civitates Rheni mentionem habemus.

(2) Indictio omissa est. Annus autem pontificatus, ad Sifridum II archiepiscopum Moguntinum referendus, convenit anno Christi indicato. Praefuit enim ille ab anno 1200 usque ad ann. 1230. Haec nota pontificatus Sifridi, licet apud Gudenum desit, documento cui additur nullum suspicionis crimen ingerit; quum archiepiscopus Moguntinus, archicancellarius imperii, inter cancellariae hujus aevi confusionem, privilegio ad instantiam suam redacto subscripsisse juste potuerit.

episcopo tradit et castrum Vichersheim pro mille marcis argenti obligat, si patrem suum ad approbationem praedictorum inducere nequiverit.

(Edid. Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, tom. I, p. 357, nº 444, è libr. salic. capit. maj. Argent.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. . . . . . . . . Noverint universi. . . . . . . quod nos ob devotionem dilecti principis nostri Bertoldi Argentinensis episcopi et ecclesie sue, compositionem inter serenissimum dominum imperatorem patrem nostrum et nos ex una parte et dominum episcopum et suam ecclesiam ex altera super controversia diutius agitata, quemadmodum apud Spiram per nos, sicut ex litteris nostris (1) liquet manifeste, noscitur approbata, sic in perpetuum ratam et firmam habemus eamdem; promittentes quod a prima Epiphania Domini ad annum per dominum imperatorem patrem nostrum ipsam cum litteris ejusdem solempnibus faciemus in omnibus approbari pariter et confirmari. Et quia nobis idem episcopus feodum nostrum quod ab ecclesia ipsa diu requisivimus concessit liberaliter, sub ea forma sicut in compositione continetur memorata, actionem omnem et jus universum quod in omnibus bonis bone memorie comitisse de Tagesburc (2) filie comitis Alberti ab eodem episcopo a marchionibus Hermanno et Heinrico de Baden ratione successionis hereditarie emptis competit vel competebat, in manibus resignavimus, et renuntiavimus eisdem in tantum quod etiam nec ratione donationis seu venditionis vel alia aliqua de causa prefatum episcopum aut aliquem suum successorem. . . . . . . impetemus. . . . . Castrum autem novum aute Girbaden noviter edificatum ante Nativitatem Domini instantis anni tradetur in prefati episcopi potestate. . . . . Si dominum imperatorem patrem nostrum ad observantiam et approbationem supradictorum inducere nequiremus, . . . . . . . . . ad solutionem mille marcarum argenti nos obligamus eidem vel suo successori; pro qua summa pecunie

(1) Quas quidem non invenire potuimus. Cf. supra, p. 756.

(2) Sive *de Dagsburg*. De hac haereditate vid. Laguille, *Histoire d'Alsace*, probat. p. 33 et 34.

castrum Wichersheim cum suis omnibus pertinentiis titulo pignoris ipsi episcopo obligamus; sub ea forma quod idem episcopus castrum prefatum fratribus de Hohenstein Heinrico et Alberto medio tempore custodiendum commendare teneatur. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Testes. . . . . . . . . . venerabilis H. Herbipolensis, S. Augustensis, C. (H) Eistetensis episcopi, H. prothonotarius,... prepositus Argentinensis, L. illustris dux Bawarie,... marchio de Baden, C. (a) burgravius de Nurnberg, comes Egeno, H. comes de Dilingen, H. nobilis de Lichtenberg, O. de Ochsenstein, E. dapifer de Walpurc, etc. . . . . .

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXVI.

Datum apud Herbipolim in solempni curia nostra, IV kalendas decembris, indictione XV (1).

---

Henricus, Romanorum rex, notum facit quod, cum nefandus comes Fridericus (de Isenburg) advocatiam in Herbette quam tenebat ab abbatissa de Kaufungen, cum aliis feudis per sententiam principum amiserit, praedicta advocatia ad liberam ejusdem abbatissae dispositionem reversa est. [Herbipoli, novembri vel decembri.]

(Edid. J. Ph. Kuchenbecker, *Analecta Hass.*, collect. I$^{a}$, p. 75 (Marburg, 1728). — Inclus. in confirmatione Rodolphi I, dat. Erfordie, VI idus martii, indict. 3, ann. Dom. 1290, regni 17.)

Henricus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, omnibus hanc

(a) In libro *et*, male.

---

(1) Circa hoc tempus, verisimiliter mense decembri, archiepiscopus Moguntinus, Wormatiensis, Halberstadensis, Augustensis, Curensis et Verdensis episcopi « in sancto concilio Moguntino nuper congregati » imperatori scribunt et eum rogant ut concordiam inter ipsum et ecclesiam Argentinensem per imperiales delegatos tractatam (vid. supra p. 756, not. 1), quam rex Henricus et principes his diebus apud Herbipolim ratam habuerunt, pro Deo et bono pacis ipse confirmare velit. Instrumentum memorat Boehmerus, *Reichssachen*, p. 376, n° 82, ex copia quondam penes Grandidier.

paginam inspecturis gratiam suam ac omne bonum. Licet omnes ecclesias majestas nostra regia protegere debeat, illis tamen ampliorem impartiri favorem volumus et tenemur quod a Romanis imperatoribus fundate sunt pariter et dotate. Noverit igitur universitas vestra quod, postquam nefandus comes Fridericus (1) actionem scelestam peregerit occidendo Coloniensem archiepiscopum, cui a patre nostro imperii commissa fuisse noscitur (a), advocatia quam tenebat in feudo de manu abbatisse in Kauffungen in predio quod vocatur Herbette ad eamdem libere est reversa; sicut alia feuda ipsius ad suos dominos ad quos de jure spectabant per sententiam principum redierunt. Cum igitur dicta ecclesia in Kauffungen regalis esse noscatur, et ob hoc propensiori nostro, sicut dignum, presidio (b), volumus et presentium auctoritate decernimus ut advocatia predii supradicti vel ad descendentes vel ad collaterales nefandi Friderici heredes nullo tempore unquam perveniat, sed abbatissa ecclesie prefate constet perpetua firmitate, nisi forsan mera liberalitate de novo alicui eadem abbatissa eam duxerit conferendam. Quum autem memoria hominum labilis sit et res conscribere non sufficiens, ut concessionis nostre intelligentia (c) non sit posteris ambigue futura, presentem paginam conscribi fecimus quam sigilli nostri presidio communiri jussimus.

Datum Herbipoli.

(a) Deest aliquid scilicet : *cura, tutela*, vel hujusmodi.

(b) Ibi quoque deest aliquid.

(c) In impresso *indiligentia*, minus recte.

---

(1) De istius supplicio vide supra, p. 869, not. 2.

ANNO 1227. — INDICTIONE 15.

Honorius papa praeposito et decanis ecclesiae majoris et Sancti Stephani apud Maguntiam nuntiat se providisse Engelberto Osnaburgensi electo qui ab administratione hujus ecclesiae fuerat amotus, mandatque ut super beneficia eidem ad sustentationem concessa episcopos et abbates hic designatos compellant. Laterani, 11 januarii.

(Edid. Wurdtwein, *Nov. subsid. diplomat.*, t. IV, p. 141, ex Regest. Honor. III, vol. V, epist. 480.)

Honorius, etc. Dilectis filiis . . . preposito majoris ecclesie et . . . ejusdem ecclesie et . . . Sancti Stephani decanis Maguntinis salutem, etc. Quia indignum erat ut dilectus filius C. (E) Osemburgensis electus ecclesiastica provisione careret, qui ab administratione fuerat ecclesie Osemburgensis amotus (1) et aliqua ad sustentationem suam beneficia non habebat, cum diu in multa humilitate apud Sedem Apostolicam nostram implorando gratiam expectarit, nos de fratrum nostrorum consilio duximus providendum ut per quosdam ecclesiarum prelatos ac successores eorum necnon capitula provideatur eidem; nostris sibi dantes litteris in mandatis ut venerabiles fratres nostri Osemburgensis episcopus in centum marcis puri argenti, Trajectensis in viginti quinque, Monasteriensis vero in viginti, et Herveldensis, Werdensis et Corbeiensis abbates in triginta, ita quod quilibet eorum in decem provideant annuatim, medietate in festo Sancte Walburgis, reliqua vero in festo Sancti Martini annis singulis

(1) Theodoricus Monasteriensis episcopus et Engelbertus Osnaburgensis electus, Friderici de Isenburg germani fratres, de nece archiepiscopi Coloniensis infamati, quum in concilio Leodiensi (3 febr. 1226) sufficienter se purgare nequivissent, a Conrado Apostolicae Sedis legato ad papam transmissi fuerant. Quorum prior in reditu miserabiliter occubuit; alter vero sententiam depositionis, ut hic videre est, non potuit evitare, licet eum papa tacite de crimine absolvat. Cf. Caes. Heisterb. ap. Boehmer, *Fontes*, II, 327; Reiner. Leod., *Ibid.*, 387.

ab eis ac eorum successoribus ei vel procuratori ejus quoad vixerit exhibenda, juxta nostrarum continentiam litterarum. Capitula vero majoris et Sancti Joannis Osemburgensis, Monasteriensis et Werdensis ecclesiarum eum recipiant in canonicum et in fratrem, assignaturi sibi prebendas si vacant ad presens vel cum primum in ecclesiis vacarint eisdem, et annuatim donec vacaverint de communi et sive presens sive absens fuerit, quantum residens de prebenda sua perceperit, provisuri et exhibituri terminis supradictis. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus prefatos episcopos et abbates ac successores eorum necnon capitula supradicta ad hec si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellatis; constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante. Quod si non omnes, etc.

Datum Laterani, tertio idus januarii, pontificatus nostri anno XI.

---

Apud Ratisponam, 29 januarii.

Henricus, Romanorum rex, notum facit quod Henricus nobilis de Egersperge cum uxore et haeredibus suis omnia bona sua quae habebat apud Mergentheim fratribus domus Sanctae Mariae Theutonicorum vendidit et contradidit; quam venditionem ipse solemniter conscribi et sigillari facit.

(Inedit. ex originali in arch. Stuttgart., nobis a Kauslero communicato. Appendent tria sigilla in charta notata, scilicet regis, episcopi Herbipolensis et ducis Bavariae; istud equestre, ut solet.)

Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Notum facimus universis presens scriptum inspecturis imperii fidelibus quod Heinricus vir nobilis de Egersperge cum suis heredibus apud Ratisponam ad nostram accessit presentiam, et coram principibus, nobilibus et aliis imperii fidelibus ibidem coram nobis presentibus confessus fuit se simul cum uxore sua et heredibus omnia bona sua que habebat apud Mergenthein et in districtu ville ipsius vendidisse pro ducentis marcis

argenti dilectis nobis fratribus domus Teutonicorum Sancte Marie in Jerusalem. Ad confirmationem autem hujus venditionis, ibidem in nostri et aliorum astantium presentia, omnia bona sua predicta in villa Mergenthein et ejus districtu sita, culta et inculta, inquisita et non inquisita, cum omnibus suis pertinentiis manu propria et manu heredum suorum prenominatis fratribus contradidit; resignando eis pro se et aliis suis heredibus omne jus et proprietatem quam iu ipsis bonis habuit vel habere videbatur et manifeste. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
a prefatis fratribus esse in integrum soluta, que vendicioni pretaxate intercesserant. Unde et pro se et omnibus suis simul heredibus ren[unciavit omni] actioni et juri quo super hiis aut aliis prenominati fratres et eorum successores possent conveniri aut aliquo modo in causam trahi. Nos vero ut ea que tam sollempni donatione et contractu in nostri presentia et principum et multorum nobilium tractata sunt, non alicujus doli vel temeritatis rabie lacerari debeant, sed juxta providentiam regie sublimitatis inconcussa permaneant, accedente etiam peticione supradicti H. et fratrum supradictorum, in certam evidentiam omnium horum conscribi fecimus et tam sigillis dilectorum principum nostrorum, Hermanni Herbipolensis episcopi et Ludewici comitis palatini et ducis Bawarie, quam nostro roborari literam presentem.

Testes hii sunt Hermannus Herbipolensis, Sivridus Augustensis episcopi, Ludewicus dux Bawarie et comes palatinus Rheni, C. burgravius de Nurenberc, Rupertus et Ludewicus fratres et comites de Kastel, Fridericus de Truhendingen, Gerlacus de Butingen, Gotfridus et Cunradus fratres de Hohenloch, Cunradus pincerna de Klingenberc, et alii quamplures.

Actum apud Ratisponam, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo XXVII°, quarto kalendas februarii, indictione XV.

---

Henricus, Romanorum rex, ad supplicationem abbatis de Petridomo, promittit quod advocatias quas hic abbas ab Hildeboldo de Apud Ezzelingen, 14 februarii.

Stegborn comparavit caeterasque advocatias quas idem justo modo poterit adipisci, a manibus suis alienari non patietur.

(Edid. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 413.)

Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris presenti scripto insinuamus quod nos ad imitationem dilectissimi genitoris nostri serenissimi Romanorum imperatoris, secundum supplicationem venerabilis abbatis de Petri domo fidelis nostri [ut] cum haberemus dominium advocatie monasterii ejusdem in manibus nostris, quarumdam etiam possessionum advocatias quas prefatus abbas summa quadam pecunie comparavit apud Hildeboldum de Stegboron necnon ac aliarum omnium possessionum advocatias quas titulo emptionis vel alio justo modo poterit adipisci, a manibus nostris alienari nullatenus pateremur; nos ergo ipsius honeste petitioni benignitate solita inclinati, promisimus dictas advocatias ad manus nostras perpetualiter retinendas; statuentes ut nulli persone fiat concessio de predictis ab excellentia nostre majestatis. Si quis autem contra hujus statuti nostri gratiam aliquas litteras sive concessiones de hujus veritate tacita impetraverit, eas decernimus non valere. Ad hujus itaque concessionis et constitutionis nostre memoriam et robur in perpetuum valiturum, presens scriptum fieri et sigillo celsitudinis nostre jussimus communiri.

Datum apud Ezzelingen, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, XVI kalendas martii, indictione decima quinta.

---

Ulmae, 16 februarii.

Henricus, Romanorum rex, coenobium Sanctae Mariae in Soreth cum omnibus bonis ejus mobilibus et immobilibus in sua protectione suscipit, juraque ejus et privilegia confirmat.

(Edid. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 549.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus divina favente cle-

mentia Romanorum rex et semper augustus. Justitia exigit et ratio ipsa postulat ut ecclesiis Dei longe lateque in regno nostro constitutis vigorem consilii et dexteram auxilii benigne impendamus, illis maxime a quibus omni tempore, omni hora, sanctarum orationum percipimus suffragia; et si nos in tabernaculo Dei offerentes aliquid supererogaverimus, ab illo vero Samaritano cum redierit centuplum esse reddendum speramus et credimus. Quapropter agnoscant universi fideles regni presentes et futuri quod nos intuitu eterne retributionis et spe future pacis et quietis, cenobium Sancte Marie in Soreth (1) et personas ibidem Deo famulantes cum omnibus bonis, mobilibus et immobilibus, ad eamdem juste pertinentibus sub nostram protectionem atque defensionem suscepimus, omnesque possessiones quas etiam in futuro Deo annuente rationabiliter et legitime poterunt adipisci, nostra regali auctoritate ipsis confirmamus et corroboramus; in quibus hec propriis dignum duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum cenobium est situm cum silvis, aquis, pratis, agris et pascuis, predium in Lanpach et capellam cum omnibus suis attinentiis, predium in Onlzrüthi, in Tunzenhus, in Amizinswilere, in Chureubach, in Ophirbach, in Dürnon, in Geisbürren. Concedimus preterea fratribus ibidem Deo servientibus et eorum subditis et ministris ut per universa fora nostra negotiationes suas exerceant libere sine thelonei pensione et ut liberam habeant potestatem succidendi silvas et foresta nostra pro claustri necessitate. Ad hec si quisque ministerialis noster sive mercator sive rusticus sive cujuscumque conditionis homo vel cujuscumque sexus seipsum aut aliquid de suis mobile vel immobile eidem cenobio conferre voluerit, sciat hoc cum nostra esse licentia et voluntate. Hoc quoque universitatem fidelium latere nolumus predictum claustrum libertate privilegiatum, sicut et alia claustra sancte Romane et Apostolice Sedi pertinentia, nec nos nec quempiam alium quicquid juris aut potestatis in eo habere, preterquam quod nos illud intuitu Dei in tuitionem nostram accepimus et ei pro justitia adesse volumus et preesse. Unde si quis violentiam ei intulerit aut illud ulla in parte le-

(1) Quod postea *Schussenried* fuit vulgariter nuncupatum.

serit, sciat se nos lesisse et gratie nostre offensam incurrisse. Et ne hec a succedentium memoria possint elabi, presentem super his paginam fecimus conscribi et sigilli nostri impressione muniri.

Hujus concessionis testes sunt Ludovicus dux Bavarie, Hartmannus comes de Dillingen, Conradus comes de Zolre, Eberhardus dapifer de Waltburch, Eberhardus de Fronehofen, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo septimo, indictione quinta decima. Datum Ulme, XV kalendas martii.

---

Apud Herbipolim, 15 martii.

Henricus, Romanorum rex, monasterio de Waltsassen jus patronatus ecclesiae in villa Wundreb ad se jure haereditario devolutum donat.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, tom. XXXI, pars 1a, p. 524, e lib. copiali antiquiss.— Memoratum quoque à Bruschio in *Monasteriologia*, p. 249.)

Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus presens scriptum intuentibus gratiam suam et omne bonum. Ad utrinsque vite felicitatem prodesse nobis non ambigimus, si loca divino cultui mancipata nostre donatione largitatis curaverimus ampliare et eis suisque ne graventur indebite nostra defensione sedula providere. Hac itaque ratione ducti, ad notitiam universorum ex insinuatione presentium cupimus pervenire quod attendentes sinceram devotionem dilectorum fidelium nostrorum E. abbatis et conventus in Waltsassen necnon defectum sustentationum eorumdem, divine remunerationis intuitu, ecclesiam et jus patronatus ad nos jure hereditario devolutum in villa Wundereb, de plenitudine consilii nostri necnon deliberato consilio subscriptorum principum, memorato abbati et conventui conferimus perpetuo possidendum, cum pleno jure quo nos idem jus patronatus et antecessores nostri dinoscimur possedisse. Proinde est quod auctoritate regia universaliter et specialiter inhibemus ne quis

ausu ductus temerario prelibatum abbatem et suum conventum in pretaxata nostra donatione juris patronatus impedire audeat vel in aliquo molestare. Quod qui attemptaverit indignationem et gravem offensam nostre celsitudinis se noverit incurrisse. Et ad majorem evidentiam et certitudinem nostre collationis, presentem litteram conscribi fecimus cum sigilli nostri patrocinio et subscriptis testibus communitam.

Testes autem qui prelibato facto nostro interfuerunt hii sunt : venerabilis Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus, Hermannus Herbipolensis, Heinricus Eistetensis episcopi, Ludewicus Bawarie, Lupoldus Austrie, Ludewicus Charintie duces, Hermannus magister domus Theutonicorum Jerosolymitanus, Bertoldus frater domus ejusdem de Tannenrode, Conradus burgravius de Nurnberch, Fridericus de Druhendingen, Gerlacus de Butingen, Eberhardus dapifer de Walpurc, Conradus et Eberhardus pincerne de Winterstetten, Ulricus et Lupoldus notarii, et alii quamplures.

Actum anno dominice incarnationis M. CC. XXVII.

Datum apud Herbipolim, idibus marcii, indictione quinta decima.

---

Henricus, Romanorum rex, monasterio Steingaden proprietatem duorum mansorum in villa Widergeltingen, quam olim dux Welfo illi tradiderat, et jus feudi in eisdem mansis, quod duo fratres de Dachsperc pro LXX marcis argenti regi nunc resignabant, confirmat et confert. Apud Augustam, 20 martii.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, t. VI, p. 517, et memorat. *Ibidem*, t. XXX, p. 145, ubi sigillum describitur.)

Heinricus septimus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Ad eterne vite felicitatem et temporalis regni incrementum nobis prodesse non ambigimus, si personas religiosas in suis desideriis exaudire curaremus et circa commoda ecclesiarum curam et operam impenderemus

diligentem. Quapropter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum nobilis dux Welfo avunculus noster in villa Widergeltingen proprietatem duorum mansorum conventui et monasterio de Steingaden olim pro remedio anime sue contulisset, et in eisdem mansis Heinrico et Friderico fratribus de Dachsperc jus feudale permansisset, ipsi fratres processu temporis, zelo ducti pietatis, apud Augustam ad presentiam nostram accedentes, acceptis LXX marcis argenti, quidquid ratione feudi in eisdem mansis habere videbantur in manus nostras humiliter et spontanea voluntate pro se et heredibus suis resignaverunt; et nos pro salute nostra tam proprietatem jamdudum contraditam quam jus feodi in manus nostras resignatum conventui et monasterio prefato contulimus perpetuo et libere possidendum. Statuentes et sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nulla unquam persona sepedictos fratres aut monasterium in eisdem mansis vel in aliis bonis que in eadem villa largitione predicti ducis possident, audeat molestare vel suis usibus ea vendicare. Quod qui fecerit, omnipotentis Dei iram nostreque majestatis offensam se noverit incurrisse. Ad hujus etiam rei robur perpetuum, presentem paginam conscriptam sigillo nostro jussimus communiri.

Testes hi sunt Sifridus Augustensis episcopus, Rapoto major prepositus Augustensis, E. dapifer de Walpurc, Dietho de Ravinsperc, Swikerus de Mindelberc, Heinricus de Sibinaich, Cuno de Sumerowe, Ulricus prepositus de Moringen, et alii quamplures.

Datum apud Augustam, XIII kalendas aprilis, indictione XV.

FINIS PARTIS PRIMAE.

# ADDITAMENTA

AD SECUNDAM PARTEM

# HISTORIAE DIPLOMATICAE

QUIBUS ACCEDUNT SUSPECTA SEU SPURIA DOCUMENTA.

# ADDITAMENTA

AD SECUNDAM PARTEM

# HISTORIAE DIPLOMATICAE.

---

Fridericus, Romanorum imperator, renovat et confirmat communitati Astensi privilegium quod ipse tempore regni sui, scilicet anno **1219**, mense februario, jam eidem concesserat. Sub monte Rosulo prope Suterium, 29 novembris 1220.

(Edit. ap. JAC. DURANDI, *Sagg. sulla lega Lombarda*, p. 76, ap. *Memor. dell' academ. di Torino*, t. XL; unde plenius instructi nunc ad integrum exhibemus. Vid. supra, p. 67.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Consuevit imperialis circumspectio fidelium suorum justis votis facilem atque benignum suis locis prebere assensum, et in his que jamdudum a regia obtinuerunt munificentia, imperialis confirmationis obtinere patrocinium. Hujus igitur pagine testimonio ad notitiam presentium atque ad memoriam devenire volumus futurorum quod nos uberiori benevolentia respicientes fidelitatem, devotionem necnon grata atque assidua servitia dilecti nobis communis Astensis, que ipsum commune imperio semper exibere consuevit, de certa scientia renovamus atque confirmamus eidem communi privilegium quod nos tempore Romani regni nostri, de solita benignitatis nostre gratia, conferre dignati sumus; eidem communi concedentes, donantes, largientes atque recognoscentes ipsi communi tam in castris et villis quam in comitatibus seu jurisdictionibus atque omnibus aliis juribus et honoribus, tunc temporis vel modo per ipsum commune detentis, omnia que in ipso privilegio inde ei a nobis indulto continentur

seu de qnibns in eo fit mentio; volentes atqne imperiali edicto sancientes ut ipsum commune et civitas Astensis ea omnia de cetero habeant, possideant atque detineant anctoritate imperiali sine cujnslibet persone contradictione, eisque amodo pacifice utantur. Unde istud privilegium dicte civitati et communi ex certa scientia in prejndicium cujuslibet liberaliter contulimus. Ut itaqne hec renovationis atque confirmationis nostre forma sepedictis Astensibus perpetno sit valitura, hoc scriptum eis indulsimus sigillo nostro communitum.

Interfuerunt testes Bertholdus patriarcha Aqnilegensis, Sifridus archiepiscopns Mognntinus, Jacobus Taurinensis episcopns, Henricus Bononiensis episcopus, Bertholdus Brixiensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Guilielmus marchio Montisferrati, Conradus et Obizo marchiones Malaspine, Anselmus de Justingen marescalcus, Warnerius dapifer imperii, Eberardus de Lutra (*a*), et alii quamplnres.

Signnm domini Friderici invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Engelberti Coloniensis archiepiscopi totius Italie archicancellarii, vidi et recognovi.

Acta snnt hec anno Domini MCCXX, imperante domino Friderico II divina favente clementia Romanorum imperatore, semper augusto et glorioso rege Sicilie, anno imperii ipsius I, regni vero Sicilie XXIII.

Datnm snb monte Rossnlo prope Spaterium (Suterium), per manum Henrici prepositi Constantiensis, anno suprascripto, III kalendas decembris, indictione IX.

---

In castris prope Florentinum, decembri 1220.

Fridericus, Romanorum imperator, Conrado et Opizzoni marchionibus Malaspinae et eorum haeredibus omnes possessiones et omnia jura ibidem expressa in feudum concedit et confirmat.

(*a*) In impresso *de Luce*, male.

(Edider. Lunig, *Cod. Ital. diplomat.*, t. II, p. 376. — Maccioni, *Cod. diplomat. Malaspin.*, pars II, p. 13 et 14. Fere de verbo ad verbum renovatum ex privilegio Friderici I de anno 1164, ap. Lunig, *Ibidem*, p. 379.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Apud fontem imperialis eminentie fidei sinceritas, preclara devotio et honesta servitia precipuum locum semper obtinuerunt; invictissimi quoque principes et illi qui pro dilatando imperialis corone solio fideliter laborarunt in desideriis suis congruum effectum consequi omni tempore laudabiliter meruerunt. Quapropter universorum imperii fidelium noverit etas et successura posteritas quod nos dilectis charissimis et fidelibus nostris Conrado et Opizzoni marchionibus Malaspine pro eorum magnificis et claris servitiis et heredibus suis legitimis concedimus et confirmamus omnia que in Januensi marchia vel in archiepiscopatu ejus antecessores eorum rationabiliter habere visi sunt, tam in civitate quam extra, cum omnibus regalibus et cum omnibus his que ad ipsorum marchiam pertinere noscuntur cum omni honore et districtu, et medietatem omnium eorum que habuerunt in Lavania et in valle Segestri, Castellum Novum cum curia sua et omnia quae nunc justo titulo habent in comitatu Lunensi: curiam videlicet de Vezanio (a) cum castello, Levantum cum curia, quartam partem Rivalte et curie, Corvariam cum curia, quartam partem Benellini (b) de castro et curia Madrognani, quartam partem castri et curie Vallerani, quartam partem Arcule (c), quartam partem castri et curie Ponzani, quartam partem castri et curie Masse, quartam partem castri et curie Cervarie, quartam partem castri et curie . . ., quartam partem curie Herbarie, Aymillie (d) quartam partem, quartam partem vallis Plane, Galixe medietatem castri et curie, Montem totum cum curia; Trixianam cum tota curia, Groppum, Fuscum, Malvidum cum tota curia et pedagio,

(a) In altero *de Aramo.*
(b) Ibidem *Bevilini.*
(c) Ibidem *Areole.*
(d) Ibidem *Aule*, minus recte.

Mulatium (*a*) cum tota curia, Zexulam (*b*) cum tota curia, Fillaterie quartam partem castri et curie, Belvedere cum tota curia, quartam partem Montis Longi, Cerri cum tota curia, quartam partem curie de Cumano; in valle Tauri, Carum cum tota curia, Filetum cum tota curia de Galbetini, Complanum cum tota curia, Fastagium, Bedognam cum tota curia, Petram Rubeam cum tota curia, Carexi cum omnibus que habent in curia, Sexegnani (*c*) cum tota curia, Melletum cum tota curia et Figarollum, Togillum cum tota curia et pedagio, Montobium cum tota curia; in valle Trebie montem Brunum cum tota curia, Crucem cum tota curia et pedagio, Carezetum cum tota curia, Lozum cum tota curia, Zerbam cum tota curia, montem Arzolum (*d*) cum tota curia, Onetum cum tota curia, tres partes Brugnanelli, castelli et curie, Petram Corvam cum tota curia, Petram Fillariam cum tota curia, Vixiranum cum tota curia, curiam de Fillino, Robbianum (*e*) cum tota curia, Ozexii tres partes castelli et curie, Rivalgari tertiam partem castelli et curie, Rivaltum cum tota curia, medietatem Graguane, castelli et curie, Sanctum Petrum in Cerro cum tota curia, Curtem majorem, Curtem de Verna et omnia que habent in Carolo cum piscationibus et ripatico, Groppum Dichanum (*f*) cum tota curia, Gazium et omnia que habent de jure in Placentia in civitate et comitatu et omnia que habent in episcopatu et comitatu Cremonensi, Sollarollum (*g*) cum tota curia, quartam partem Vidaliane, quartam partem Caxallis majoris, quartam partem Rivarolli; in valle Stafule Petram Gruam cum tota curia, Sanctam Margaritam cum tota curia, Mingbonigam cellam cum tota curia, Montefortem cum tota curia, Nivionum cum tota curia, Auramalam cum tota curia, Petram cum tota curia, Sallianum cum tota curia, Caxallassi cum tota curia, Pisedecorem (*h*) cum tota curia, Calcinamam cum tota curia,

(*a*) In altero *Mulazanum.*
(*b*) Ibidem *Cesolam.*
(*c*) Ibidem *Sesegna.*
(*d*) Ibidem *montem Areoli.*
(*e*) Ibidem *Bobianum.*
(*f*) Ibidem *Duganum.*
(*g*) Ibidem *Dolazolum.*
(*h*) Ibidem *Piro de Cornu* (?).

Plumbexanam cum tota curia, quartam partem Nazanni, castelli et curie, Cantacapram cum tota curia, Monpollum cum tota curia, tertiam partem Roberette (*a*), castelli et curie, omnia que habent in episcopatu et comitatu Terdonensi et in civitate Mediolani et comitatu et archiepiscopatu, in civitate Cumanensi et comitatu et archiepiscopatu (*b*), in comitatu Brixiensi et in episcopatu Bobiensi et in episcopatu Laudensi et in episcopatu Parmensi, et omnia quecumque regalia que ad nos et imperium pertinent in supradictis omnibus locis tam in his omnibus que antecessores sui habuerunt aut ipsi modo habent in Janua et in eorum marchia, eisdem marchionibus Conrado et Oppizzoni et eorum legitimis heredibus in feudum concedimus et confirmamus, cum omni honore et utilitate ad imperium pertinente : videlicet cum placitis, fodris, albergariis, teloniis, pedagiis, districtibus, fidelitatibus, pugnis, expeditionibus, advocationibus, subraudiis (*c*), piscationibus, ripis, tabulis, ponderibus, mensuris, plateis, beccariis, aquis, molendinis; bona etiam et possessiones quas legitime habent aut habituri sunt eis auctoritate nostra imperiali corroboramus et in perpetuum confirmamus. Ad augmentum quoque gratie nostre iterato corroboramus et confirmamus omnia que sibi donavimus in civitate Terdonensi et in ejus comitatu, sicut continetur in privilegio nostre majestatis quod in castris prope Florentinum eis fieri fecimus (1), excepto eo quod jamdicti Conradi avus Oppizzo quondam marchio Malaspine domino Friderico divo augusto avo nostro sui amore de civitate Terdonensi refutavit atque resignavit. Si que vero civitas, princeps vel potestas aut aliqua ecclesiastica secularisve persona in his omnibus jamdictos marchiones Conradum et Oppizzonem et heredes eorum molestare vel inquietare presumpserit, mille librarum auri pro pena com-

(*a*) In altero autem *Manpaulum* et *Roborete*.
(*b*) Sic, sed in altero recte *episcopatu*.
(*c*) In altero *curradiis*.

(1) Haec aliud ejusdem temporis privilegium eisdem indultum et hodie deperditum indicare videntur. Hujusmodi clausula in privilegio quoque Friderici primi inseritur.

ponat, dimidium camere nostre et dimidium dictis Conrado et Oppizzoni marchionibus et heredibus eorum.

Ego Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Engelberti Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii, recognovi.

Datum in castris prope Florentinum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mensis decembris, indictione nona, regnante domino nostro Friderico II Dei gratia illustrissimo Romanorum imperatore, semper augusto, rege Sicilie, anno vero Romanorum regni ejus in Germania nono, imperii vero ejus anno primo, in Sicilia [vicesimo] tertio, feliciter. Amen.

---

[Circa aprilem] 1222.

Fridericus, Romanorum imperator, Nicolaum abbatem et conventum monasterii Sancti Benedicti de Cupersano in sua protectione suscipit, jubetque ut idem abbas et successores ejus ea libertate gaudeant qua monasterium tempore Guilielmi primi et aliorum regum praedecessorum suorum gaudere consuevit.

(Memorat. ap. Palmieri, *Dissertaz. stor. diplom. contra la scrittura di un anonimo, intitolata :* Difesa della natia liberta del mon. di S. Benedetto de Conversano, p. 19.)

Datum anno dominice incarnationis MCCXXII.

---

[Decembri 1224.]

Instrumentum inquisitionis a delegato apostolico factae de lite inter Fridericum Romanorum imperatorem et Harduinum Cephaludensem episcopum ab imperatore relegatum agitata.

(Edid. R. Pirrus, *Sicil. sacra*, t. II, p. 805-806, sub ista quae sequitur abbreviata forma. Cf. supra p. 466 et not. 2.)

Fuerat Harduinus Friderici II imperatoris opera ab ecclesia ejectus et exilio multatus, castello Cephalehensi atque bonis omnibus spoliatus, quod bona ecclesiae dilapidaret. Romam adiit episcopus ad papam Honorium et coram consistorio cardinalium suae relegationis causam proposuit. Summus pontifex Lucae archiepiscopo Cusentino rem demandavit, dato diplomate Romae, 11 kalendas aprilis, pontificatus anno 7 (1), salutis 1224; sed archiepiscopus aegritudine praepeditus auctoritate apostolica magistrum Bartholomeum thesaurarium Cusentinum in Siciliam transmisit; qui adscito sibi assessore Jucundo abbate Sancti Johannis Heremitarum Panormi, causam agitavit. Harduinus petebat sibi restitui civitatem Cephaludii cum pleno jure, libertate et dominio, juxta donationem Rogerii regis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, redditus civitatis ab ecclesia subtractos, exactiones factas ab hominibus Cephaludii et Pollinae per secretum regium quae juris erant episcopalis; item ablata ab episcopo et ecclesia per administros laicos, scilicet pecora, vinum, pecuniam, argentum, tonnariam; ecclesias Politii, Collisani, decimas Mistrectae, Calatabuturi, Gratteriae, castellum Cephaludi quod est demanium ecclesiae, navigium quod abstulit secretus; item et damna quae passus fuerat, quod captus in Urbe oportuit se redimere a Romanis 800 unciis auri; expensas quoque factas cum adiit et rediit a Romana curia tempore tribulationis quo fuit a Friderico relegatus in exilium; item et redditus omnes quos receperant castellani Cephaludenses a promotione sua usque ad hanc diem, id est per septem annos et amplius (2). His auditis apostolicus delegatus Drepanum ad imperatorem accessit, eumque de restitutione alloquitur; imperator vero omnia que judicis decreto deberet se resti-

(1) Hic anno Christi indicato potius quam anno pontificatus majorem fidem censemus adhibendam, quum anno pontificatus sui septimo, scilicet 1223, 22 martii, apud Ferentinum Honorius papa moratus fuerit. Privilegium vero authenticum citat Pirrus, *Ibidem*, quo Honorius omnia jura ecclesiae Cephaledensis Harduino confirmaverat, interdicens ne cui ecclesiae ejus canonicos sive conversos absque ejus consensu liceret ad conversionem recipere : Dat. Laterani, 13 februar., indict. XI, ann. 1223, pontific. VII.

(2) Quum autem ex instrumentis ab ipso Harduino confectis clare pateat eum circa medium annum 1217 ad episcopatum fuisse promotum, ex hoc loco novum protenditur argumentum unde rem totam ad annum 1224 reportemus.

tuturum promisit, suumque procuratorem pro re agenda notarium Henricum constituit. Is adversus episcopum proponebat quod bona ecclesiae dilapidasset, nihil in utilitatem ecclesiae expendisset, cum septem per annos plus quam 70 millia tarenos percepisset, et quod alienasset possessiones ecclesiae et domos contulisset Christiano et Leoni affinibus suis, molendinum cuidam Marino, tenimentum Roccellae dedisset fratribus Montis Virginis (1). Contra vero episcopus partes suas tuebatur quod domos episcopales reparavit, ecclesiam cathedralem ceperat reparare, castellum Pollinae a demanio ecclesiae alienatum redemit tarenos 800, multa ecclesiae ornamenta fecisset, fecit molendina, reparavitque molendinum Roccellae, acquisivit ecclesiam Sanctae Mariae Roccellae, revocavit tenimenta et casalia Sanctae Luciae de Syracusa alienata a suis praedecessoribus, Mistrectum quoque, Capitium et Camaratam et Calatabuturum et molendinum in Calatabuturo et Scillato, et quod oportuit ire in Alamaniam, Viterbum, Romam et in Apuliam ad dominum papam et imperatorem pro juribus ecclesiae tempore belli occupatis a militibus et alienatis. Tandem delegatus judex, concilio habito cum Jucundo abbate et fratre Bonifacio monacho Sancti Joannis Heremitarum [et] fratre Leone priore Castri Joannis assessoribus, eodem anno, mense decembri, XII indictionis (2), hanc protulit sententiam ut fructus et pecunia episcopo restituerentur, in reliquis ab episcopo pretensis absolveretur imperator. De civitate Cephaludi jam ut restitueretur juri episcopi decreverat pontifex (3),

(1) Cujus tenimenti donatio jam facta fuerat monasterio Montis Virginis a Paulo de Cicala Dei et regia gratia comite Golisani et regiae privatae masnedae magistro comestabili, apud Panormum, junio 1216, quarta indictione. Instrumento signa adhibuerunt ipse Paulus, Sica ejus uxor, Andreas, Simon et Matthaeus eorum filii, et Stephanus de Partenico, magnae regiae curiae magister justiciarius. Ap. MASTRULLO, *Montevergine sagro*, p. 365.

(2) Rectius autem *XIII indictionis*, cum isto tempore, scilicet novembri 1224, imperator qui procuratorem suum in agenda lite constituit circa partes Drepani manserit. Vid. supra p. 463.

(3) Verisimiliter per litteras datas Laterani, 10 julii 1224, anno pontificatus VIII, quae in indice litterarum Honorii III memorantur. Jura tamen portus Cephaledensis ad manus suas imperator retinuit, ut videre est ex inquisitione anno 1266 facta per Aymonem de Aquino, justiciarium Siciliae; ubi inter caetera legitur : « Frater Laurentius juratus et interrogatus dixit ut » primua [testis] et addidit quod ipse vidit quoddam mandatum directum per imperatorem pre-

castellum vero ab imperatore custodiri; praesertim quod ante destitutionem imperator fuerat in possessione et quod exactiones fuerant factae pro utilitate Siciliae contra Sarracenos; et datam sponte ecclesiam Collisani adjudicavit episcopo (1).

---

Relation française du mariage de Frédéric II avec Isabelle de 1225.
Brienne et de ses démêlés avec le roi Jean.

(Fragment inédit du MSS. 8316 de la Biblioth. nation. de Paris, fol. 390 recto-verso; collationné avec le MSS. 8314, 3, Colb.)

Et quant li rois Jehans sot que li termes aprochoit dou mariage sa fille et de l'emperaour, si s'en vint en Puille. Quant il fut la venus, par son acort et par l'acort de l'apostoile li empereres envoia l'arcevesques de Capes pour espouser la damoiselle el lieu de l'emperaour, et si y envoia XIIII galies pour mener la a l'emperaour en Puille, et en fu chievetaine le conte Horri de Mante qui estoit amiral dou regne. Les galies murent de Brandis et vindrent a Acre et y fu Guis li Enfes (2), par cui li rois Jehans manda ce que l'en devoit faire dou mariage et dou couronnement et des

» dictum quondam venerabili Panormitano archiepiscopo, tunc temporis balivo Sicilie generali, » per quod mandabatur eidem quod jura ipsius portus que erant in manibus ejusdem Aldoyno » Cephaludensi episcopo restitueret. Et ab inde predictus episcopus habuit et recepit jura » ipsa usque ad tempus expulsionis prime dicti episcopi. Post expulsionem vero dicti episcopi, » idem imperator in odium ipsius jura ipsius portus revocari fecit ad proprietatem ipsius. » Cf. Pirrum, *Ibidem*, p. 806, et de Saint-Priest, *Hist. de Charles d'Anjou*, t. II, append. docum.

(1) Anno 1231, februario, quartae indictionis, praesulatus sui anno XIV, apud Cephaludum, Harduinus seu Alduinus episcopus, ad preces nobilis viri domini Andreae [de Cicala] domini Golisani, monasterio Montis Virginis concessit ecclesiam Sancti Philippi de Golisano ad suam dioecesim attinentem. Ap. Mastrullo, *Montevergine sagro*, p. 372. Harduinum circa annum 1228 in sede sua redintegratum denuo Fridericus anno 1238 in exilium relegavit.

(2) Sans doute le personnage qui figure dans les diplômes sous le nom de *Guido de Infante*. Voy. p. 536 et 538.

autres choses. Quant il furent venu a Acre, la damoiselle fut menée a l'igliso de Sainte-Croix et la fu revestus li arcevesques de Capes cui l'espousa pour l'emperaour et li mist l'anel ou doi; de quoi les gens se merveillerent moult de ce que home espousoit fame de si loing que li uns estoit en Puille et li autres en Surie; mes ensi le commanda li papes. Quant li mariages fu fait ensi comme vous avez oy, la dame fut menée a Sur et la fu coronnée a roine dou roiaume de Jherusalem hautement et a grant honnour, et la coronua Raoul de Merencourt (1), patriarche de Jerusalem. Et furent au couronnement Symon de Maugastel arcevesque de Sur et Baliam seignour de Saiete, et Gautier seignour de Cesaire, et Oeude de Moubeliart connestable dou roiaume, et chevaliers et dames a grant plente. Aprez son coronnement fu baillie a un frere de l'ospital des Alemans qui avoit non frere Henri, que il la deust servir et garder. Ne targa gaires aprez que il se recueillirent et se partirent de Sur et paserent la mer et arriverent a Brandis en Puille ou il furent receu a grant joie et a grant honnour. Il passa o la roine Simon do Mangastel arcevesques de Sur et Baliam seignour de Saiete et Daniel de Terremonde et autres chevaliers dou pais. Li empereres Fedric et li rois Jehans s'estoient aprochiez de Brandis pour atendre la venue de la dame et sejournoient a un chastel qui a nom Oire (Horia). Sitost comme il sorent que la roine estoit arivée, il viudrent a Brandis. Ne targa gaires que li empereres esponsa la roine dans l'iglise do l'arceveschie et fu faite sor euz la beneicon (2). Le jour meismes des noces li empereres mist le roi Jehan a raison et li requist que il le deust saisir don roiaume de Jerusalem et de tous les drois de sa fame. Quant li rois Jehan oy ce, si en fu moult esbahis : car Hermans, le maistre de l'ospital des Alemans, qui avoit pourchacié lo mariage, li avoit

(1) Ce passage donne raison au P. Le Quien contre les Bollandistes, suivis à tort par les auteurs de l'*Art de vérifier les dates*. Il est évident que Raoul, appelé par ceux-ci *Rodulfe*, fut le successeur et non pas le prédécesseur du patriarche Lothaire. Albéric des Trois-Fontaines, chroniqueur très-exact pour cette période, mentionne à l'année 1225 la mort du patriarche Raoul et son remplacement par l'évêque de Valence Gérold.

(2) D'après une chronique latine inédite que nous avons citée plus haut, p. 863, ce mariage aurait eu lieu le 9 novembre.

fait entendaut que li empereres li lairoit tenir li roiaume de Jerusalem toute sa vie. Et quaut il vit que eusi aloit, si n'eu pot plus faire; aius saisi l'emperaour dou roiaume de Jerusalem et de tous les drois de sa fille. Lendemain mut li empereres lui et sa fame et s'en ala tant que il vint a Foges, et ne fist assavoir sa mnete au roi Jehau; dout li rois fu moult desjuglez et toute voiez couvri son cuer, et ala aprez et se herberga a Saiut Lorens, un bourc qui est pres de Foges; et d'illuec ala veoir sa fille l'empereris et sou gendre l'emperaour qui moult li fist pou de samblaut; et deslors le commença a grondoier et requist au seignour de Saiete et as autres chevaliers de Surie qui o lui estoient lor homages, et cil lor li firent. Et lor euvoia a Acre l'evesque de Melphe qui reçut les homages de tous les homes dou pais qui homage devoient. Et furent en sa compaignie le coute Bertrau Jeutil (1) et le coute Estienne du Cotrou, a tout III cens chevaliers du regne de Cesile, et demoura Oeude de Monbeliart baillif de la terre en lieu de l'emperaour, si comme il avoit este eu lieu du roi Jehan. La chaison pourquoi la grigne sourt eutre l'empereor et le roi Jehan si fu de ce que li rois le chastoioit et reprenoit trop souvent et meismes pour Gautier le conte de Braine, le nevou dou roi Jehan, qui avoit este filz de la fille dou roy Taucre, dout nous avons parlé eu arriere; de quoi on fist acroire a l'emperaor que il beoit au regne avoir et que il et son oucle atraioient gent a aus. Dout li empereres fu a ce menez que il les devoit faire prendre et ocirre le coute Gautier (2). Li rois Jehans qui estoit a Barlete sot l'emprise de l'emperaour et fu moult entrepris,

(1) Ce seigneur de la famille *Gentile* n'est point mentionné dans les autres textes contemporains; peut-être s'agit-il de Berardo Gentile, comte de Nardo (1213-1239).

(2) Salimbene de Adamo, écrivain du temps, dont la chronique inédite est conservée à la bibliothèque du Vatican (nº 7260), rapporte à ce propos l'anecdote suivante : « Quadam die [rex Johannes] irato animo et fronte rugosa in gallico suo appellavit imperatorem *beccarii filium*, pro eo quod Guanterottum consanguineum suum volebat occidere; et quia cum veneno non poterat, cum gladio debebat feriri, quando cum imperatore ad ludum scacchorum sederet. Timebat enim imperator ne quando aliquo casu regnum Ierosolymitanum devolveretur ad istum. Quod regem Johannem non latuit, qui ivit et accepit nepotem per brachium qui cum imperatore ludebat, et amovit eum a ludo et acriter imperatorem redarguit, dicendo in gallico suo : *fi de becer diabele*; et timuit imperator nec ausus fuit dicere quidquam. » Cf. tom. I, p. 1, not. 1.

car il estoit au milieu de la terre. Si se pensa comment il porroit decevoir l'empereor. Si prist un sien message et li envoia et li manda que il voloit a lui parler et que il li fist assavoir ou il le trouveroit. Li empereres qui estoit a Troie (1) dist au message que il s'en aloit a Melphe en la montaigne, et la le trouveroit son seignour. Li rois Jehans et son nevou murent de Barlete et firent samblant et parole d'aler a Melphe. Quant il orent passe le flun de Cane (l'Ofanto), si lesserent le chemin de la montaigne et tindrent la voie de la marine et chevaucherent hastivement tant que il furent hors du regne, et s'en vindrent a Rome. Li rois Jehan trouva la sa fame que il avoit lessie. . . . . . Li quens Gautier sen ala en France a son contée.

---

1226. Series instrumentorum super renovatione Societatis Lombardiae.

(Quum instrumenta authentica nusquam appareant, et ap. Sigonium, loco supra citato, p. 542, confuse nimis et breviter indicentur, nunc transcribimus ex BERNARDINO CORIO (*Historia di Milano*, edit. 1503, edit. 1554, p. 88 recto, 90 verso; edit. 1565, p. 204 et seqq.); qui quidem solus inter scriptores italicos ea suae narrationi inseruit, cum hac notula : *Fu fatta una liga la quale era nuncupata Societas Lombardiae; il tenore de la quale dal proprio originale havendolo extracta in materna lingua recitaremo in questa forma :*)

Apud ecclesiam S. Zenonis ad Mozium, 5 martii.

L'anno dil Signore corrente vigesimo sexto con mille ducento, in uno giorno de Venere al sexto entrando martio, in Lombardia presso la chiesia de Sancto Zenone al Mozo, in presentia di Lantelmo Prealone, Lantelmo figliolo de Gulielmo de Varena Milanesi; Branchaleone Botatio di Lamberti, Guidone Tantodinari Bolognesi; Arnoldo nepote di Alberto Ranza Bressano e Carazino de Carazolo parimente Bressano; Lario figliolo de Bomione judice, Henrico figliolo dil condam Henrico de Vicentia, Prima-

---

(1) D'après Richard de San-Germano, Frédéric II était en effet à Troja le 25 décembre 1225. Voir p. 531, not. 1.

dicio figliolo dil condam Arnoldo de monte Orso, Benedecto fratello di Ferrante e Rainerio nepote di Paduano judici de Padua, Scriba notaro per Trivisio, Aimerico de Parazolo notaro per Vincentia, Adamino notaro per Milanesi, Balduino notario per Bressani, Fino Catello notaro per Padua e molti altri, principalmente adunque legeremo in questo modo : Sancti Spiritus adsit nobis gratia sancta; et individua Trinitas, cui serviunt sol et luna, que tam terrenis quam celestibus dominatur, prosperum faciat presens initium, bonum prebeat medium et finem conferat gloriosum. Conciosia che le publice scripture rendino testimonio et attestano ineffabile veritate come linclyta e bona memoria di Cesare Federico imperatore Romano e sempre augusto concesso habia a Lombardi, Marchiani, Romandioli e parimente a suoi colligati e sequaci per si e successori suoi e per suoi mandati e mansuetudine do potere fare societate e liga in ciaschuno tempo tra loro, tra quali mediante la concessione havata dal culmino imperiale havesse a mantenersi e quante fiade volesseno tale liga e concordia tra epsi firmata in ciaschuno tempo per lo advenire potesseno renovare, si come il tenore de la pace a Constantia celebrata fa mentione; e similmente per li privilegii concessi dal condam serenissimo e buona memoria de Henrico, figliolo dil prefato Federico primo de imperatorio diadema coronato e parimente dil magnifico principe di Romani Othone, il quale dopo quello successo ne lo imperio; li quali tutti tale concessione hano renovata a li predicti e suoi successori. Non e anche de pretermettere come lo excelso sopra tutte le gente Federico secondo, al presente imperante ne lo Romano imperio, simile concessione habia confirmata, sicome appare per li privilegii suoi. Per questo adunque nos in Christi nomine Ugo Prealone et Otho de Otho jurisperiti e citadini Milanesi, Guido Fantidinari judice, Scanabecco Gosso Bolognese, Alberto Ranza e Conrado Faba Bressani, Bonamonte judice e Salandino di Griffari Mantuani, il conte Schinella e Padnino judice Paduani, Alberto de Rovore judice e Thomasio de Vincentio Vicentini, Joanne de Cassirio judice e Gabriele Constantino Trivisani, de le predicte citade ambasciatori et a fare sindici e procuratori. Questi adunque prima che venessino al contracto de la liga, in ciaschuna sua cita obligarono le comunitate de havere la futura concordia

ferma e de inviolabilmente observarla insine a vintacinque anni e a magiore termine, piacendo al piu numero de la communita interveniente; e li predicti si obligarono de curare con effecto che li potestati, consuli, rectori e citadini constrengeriando qualunque da XIIII anni per insine a LXX religiosamente observare tal societate a limitato termino, e de observare tutte quelle cose seriano ordinate per li pretori de le memorate cita o per la magiore parte, a li quali tribuivano possanza de potere agiungere e minuire quello megliore gli paresse; e questo voleano che le potestate jurasseno e gradatim ad anno per anno a suoi successori facessino parimente jurare, insine fusse completo il termine de la liga; e li predicti per la auctorita concessa come e dicto luno e laltro jurarono per li sancti Evangelii de attendere et observare.

In majori concilio Mantuae. Volendosi adunque dare desiderato e felice fine a questo fidelissima liga, l'anno predicto, nel magiore conciglio dil commune di Mantua a sono de campana secundo lusanza celebrato per Loderengo de Martinengo, potestate Mantuano, per voluntate e mandato expresso dil predicto conciglio, per il comune Mantuano lantiqua liga fece rinovare con inviolabile sacramento. E cosi tutti li ambasciatori de le citate infrascripte promiseno e stipularono per le sue republice in tutto quanto nel sacramento si contenea, lequale furono queste : Milano, Bologna, Bressa, Mantua, Padua, Vincentia, Trivisio, e tutti li oratori gia ne la chiesia de Sancto Zenone al Mozo predicto serano convenuti. Che tale juramento si facesse in el dicto conciglio di Mantua e che li officiali absenti e citadini questo tale juramento potesseno fare stipulare da diversi notari, li nomi de li quali qui de sotto serano declarati. Manzo notaro dil commune di Mantua intervenne in tali diversi conciglii e recevette li instrumenti tradati solemnemente exemplati. In nome adunque dil summo Factore et ad honore cum angumento dil stato de Milano, Bononia, Bressa, Mantua, Vercelle, Alexandria, Favencia, Vincentia, Padua e Trivisio, si congiunseno in liga con la reservatione di lochi et altre cita volesseno intrare in tale societade; la forma de la quale in processo sera declarata, e le cita e communi predicti con suoi contati si sono constituti, si come appare per instrumenti publici; li tenori di quali sono annotati : cioe Brogontio de Aliate

et Obizone Amicone per la communita de Milano; Rolando di Gotbofredi et Jacobo Pondiperto per Bononia, Oprando de Materio et Obizo de Ugoni per Bressia, Adveno et Jacobo de Amico et Alberto de li Arloti per Mantua; Alberto Fettavecchia et Ambrosio Porcha per Vercelle, Guidono de Ploana (*sic*) et Joanne Ardigo per Alexandria, Adam judice et Alberto de Solzano per Vincentia, Oldrigo di Linnini judice e Gilio de Bonicii per Padua, Rambaldo Conte e Gigotto per Trivisio; e il sacramento facto per li rectori predicti era in questo modo: « Io che sono rectore juro per li sancti Evangelii che con buona fede exerciro lo officio a me concesso e le ragione de le jurisditione a me per vigore di officio sottoposte, e concordevole sero con li altri rectori in tutto quello sera pertinente al commune stato e utilitate de tutta la predicta liga e de ciaschuno commune che entrara in epsa; e senza fraude daro opera de mantenere e fare servare questa societate e liga, e nulla manifestaro de quello sera tractato a pernicie de veruno, senza parabola de tutti li rectori o la magiore parte, e niente pigliaro per mi ne per summissa persona sotto questo regimine in detrimento de la predicta societate; e se cosa alchuna mi sera offerta, quanto piu presto potero sera manifestata a tutti li rectori de quelle tale confederatione. Le querelle serano facte a me o mei collegi, ad arbitrio de gli altri rectori infra quaranta giorni diffiniro mediante la ragione e bona consuetudine, non interveniente justo impedimento o dilatione; e avante che venga lexito dil mio officio, infra quindeci giorni daro opera si facia un altro rectore quale drictamente guida tal societate e che quegli jurano si come io ho jurato, e solo attendera a conservare il bene de la universita e non de la specialitate. Item a tutta mia forza daro opera de conservare la libertate de ciascuna comunitate de questa liga e defendere li beni de quelle, precipuamente contra l'universitate o singular persone contrarie a tal societate; ne anche altro per me sia injuriato, excepto se alchuna cosa de commune concordia per tutti li rectori o la magiore parte fusse mutata, dal mio sacramento solamente in tale cosa sia absoluto e de lo agiunto e mutato sia tenuto observare li acti sopradicti. »

Tutti furono stipulati per instrumento nel palazzo dil commune de Bressa, lanno prememorato mille ducento vinta sei, in uno giorno de marte In palatio Brixiano, 7 aprilis.

al septimo intrante aprile, indicione quartadecima, in presentia di Rambertino di Rambertini potestate de Bressa et Actiolino Girardoto, Thomasio judici dil prefato potestate, con Asprando Rigone cavallere de justitia depso potestate con li satelliti suoi Petro Villano, Petracio de la Nuce, Albertano judice Bressano e Zanchonino de Strancano Mantuano, Oltrato Fasolo notaro Milanese, Viviano cognominato Tigone notaro Vincentino, Uberto Pinguetto notaro Paduano, Jacomino Musolonto notaro per Trivisio. Doppno nel medesimo anno, indicione e loco, in presentia del predicto Rambertino, Thomasio et Actiolino judice dil predicto potestate, tutti nel dicto palazo existenti concordevolmente statuirono e con sacramento confirmarono tutte le cose di sopra narrate, tanto confirmate per li rectori quanto per li procuratori e singulare persone.

In palatio Veronensi, 11 aprilis. In quest' anno medesimo, a gli undeci d'aprile nel pallagio del commune di Verona, in presenza e testimonio di Leone della Carcere podesta di Verona, Rainaldo de Leccabelani giudice del prefato podesta e commune Veronese, Nicolo dal Vermo, Arduino dalla Spada, Mozagonello Zavaro, e Tolomeo di Bosono, Zenone di Castrono, Buonacorso Enurando giudice e Bartholomeo dalla Stella notaro con molti altri per il commune di Verona e questa liga tra Lombardi, Marchiani e Romagnuoli, giurarono (si come in processo si fara mentione) instrumentalmente e in tutto secondo il mandato del prefato pretore. In questo anno medesimo e inditione, Francono et Uberto Sordo per il commune di Piacenza e rettori in detta societa, Carbone dell' Acqua et Oldrado di Tresseno, quale fu fabbricatore del pallagio del commune dell' inclita citta di Milano, rettori a detta lega per il commune di Lodi giurarono tal confederatione essere giustamente fatta.

Apud Bononiam. Nell anno medesimo, imperante Federico secondo imperatore e Gerardo Rangone podesta nella citta di Bologna, di volonta e consentimento del concilio del commune Bolognese a suon di campana congregato, crearono, costituirono e fermarono cento huomini Bolognesi cittadini e i rettori della liga d'ordinare e far quanto al beneficio di quella saria ispediente, eccetto che non potessero ispendere nessun denaro del commune senza special mandato del loro concilio.

D'indi da i rettori predetti, l'auno antedetto, a gli undeci uscendo aprile, nel pallagio del commune di Verona in presenza di Leone potesta predetto e Raimondo di Leccabelano giudice desso pretore e per il commune di Verona, Nicolao dal Vermo, Ardimuliense, Zacconello Zanasio, Tolomeo di Bosino, Zeno di Criliano, Bnonacorso Corrado giudice e Bartholomeo della Stella (1), i podesta adunque di Milano, Verona, Bologna, Brescia, Vercelli, Piacenza, Vicenza e' Trevigi concordevolmente statuirono che nessuna persona particolare sottoposta ad alcuna citta della prefata liga, non fosse ricettata in quella senza volonta de i loro potesta, e che verun di loro non s'intromettesse a far ragione se non a citta per citta. In palatio Veronensi, 20 aprilis.

Et che (*sic*) a i ventiotto d'aprile, inditione quartadecima, nella citta di Mantoa, in presenza di Oldrado notaro, Bartolomeo della Stella nodaro, Giacobo nodaro di Trevigi e tutti i rettori della lega unitamente, statnirono se qnalche parte dalcuna citta che non fosse nella societa volesse entrare nelle citta loro, non fossero ricevnti ne dato aiuto ne favore da i cittadini della liga contra quella parte che havesse voluto giurare, et questo solo voleano de i cittadini che gia furono nella liga della pace di Costanza. Apud Mantuam, 28 aprilis.

Ancora in un venerdi (2) a i tre di maggio, nella camera del pallagio del commune di Mantoa, in presenza d'Enrico di Brizeto Trevigiano, Pugnetto nodaro di Padoa e tntti i rettori della confederatione, statnirono che nessuno giudice overo soldato libero et obligato, scolaro ne servitore d'alcuna citta overo luogo della prefata liga piu dimorasse ne andasse ne praticare dovesse per se ne per altro nella corte imperatoria ne con alcuna persona che conversasse in quella, et che qualunque podesta particolarmente per ogni citta o luogo della liga proibisse a ciascnno sottoposto a lui non conversasse co i predetti. E se alcuno contrafaceva, a i soldati caschino alla pena di libre cento col bando, a fanti da piede libre cinquanta, le In palatio Mantuano, 3 maii.

(1) Haec nomina Veronensium discrepant cum nominibus eorumdem paulo superius relatis.

(2) Anno 1226 dies maii tertius non in venerem incidebat. Forsan legendum *a i tre uscendo maggio* (29 maii); quod justius videretur.

quali non pagando fossero posti nel bando, dal quale non fossero estratti senza tal solutione. Questa medesima pena imposero a qualunque mandasse littere all' imperatore senza licenza de i rettori o suoi potesta.

In presenza ancora di Pugnetto di Padoa, Cignano di Vicenza e molti altri, statnirono i rettori memorati di commune consiglio della citta colligate e gli antescriti ambasciatori che nessun datio o pedagio si dovesse torre l'nna citta all' altra. E che le predette citta colligate o si colligassero non potessero pigliare in suo rettore o gindice se non fosse confederato nella liga, eccetto se non era Romano o Venetiano. Statnirono ancora che nessnna persona o citta accompagnate per se o per altro non potesse havere ne torre cosa alcuna dall' imperatore o da altro per lui ne da alcnno Cremonese, Pavese o di loro parte; e chi contra faceva fosse punito all' arbitrio de i rettori e i snoi beni fossero publicati e che in perpetno ne essi ne snoi snccessori potessero habitare nelle citta colligate.

In concilio Mantuano, 5 junii.

In questo Mantoano concilio quale fn celebrato in un venerdi a i cinque di gingno l'anno predetto, in presenza di Brighetto di Birzago Trevigiano, Giovanni Ferraro di Piacenza, Gigniano Vicentino, Balduino di Brescia notaro e molti altri, statnirono i predetti rettori, podesta et ambasciatori della liga sopradetta se alcuna citta o luogo de i confederati riceveva alcnn danno da i collegati, in perpetuo i malefattori fossero banditi; del quale bando non potessero esser tratti senza mandato de i rettori o la maggior parte per la liga, e che le citta e i lnoghi confederati fossero obligati a far guerra a i contrafacienti secondo la volonta de i predetti. Statuirono ancora che nessnna citta, luogo o particolar persona de colligati non potessero fare accordo con alcnna citta o lnogo eccetto della liga in danno di quella e quando lo havessero fatto fossero obligati a guastarlo nel termine assignato per il podesta loro, sotto la pena di essere pnniti. Ancora se alcuna republica nscisse fnora della liga in detrimento di quella, fosse havuta per ribella e i beni de i suoi habitatori pnblicati et devastati. Ancora se alcuna citta, lnogo o persona particolare della liga ricevesse guerra da i nemici, tutte l'altre colligate fossero obligate a dare a i molestati ainto, secondo il volere de i suoi rettori o la maggior parte. E se alcuno danno, guasto e bando fosse interposto, dato overo indulto ad

alcuna citta, luogo o persona di tale societa per cagione d'essa liga, gli altri colligati fossero tenuti a far di tale cosa il debito ristoro allo arbitrio di tutti i rettori overo la maggior parte. E se alcuno fendo e carico fosse ad alcuna persona o luogo confederato da qualch' uno fuora della lega o le possessioni occupate, tutte le citta, luoghi e persone dessa lega fossero tenuti aintargli, mantenergli et restituirgli le cose tolte, e quando questo non si potesse ottenere, del suo proprio havere fossero obligati a ristorargli tanto del danno quanto della proprieta, ad arbitrio de i rettori e della maggior parte. E questo s'intendea de' feudi o possessioni situate nella Marca, Romagna, Lombardia, e di quelli vescovati o distretti fossero e seriano nella predetta liga. Et se alcuna persona fosse sospetta ne habitasse nelle citta o luoghi della prefata liga, i rettori di quelli fossero ubligati di subito cacciarli del suo distretto, eccetto che fosse in arbitrio de i rettori a moderare lo statuto soprascritto, e di haver guerra con alcuna citta della liga che non era di societa contra Vinegia e per Vinegia.

L'anno predetto, nel pallagio del commune di Mantoa, in un giorno di marte (1) all' ultimo di ottobre, Uberto di Mandello cittadino Milanese, anciani et rettori della liga di Lombardia, Marca e della Romagna et concorde con volonta di tutti gl' infrascritti rettori, cioè Pietro degli Avvocati, Pietro di Fontana Piacentino, Gualvagno della Torre cittadino Trivigiano, Bartholomeo giudice, Mezagonella cittadino Veronese, Corrado di Bagnolo, Gabriele Trione Bresciano, Gufredo di Lucino, Giacopo Lavegiaro cittadini Comesi, Gulielmo Mozo, Gidiolo Pellegrosso cittadini Padoani, Giacopo della Porta, Ardizone Caza cittadini Novaresi, Castellano Gafuro, Compagnono Poltrono, cittadini Mantoani, rettori della prefata lega ivi presenti e tutti concordi, ad utilita dessa liga statuirono e fermamente ordinarono che insino ad un anno alcuna persona de i prenominati che fosse in detta colligatione non potesse ne dovesse andare per rettore overo al regimento di alcuna podestaria delle infrascritte In palatio Mantuano, 31 octobris.

(1) Hic quoque oscitatio quaedam deprehenditur, quum ultimus octobris dies in martem hoc anno non inciderit.

citta, cioè Cremona, Parma et Modena. E che alcuna persona di citta o luogo di lor lega non andasse ne fosse lasciato andare del suo distretto al regimento delle citta predette. Et fu statuito et ordinato che le citta della prefata liga non potessero torre insino al detto termine alcuna persona per rettore suo delle prememorate citta, di Parma, Modena e Cremona. E chi contra faceva fosse posto nel publico bando e i suoi beni fossero publicati.

---

[1226, circa exeuntem aprilem.]

## Friderici, Romanorum imperatoris, ad querelas Honorii papae responsum.

(Edid. FAZELLUS, *De reb. sicul.*, decad. poster. lib. VIII, c. 2, p. 438. Cf. p. 385, not. 1, et p. 555, not. 1.)

Exules episcopi Romam perveniunt, pontificis aures rumoribus implent et subsidium implorant. Honorius exulum querelis provocatus per legatos cum pontificia auctoritate Fridericum rogat exauthoratos episcopos restituat ne potestatem sibi ecclesiasticam usurpet; praesertim quod si practer fidem aliquid ab exauthoratis commissum esset, ipse juris sui regni devotioribus fidelioribusque ecclesias providere haberet in animo (1). Ad hanc legationem indignatum imperatorem contumaciter respondisse fertur : « Cum imperatoribus quadringentis et amplius annis a Carolo magno licitum fuisset dignitates archiepiscopales necnon et caeteras omnes in singulas provincias per annulum et virgam conferre, non se Henrico patre, non Friderico avo inferiorem; idem onus ampliandi imperii sibi incumbere; cumque Siciliae reges et matrem ejus Constantiam reginam electionis praelatorum jus peculiare semper ha-

(1) Hic nostra sententia agitur de vacantibus ecclesiis (vid. supra p. 384 et seqq. et p. 523), potius quam de exauctoratis episcopis, scilicet Tarentino, Cathaniensi et Cephaludensi. Unde quamdam apud Fazellum confusionem irrepsisse suspicamur. Responsum tamen imperatoris quod compendiose exhibet, tam juste epistolae papali : *Miranda tuis*, etc. (vid. p. 589), se accommodat, ut ex quodam authentico fonte hodie deperdito rem deprompsisse Fazellus videatur.

buisse constaret, eam in se uuum indignitatem nec Guilielmi regis avuuculi iu Romauam Ecclesiam beneficia nec pareutis Henrici liberalitatem meruisse. » Denique iu has coutumelias per iracuudiam prorupisse eum feruut : « Quousque taudem patientia mea abutetur poutifex? quaudo » ambitioni suae modum statuet? Marcualdus Flaminiae provinciae meae » praefectus ab Inuocentio pontifice tertio, dum in cunis ego agerem, » imperio ejicitur, ut me iufautem exarchatu Ravennae spoliet. Theo-» baldus (Diopuldus) Picenorum praetor ab Henrico geuitore iustitutus, » a pontifico exigitur, ut me puerulum etiam hac privaret dignitate. » Hetruriam mihi adolesceuti sublaturus per nuptias Philippum patruum » delusit. Fuudaunm comitatnm mihi ad imperium evocato emunxit; » coronam liberi imperii multis muneribus nundinari me oportuit. Jam » et imperatoriam majestatem qnam suffragio proprio pontifex ratam ha-» bnit, contemptui habere incipit. Quis hauc iu poutifice praeposteram » ferat ambitionem? Ite, renuutiate Houorio, coronam me prius deposi-» turnm qnam commissurum ut tautae majestati me imperante diminntio » iuducatur. »

---

Specimen militum propter expeditionem in Terram Sanctam congregatorum. Anno 1226 exeunte. — 1227, martio.

Iu eodem anno 1226 lo abbati Aymerico [di Nardo] mandao diece soldati pe la lettera de lo papa a la cettate de Briudesi per audare ad Jerusalem contro li Saracini (1). *Chronic. Nerit.* ap. Muratori, *Scriptor.*,

(1) Huic loco hanc notam addit editor Tafurius, ut sequitur:

« Tra le molte scritture antiche le quali si conservano nel monistero di donne monache di questa citta di Nardo, sotto il titolo di Santa Chiara, si truova un foglio nel fascic. 4 dove sono notati tutti gli arcivescovi, vescovi ed abati della provincia d'Otranto, i quali mandarono soldati per quella guerra; ed è del seguente tenore :

*In provincia Japigiae seu terrae Tarentinae:*

*Venerabilis dopnus archiepiscopus Tarentinus offert pedites quinque et tres equites. — Vene-*

t. XXIV, p. 897. — Anno Domini 1227, mense martio, egressi sunt de civitate Wormaciensi simul et semel plus quam quadringenti cives crucesignati ad subsidium Terrae Sanctae ad partes ultra marinas. *Annal. Wormat.* ap. Boehmer, *Fontes,* t. II, p. 174.

---

## Notitia documentorum de quibus non sat bene constat.

Segue dil detto anno (1221 circa medium februarium) che il reverendo Corrado vescovo Metense, vicario imperiale, pronuncia et sententia cum cognitione di causa le ragioni di esigere le albergarie colte et fodre pertenere a li conti di Langusco nel luoco di Cassano et sua villa siti ne lo episcopato di Dertona, et condana il sindico di la detta citta a restituire a detti conti certi beni che la citta li tenea : como per instrumento rogato per Gullielmo Bellino notaro Vercellense archiviato. Costa, *Chronaca di Tortona,* p. 70.

Swikerus [praepositus monasterii Curwaldensis] anno 1220, XIII kalendas martii (17 febr. 1221), ab Henrico Romanorum rege diploma et anno 1222, IX kalendas junii (24 maii), ab Honorio papa bullam obtinuit, quibus coenobium Curwaldense ab omni exactione liberum declaratur. Eichorn, *Episcop. Curiensis,* p. 353.

---

*rabilis dopnus archiepiscopus Brundusinus offert milites pedites quinque.— Venerabilis dopnus archiepiscopus Ydronti offert milites pedites quinque. — Venerabilis dopnus episcopus Astunensis offert milites pedites tres. — Venerabilis dopnus episcopus Castellanatensis offert milites pedites duos.— Venerabilis dopnus episcopus Lyciensis offert milites pedites quatuor.— Venerabilis dopnus episcopus Gallipolitanus offert milites pedites duos. — Venerabilis dopnus episcopus Ugentinus offert milites pedites duos.— Dopnus abbas monasterii Sancti Andreae in insula de Brundusio offert milites pedites tres et unum equitem. — Dopnus abbas Sanctae Mariae de Nereto offert milites pedites sex et quatuor equites.— Dopnus abbas Sanctorum Nicolai et Cataldi Lyciensis offert milites pedites tres et duos equites.*

Signoritio Santacroce nel 1221 (verisimiliter mense martio) dall' imperadore Federico ottenne il jus del macello ch' il detto imperadore haveva in Barletta vicino Santa Maria in Sabartio. CAMPANILE, *Dell' insegne de nobili*, p. 240.

Crebrescente inde fama sanctitatis [Reginaldi], Constantia Siciliae regina ac imperatoris Friderici II conjux per diploma datum Catanae anno 1222 (1), 24 februarii, jussit coenobium [S. Dominici] transferendum ac regium magnificumque exaedificandum suis sumptibus intra urbis [Syracusiae] moenia, ubi nunc videmus illustre. Autographum in tabulario urbis tradunt. PIRRUS, *Sicilia sacra*, t. I, p. 656.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Ilfeldensi privilegium impertitur, octobri 1223. LEUCKFELD, *Antiquit. Ilfeldens.*, c. VIII, paragr. 4.

1223. Fridericus, Romanorum imperator, emit cum Berardo archidiacono Sarsinati pro indiviso partem montis Spellani. ANTONINI, *Storia di Sarsina*, ap. FANTUZZI, t. VI, p. 257.

1224. Fridericus, Romanorum imperator, investivit abbatem Ranclae de Rancla et aliis castris et ecclesiis. *Ibidem*.

Fridericus, Romanorum imperator, ann. 1224 et 1225 investivit Matthaeum de Melatino, militem et fidelem suum, de quibusdam terris feudalibus in tenimento Squillacii. PALMA, *Storia eccles. e civile dell' Apruzzo*, t. II, p. 14.

Scrivendo il pontefice Honorio (circa julium 1226) allo arcivescovo di Milano insieme col Mantuano eletto che comandassero a i Milanesi che

(1) Memorat quoque INVEGES, *Annali di Palermo*, t. III, p. 548, sed perperam Friderico ipsi documentum tribuit, quem tunc temporis una cum Constantia apud Cataniam moratum fuisse absone credidit.

destruggessero il ponte di Ticino e Vigevano restituissero a i Pavesi. B. Corio, *Histor. di Milano*, p. 90 verso.

---

## DOCUMENTA SUSPECTA SEU SPURIA.

Capuae, 25 maii 1221. Fridericus, Romanorum imperator, Manfredum Salutiarum marchionem marchionatu Salutiarum investit, cujus fines et districtum in ipso diplomate describit.

(Edid. Muletti, *Storia di Saluzzo*, t. VI, p. 332, ex copia de anno 1306. Adest ibidem t. II aliud et deterius exemplar, ubi pro 1221 legitur 1226.)

Datum Capue per manus Petri de Vineis regni protonotarii, anno Domini MCCXXI, XXV maii, indictione IX, imperii anno I, regni Jerusalem III, regni Sicilie XXV (1).

---

Capuae, 24 junii 1221. Fridericus, Romanorum rex, ad imitationem Henrici imperatoris patris sui, eremum Sanctae Crucis Fontis Avellanae cum universis ejus ecclesiis et pertinentiis in sua speciali protectione recipit.

(Edider. Mittarelli et Costadoni, *Annal. Camaldul.*, t. IV, append. n° CCXLVII, p. 416, ex archivo colleg. Hungarici de Urbe; insertum in transumpto ann. 1271, in capitulo S. Nicolai de Cornu exemplato.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum rex (2), semper augustus. Ad temporalis regni

---

(1) Quam inepte has notas imperitus scriba disposuerit, praemuniendum longiori sermone lectorem supervacaneum prorsus arbitramur.

(2) Sic pro *Romanorum imperator*, omisso sicut infra regni Siciliae titulo.

gloriam et eterne retributionis meritum apud regem regnm nobis proficere credimns si piis et religiosis locis sollicite provideamus et Deo in iis [servientes] ab infestatione malorum hominum securos et quietos nostre defensionis munimine reddamus. His autem precipue regie benignitatis nostre clementiam libentius decrevimus impertiri quibns sue religionis et honeste conversationis intuitu serenissimum patrem nostrum Henricnm Romanorum imperatorem, semper augustum, propensiorem imperialis excellentie sue gratiam et defensionis sue protectionem contnlisse cognovimus. Quia fratres de eremo Sancte Crucis Fontis Avellane et ceteros fratres in suis ecclesiis ad ipsam eremum pertinentibus commorantes sacris operibus jugiter insudare et bona fama in domo Dei flagrare intelleximus, dignum duximus ampliori nostre serenitatis clementia locum ipsnm et loca ipsius superius nominata et possessiones eorum intueri, et propensioris gratie beneficio personas et res ipsorum nna cum excellentissimo patre nostro Romanorum imperatore angusto manntenere. Notum igitnr facimns omnibus Christi et nostri imperii fidelibus tam futuris quam presentibus quod nos prefatam ecclesiam, scilicet eremum Sa ıcte Crucis Fontis Avellane et ecclesias qne sic pertineut vel pertinere videntur, ubicumque sunt, cum universis ejus et earum pertinentiis in nostre tuitionis speciale patrocininm una cnm predicto patre nostro tanta benevolentia recepimus ut omnia ejusdem ecclesie earnmdem ecclesiarum fratribus inibi Deo servientibus spectantia ea pace que rebus fisci nostri debetur semper frui velimns. Ea propter omnibus imperii nostri fidelibns, marchionibus, comitibus, civitatum consulibus, capitaneis, vavassoribus, et nniversis pnblicam administrationem gerentibus et ceteris quibnslibet hominibns sub debito fidelitatis qua nostro imperio adstricti snnt firmiter precipiendo mandamus quatenns nihil unquam de omnibns possessionibns et nniversis bonis qne prefatis attineut fratribus violenter aut contra voluntatem eorumdem fratrum contingant aut tollant, ac eos tam in hominibus sive vassallis quam in animalibus, tam in edibus quam in agris, in omnibns omnino rebns et locis ad jns eorum pertinentibus nulla prorsus tribntorum vel angariarum aliorumve servitiorum exactione molestent, qunm nos eosdem fratres ac possessiones et bona ipsorum ab his exactionibus liberos de cetero et

immunes fore statuimus. Ad angmenta quoque regalis gratie de fodero regali hanc eisdem fratribus indnlgemus et concedimus commoditatem quatenus id de eorum manualibus et quibuslibet ipsornm ecclesiis et terris et hominibns vel vassallis, ubicnmqne proprias et eis specialiter pertinentes habent possessiones et cetera bona sua, nec marchio nec comes nec capitaneus nec ullus consulatus aut potestas nec aliqua exigat persona, sed tempore quo illnd dandnm est fratres predicti id per omnes homines sive vasallos suos fideliter colligant et de ipso fodero ob salutem anime nostre ad utilitatem ecclesie sne et ecclesiarum snarum disponant. In ejnsdem quoque fodri collectione talem modum imponimus et definimus ut a singulis vassallorum suorum focis qui ipsis scilicet fratribus specialiter anne. . . . . . nuntii nostri, denarios duodecim tantum recipiantur et de his ecclesie sue necessitatibus, ut supra dictum est, provideatur, et ipsi fratres vel eorum homines vel vasalli nltra hanc mensuram a nostris nuntiis vel quibuscumque aliis nulla datione graventur. Insnper jubemus ut liceat eisdem fratribus homines sive vasallos ipsorum supra sna, id est ecclesie illius bona vel ecclesiarum snarum, de loco ad locnm pro libito suo transferre et ad utilitatem suam transmutare, nullo vetante vel impediente. Preterea statuimus ut nullus judicum tam de civitatibus qnam de forensibus locis habeat potestatem jndicandi vel ad judicium vocandi homines vel vasallos prefate ecclesie vel ecclesiarum predictarnm, nisi causa prius fuerit ad priorem et fratres perlata et ab eisdem emendatio vel secundum jnstitiam vel secundum amicabilem compositionem reverenter et amicabiliter requisita. Precipimus etiam firmissime omnibus jndicibns tam [in] civitatibus quam extra per castella et villas constitutis, si quando contigerit predictos fratres proclamationem super illatis sibi injuriis facere, ut statim jndices celeri eis justitia snbveniant et presens predictumque auxilium contra adversariorum violentias eis efficaciter impendant. Insuper statuimus ut ipsi fratres causis civilibus sacramentum calumnie prestare non cogantur, et quod eis nulla prescriptio temporis objiciatur nisi centum annorum. Precipimus etiam ejusdem ecclesie et ipsius ecclesiarum patronis firmiter injungentes quatenus predictam ecclesiam et ecclesias ad ipsam spectantes vel in hominibus aut vasallis vel in ullis

rebus ipsorum aliqua molestia vel damno vexare nou praesumant; eisdemque patronis et nostris simul nuntiis et ceteris nostri imperii fidelibus diligenter injungimus ut eamdem ecclesiam Sancte Crucis de Eremo Fontis Avellane et omnes ecclesias que sibi aliquo jure pertinent vel pertinere videntur, ubicumque sint, per omnes personas et pertinentias earumdem et ab omni incursu violentie semper defensare studeant. Confirmamus etiam eidem ecclesie Sancte Crucis et ejusdem ecclesiis sepedictas omnes possessiones et vasallos quos et quas hactenus tenuit et possedit et quos et quas deinceps juste et rationabiliter acquirent, et ut ipsa loca crescere et augmentari possint, damus licentiam marchionibus, comitibus, valvassoribus et universis imperii nostri fidelibus ut pro redemptione et salute animarum suarum possint et a nobis plenissimam licentiam habeant rectoribus sive fratribus prelibatarum ecclesiarum recipientibus nomine et vice ipsarum donare aut vendere de suis possessionibus aut vasallis, non obstantibus constitutionibus a nobis factis aut etiam in posterum faciendis quin ipse donationes vel venditiones obtineant firmitatem, et ipsi pacem in eis et quietem nostre auctoritatis edicto stabilimus. Preterea concedimus et confirmamus ipsi ecclesie et ipsis ecclesiis omnes homines vel vasallos et possessiones quos et quas nunc habent vel in posterum juste habituri sunt, et quicquid in eis juris habemus ipsis confirmamus et nominamus : hospitale apud Esium cum universis suis pertinentiis et quicquid habent in tota Marchia; item monasterium Sancte Marie foris portam de Faventia et quidquid habent vel habituri sunt in tota Romaudiola; item ecclesias Sancti Fortunati et Sancti Egidii de Castello et quicquid habent vel habituri sunt in tota Thuscia; item monasterium Sancti Andree de insula cum omnibus suis pertinentiis et quicquid habent vel habituri sunt in toto ducatu; item monasterium Sancti Nicolai de Cornu cum universis suis pertinentiis et quicquid habent vel habituri sunt in toto regno. Si quis vero preterea clementie nostre statutis ausu temerario contraire presumpserit, pena quinquaginta librarum auri puri sit condempnatus, quarum medietas fisco nostro, residua prefate ecclesie Eremi Sancte Crucis exhibeatur. Ut autem hec nostra institutio rata in perpetuum habeatur, presentis privilegii paginam fecimus inde conscribi

et nostre majestatis sigillo roborari. Volumus autem predictos fratres hujus privilegii donationibus uti in bonis illis que ipsi jure retinent vel quasi ad manus suas tenent et deinceps retinenda sunt.

Hujus rei testes sunt dominus Berardus Panormitanus archiepiscopus et domini imperatoris familiaris, ducas (*sic*) Raynaldus, Heuricus de Murro (Morra?) magister justitiarius, Richardus camerarius, Rofredus de Beneveuto et Petrus urbis prefectus, et alii quamplures (1).

Signum domini Friderici Romanorum regis invictissimi.

Ego Gualterius imperialis aule cancellarius, vice Philippi Coloniensis archiepiscopi et Italici regni archicancellarii, recognovi (2).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, indictione nona, regnante domino Frederico Romanorum rege gloriosissimo, anno regni ejus primo, Capue, octavo kalendas julii, feliciter. Amen (3).

---

Apud Nomum (?), 1° novembris 1221.

Fridericus, Romanorum imperator, ad instantiam Alberti Tridentini episcopi communitati de Scovolo in territorio Brixiano (scilicet San-Felice et Portexio) privilegium Friderici avi sui confirmat et ipse eamdem in sua protectione recipit.

(Edit. ap. Chmel, *Regest. Frider. III Roman. imperat.*, anhang, p. CII, n° 85; insert. in confirmatione ann. 1448, 10 octobr. apud Neustadt.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina faveute clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperialis

(1) Testes dubii, praecipue Henricus de Morra et Petrus praefectus urbis.

(2) Notatio cancellarii sumitur ex diplomate Friderici primi, dato Cucurani, 11 kal. april. 1177 (ibid., p. 67). Unde etiam pars prima documenti usque ad : *Confirmamus etiam eidem ecclesie*, etc., transumpta videtur. Nomen vero *Godefridi* cancellarii falsarius in *Gualterium* inepte mutavit.

(3) Notae chronologicae sat bene inter se concordarent, nisi quod 24 junii 1221 imperator in Sicilia, non apud Capuam versatus fuerit.

eminentia justis postulationibus fidelium suorum consusvit aures accommodare benignas. Ideoque noscat tam presens etas quam successura posteritas quod nos respicientes et animadvertentes concessionem sive indulgentiam et investituram quam dominus Fridericus avus noster fecit communitati et universitati de Scovolo in territorio Brixiano (1), eam concessionem et datam sive investituram, ad instantiam Alberti Tridentini episcopi qui nobis et imperio fidelis inventus est, auctoritate imperiali confirmamus, corroboramus atque integerrime donamus quod ipsam communem et universitatem de Scovolo, mares et feminas cum uxoribus et filiis ac filiabus ipsorum, servis st ancillis suis, omnibus proprietatibus et substantiis eorum mobilibus et immobilibus, presentibus et futuris, sub nostri imperialis potestatis (*sic*) ex integro in perpetuum recepimus. Precipimus itaque ut nulla civitas, nullus episcopus, dux, marchio, comes seu aliqua persona dictam communem et universitatem de Scovolo in eo loco habitantes nunc et in futurum destringere, pignorare vel calumpniari presumat, nec fiat eis contradictio venandi, piscandi, negotiandi, occupandi per totum lacum Benacum, ripaticum, thelonsum, hostaticum aut aliquam publicam functionsm ab eis aliquando exigat; et si quis contra predicta venirs temptaverit, centum libras puri auri persolvat, medietatem camere nostre, aliam medietatem injuriam passis. Ut autem hec vera credantur, signo et sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus rei testes [sunt] Albertus sancte Magdeburgensis [ecclesie] archiepiscopus, Albertus Tridentinus episcopus, Andreas Alpinus (2), Reinaldus dux [Spoleti], et reliqui.

---

(1) Scilicet ann. 1156, quinto idus julii, indict. IV, juxta Veronam. — Ibidem insertum.

(2) De primo teste, qua causa eum auspectum habeamus, cf. supra p. 146, not. 1. De secundo antem haec videmus ap. Bonelli, *Notiz. istor. intorno ad Adelpreto*, etc. « Nell' an» notazione della cronaca del *Cavriolo*, p. 251 e seqq., si rapporta un privilegio accordato da » Federigo II imperatore a Biemino da Manerba cittadino Bresciann, nell' anno 1221, in cui » quesin nostro vescovo vien appellato *Andrea Alpino vescovo di Trento*. » Legendum tamen putamus, sicut in isto fictitio privilegio: *Tridentinus episcopus* seu *electus*, *Andreas Alpinus*, etc. Forsitan idem Andreas quem ad ann. 1219, decembri, *Andream Lupinum* regis valletum vocatum invenimus, nisi sit Andreas regni Siciliae logotheta, qui supra, p. 115, inter testes annumeratur.

Signum domini Friderici Romanorum invictissimi imperatoris et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus recognovi.

Acta sunt hec anno a nativitate Domini M.CC.XXI, kalendis novembris, indictione nona, imperante domino nostro Friderico Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani [regni] ejus octavo, in Sicilia XIIII, imperii vero secnndo (1).

Data apud Nomnm (Panormum?), feliciter. Amen.

---

1221. Fridericus, Romanorum imperator, Ottobellum de Pimignaco, fratrem ejus et nepotes in territorio Brixiensi ad nobilitatis gradum sublimat et in suam imperiique protectionem recipit.

(Memorat. ap. Chmel, loco supra citato, p. CIII, n° 86, ex confirmatione Friderici III dat. ap. Neustadt, 10 octobris 1448, pro Folo de Lamura et nepotibus ejus Johanne et Baldo de Lamura de Pigninaco. Privilegium autem Friderici secundi, nulla temporis nota expressa, his verbis indicatur:)

« Cnm clare memorie Fridericus secnndus antecessor noster Ottobellum de Pimignaco, Talchevolum ejus fratrem, Venturam, Lanfrancum eorum nepotes ac Clamottum quondam Uberti de quornm progenie, etc., territorii Brixiensis, etc., propter eorum grata servitia ad nobilitatis gradum snblimaverit nobilesque valvassores creaverit, ac perinde erexerit ac si de nobilibus antiquis valvassoribus nati fuissent, eosdem in suam et imperii protectionem recipiendo, ipsosque ab omni solutione thelonei, fodri, ripatici, hostatici et quavis alia publica functione eximendo, pront hec in literis prefati regis (*sic*) Friderici desuper confectis quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur. »

---

(1) Notae chronologicae, praecipue anni regnorum et imperii, inter se non concordant.

Fridericus, Romanorum imperator, Petro abbati monasterii Virginis Mariae Heremitarum et Sancti Stephani de Nemore atque conventui ejus restituit et confirmat omnia ipsorum privilegia juxta generale edictum in curia Capuana factum sibi resignata, conceditque et confirmat multa alia jura et possessiones quae ibidem nominatim exprimuntur. Brundusii, martio 1224.

(Edider. MACCIUCCA, *Esame delle cart. vantate*, raccolt. n° 24. — TROMBY, *Hist. critic. diplomat. ord. Cartus.*, tom. V, append., p 95 et 98. Collat. cum pergamena in archivo reg. S. Severini apud Neapolim. Altera et brevior versio in qua nomen Tankredi inseritur, novum super privilegii falsitate argumentum praebet.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Impensis nobis a Domino beneficiis respondemus et ei gratiarum offerimus holocaustum cum sacrosanctas ecclesias et loca venerabilia favore nostre clementie intuentes, earum paci et quieti misericorditer providemus, et que ibi ab aliis collata sunt nostra imperialis serenitas ratihabitione confirmat et ea muneribus sue liberalitatis augmentat. Attendentes itaque devocionem et fidelitatem Petri venerabilis abbatis et conventus monasterii gloriose Virginis Marie Heremitarum et Sancti Stephani de Nemore necnon et quante devotionis studio in eodem venerabili monasterio creatori omnium famuletur et quanta vigilantia in timore Domini sancta ibi colitur religio, monasterium ipsum cum universis obedientiis hominibus et pertinentiis suis sub clipeo nostre protectionis recepimus et tenemus (*a*). Confirmantes ei universa privilegia, concessiones et libertates

(*a*) *Ex tunc incipit aliud privilegium, quod ediderunt quoque Macciucca et Tromby, locis supra citatis. Quantum vero propter hoc contra Macciuccam nitatur Tromby, nihil nostra sententia proficit. Ita autem sequitur :* Confirmantes ei universa privilegia, concessiones et libertates que ibi tam a comite Rogerio, regibus Sicilie Rogerio, Guillelmo primo et secundo et *Tankredo* pie memorie et augusto domino imperatore Enrico et

que ibi tam a rege Rogerio quam ab aliis regibus Guillelmo primo et secundo pie memorie et divis augustis domino imperatore Henrico et

domina imperatrice Constantia, parentibus nostris, eidem monasterio sunt indulta, insuper concessiones, donationes et libertates quas comites baronesque aliique fideles dicti regni nostri pro devotionis affectu eidem monasterio intulerunt. . . . . sine aliquo. . . . . . . . regum temporibus consuevit utatur. Que privilegia a jure generali . . . . . . . . . . . . . . . a nobis in curia Capuana de privilegiis resignandis, dictus abbas et conventus. . . . . . . . . . . habuerunt. . . . . . . . . quedam alia humiliter resignarunt. Ipsorum itaque privilegiorum inspecto tenore, ad humilem supplicationem eorumdem abbatis. . . . . . . . . . . . . . . . . . nostra gratia ex certa nostra scientia eidem eadem. . . . . . . . . . restituimus, sicut jam in altero factum est nostre majestatis privilegio, et omnia que continentur in eis eidem monasterio specialiter duximus confirmanda ut tam eadem privilegia. . . . . . . . . . . . . . . . habeat idem monasterium ex certa nostra scientia confirmata. Concedimus itaque et confirmamus ipsi monasterio in perpetuum heremum in quo situm est monasterium cum omnibus rationibus, tenimentis et pertinentiis suis, casale Spatule cum cultura que dicitur de Murruni et ecclesiam Sancti Leontis cum casali suo, hominibus et omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Fantini et ecclesiam Sancti Nicolai. . . . . . . . . . . et ecclesiam Apostolorum et grangiam Arsaphie cum casalibus, hominibus et omnibus justis pertinentiis et tenimentis suis in territorio Stili. Item concedimus et confirmamus. . . . . . . . hominibus et omnibus tenimentis et pertinentiis suis in territorio Sancte Catherine, culturam de Sancto Panio in loco dicto de Barbaruso in tenimento Stili que monasterium ipsum habet et possidet ex donatione domine. . . . . . . . . . . . . Item concedimus et confirmamus culturam que dicitur Camianca, salvis tamen frumento et pecunia nostre curie debitis, sicut et alie nostre culture solvere et reddere solite sunt et debent. Item ecclesiam Sancti Jacobi de Montabro prope Squillacium cum casalibus suis, videlicet casale Montabri, Gasparine et Arunchi cum omnibus justis pertinentiis et tenimentis suis et cum universis villanis et hominibus quos habet idem monasterium in predictis casalibus. Item concedimus et confirmamus eidem monasterio tenimentum quoddam in territorio Stili in terris Casamone juxta proprios fines et divisas quas inseri jussimus [et] conscribi in altero nostro privilegio eidem monasterio. . . . . . . . . . in dicto tenimento nullus habeat aut aliud opus facere audeat absque voluntate abbatis et fratrum monasterii supradicti, cum ipsius tenimentis et commoditatibus alii gaudere non debeant, nisi illi ad quos. . . . . . ipsum tenimentum de regia fuit. . . . . . . . . . . concessum et nunc de nostra imperiali gratia confirmatum. Item concedimus et confirmamus ecclesiam Sancte Marie, culturas et terras quas habet idem monasterium in tenimento. . . . . fidelium sibi facta. Item

domina imperatrice Constantia, parentibus nostris, eidem monasterio sunt indulta, ut eis sine aliquo temporali servitio pacifice, sicut eorum tem–

concedimus et confirmamus eidem monasterio culturas in tenimentis Sancti Georgii et planitie Sancti Martini cum libertatibus et immunitatibus quas Richardus juxta. . . . . . . . . . . . . . . tenimento donavit et concessit monasterio supradicto. Concedimus etiam et confirmamus dicto monasterio ecclesiam omnium Sanctorum, ecclesiam Sancti Nicolai cum casalibus, villanis et molendinis et ecclesiam Sancti Sossi cum omnibus pertinentiis et tenimentis suis in territorio Sarriani et Badulati, quas ecclesias ipsum monasterium cum tenimentis suis et libertatibus habet et possidet ex donatione comitum et baronum. Item concedimus et confirmamus granciam de Capistro cum casali, hominibus et omnibus pertinentiis et tenimentis suis in territorio Arenarum, quam monasterium habet et possidet ex donatione dominorum ipsius terre Arenarum. Item concedimus et confirmamus grangiam de Cuculo in territorio Squillacii cum omnibus terris suis et molendino de Argari eidem. . . . . . . . . . fidelium largitate; granciam Sancti Theodori in territorio terre Graci ex donatione dominorum ipsius terre Simali sibi facta; ecclesiam Sancti Nicolai de Chipulla in territorio Cutroni cum hominibus et omnibus tenimentis et pertinentiis suis. Concedimus quoque et confirmamus ipsi monasterio molendinum de Alexi quod est subtus Squillacium in loco qui dicitur de Scala, que monasterium habet et possidet ex donationibus comitis Anfusii domini terre Squillatii. Item concedimus et confirmamus granciam Mutari cum casali et omnibus pertinentiis et tenimentis suis in territorio Mileti. Item concedimus et confirmamus tenimentum Sancti Cristofori cum omnibus pertinentiis suis, quod habet monasterium ex largitione fidelium in territorio Castri Novi. Item concedimus et confirmamus possessiones quas habet monasterium in territorio Polisii. Item concedimus et confirmamus predia, culturas et terras que idem monasterium habet ex largitione nostrorum fidelium in tenimento Messane. Ipsi etiam monasterio de ampliori gratia confirmamus in perpetuum ecclesiam, grancias, predia, possessiones, culturas, terras, molendina, tenimenta, villanos, homines spectantes ad dicta loca, libertates et immunitates quascunque ab imperatoribus. . . . . . . comitibus, baronibus et aliis quibuscumque, ut idem monasterium ea habeat libera ab omni exactione regalium lignaminum vel servitute aliqua quocumque nomine. . . . . . . . . servitio. . . . . . . . . . . . . ut infrascriptis privilegiis et instrumentis dinoscitur contineri, et sicut ea. . . . . . . . predictorum regum Sicilie. . . . . . . . . . . . . . . . et licet in aliis privilegiis regni nostri. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . mandato et cetera generaliter apponatur. . . . . . . . . . . . . . . . . . nostre restitutionis et confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium. . . . . . . . . . . . . . . . . . anno, mense et indictione subscriptis. Datum Brundusii, etc., *ut in altero.*

poribus consuevit, utatur. Que privilegia juxta generale edictum factum a nobis in curia Capuana de privilegiis resignandis dictus abbas et conventus nobis humiliter resignarunt. Ipsorum itaque privilegiorum inspecto tenore, ad humilem supplicationem eorumdem abbatis et conventus, eterne retributionis intuitu, de innata pietatis nostre gratia, et eadem eis restituimus et omnia que continentur in eis eidem monasterio specialiter duximus confirmanda. Concedimus itaque et confirmamus ipsi monasterio in perpetuum heremum in quo situm est monasterium ipsum cum omnibus rationibus, tenimentis et pertinentiis suis et casale Spatule cum cultura que dicitur de Murruni, ecclesiam Sancti Leontis cum casali suo, hominibus, culturis, prediis, pascuis et massariis et omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis, ecclesiam Apostolorum et grangiam Arsafie cum casalibus, hominibus et omnibus pertinentiis et tenimentis suis in territorio Stili, ecclesiam Sancti Fantini et ecclesiam Sancti Nicolai de Trivio cum omnibus pertinentiis et tenimentis earum, ecclesiam Sancti Jacobi de Mentabro cum casalibus suis, videlicet casale Mentabri, Gasparine et Arunchi cum omnibus pertinentiis et tenimentis suis et cum universis villanis quos habet idem monasterium in predictis casalibus et cum villanis quos monasterium ipsum habet in casali Stalacti qui dicuntur de Assi et aliis villanis qui habitant per diversa loca in territorio Squillacii. Concedimus etiam et confirmamus dicto monasterio ecclesiam Omnium Sanctorum que dicitur grangia de Camaroto et ecclesiam Sancti Sossii cum hominibus et omnibus pertinentiis et tenimentis suis in territorio Satriani et Badulati, quas ecclesias ipsum monasterium cum tenimentis suis habet et possidet ex donatione comitum et baronum. Item concedimus et confirmamus ecclesiam Sancti Blasii cum hominibus et omnibus pertinentiis et tenimentis suis in territorio Sancte Catharine, quam monasterium habet et possidet ex donatione domine Nide, domine ejusdem castri Sancte Catherine. Item concedimus et confirmamus grangiam de Capistris cum casali, hominibus et omnibus pertinentiis et tenimentis suis in territorio terre Arenarum, quam monasterium habet et possidet ex donatione dominorum ipsius terre Arenarum. Item concedimus et confirmamus grangiam de Cuculo in territorio Squillacii, grangiam Sancti

Theodori in territorio terre Simmeti, ecclesiam Sancti Nicolai de Chipulla in territorio Cutroni cum hominibus et omnibus tenimentis et pertinentiis earumdem, libere ipsas ecclesias, homines et villanos spectantes ad dicta loca ab omni exactione lignaminum sine temporali servitio possidendas. Concedimus quoque et confirmamus ipsi monasterio molendinum de Alexio quod est subtus Squillacium. Item confirmamus molendinum de Sancto Jacobo et vineam de Marina subtus Squillacium in loco qui dicitur de Pala, que monasterium habet et possidet ex donatione comitis Amfusii, domini terre Squillacii. Item concedimus et confirmamus eidem monasterio culturam de Sbomatisia in territorio Squillacii cum juribus falangagii, scalagii, ancoragii et dohane litoris et maritime, tenimentis et territoriis ipsius culture. Item concedimus et confirmamus grangiam Mutari cum casali, hominibus et omnibus pertinentiis et tenimentis suis in territorio Mileti. Item concedimus et confirmamus tenimentum Sancti Christophori cum omnibus pertinentiis suis, quod habet monasterium ex largitione fidelium in territorio Castri Novi. Item concedimus et confirmamus possessiones quas habet monasterium in territorio terre Policii. De speciali quoque gratia damus, concedimus et confirmamus ipsi monasterio tenimentum quoddam in territorio Stili in terris Casemone in perpetuum habendum et possidendum, quod tenimentum concessum fuerat primo ipsi monasterio cum pascuis animalium et massariis per privilegium quondam regis Guillelmi consobrini nostri recolende memorie. Sed quia per proprios fines ipsum tenimentum non fuerat terminatum, de mandato nostro ipsius tenimenti divise facte fuerunt et nostro culmini presentate; quas divisas in presenti privilegio ad majorem gratiam et favorem ipsius monasterii jussimus apponendas: in primis ab oriente terre Sancti Pantaleonis, sicut descendit rivus versus orientem usque ad Sanctum Pantaleonem et ascendit serra usque ad lapidem crucesignatum et scindit in medium montem et ferit in viam Casemone, et vadit divisa ipsius tenimenti dividendo cum cultura Sancti Leontis usque ad arborem crucesignatam et pervenit ad rivum qui dicitur de Rigitano et descendit divisa Sancti Leontis cum eodem rivo usque ad mare; deinde vadit via publica usque ad magnum rivum qui dicitur de Dorcari, et transito ipso

rivo vadit via publica usque ad parvum falsum rivum qui est juxta culturam Stephanitii et ascendit rivus usque ad crucesignatum lapidem in caput Primaulpuci, et inde ascendit versus occidentem per lacus ejusdem culture dividendo cum predictis terris Stephanitii usque ad veterem Arenam, et deinde ascendit serra usque ad separationem culture alpestre(?) ubi est lapis crucesignatus et deinde descendit occidentem usque ad crucesignatam pipiragiuem et juxta brunum, et deinde vadit recte ad palustrem umbrum et ascendit inde per palustrem umbrum et ferit ad rivum qui descendit per malam rupem et regalem viam, et vadit ipsa via usque ad brunum Sancte Agathe ubi est crucesignatus lapis; et vadit ipsa via regalis usque ad magnum rivum ubi sunt ficus, et ascendit ipse rivus usque ad divisam orientalem et postea declinat ad viam et ipsa via pervenit ad culturam arvi, et inde descendit versus orientem serra usque ad finem culture ipsius arvi in caput vallonis et descendit vallo usque ad rivum et ascendit rivus usque ad descendentem rivum Sancti Pantaleonis et concluditur. Volumus insuper et precipimus ut in supradicto tenimento nullus laborare, pascere aut aliud opus facere audeat absque voluntate et licentia abbatis et fratrum monasterii supradicti, cum ipsius tenimenti commoditate alii gaudere non debeant nisi illi ad quorum usum ipsum tenimentum de regia fuit benignitate concessum et nunc de nostro imperiali beneplacito concessum. De ampliori autem gratia benignitatis nostre volumus et mandamus ut animalia predicti monasterii libere sumant pascua et usum aque in omnibus territoriis et tenimentis atque locis ubique regni nostri, et fratres ipsius monasterii cum omnibus eorum equis et aliis animalibus suis libere habeant passagium facile, et ab omni exactione passagii, plateatici sive pedagii tam per nostrum demanium quam per alias terras et loca regni nostri, terra vel mari, tam emendo quam vendendo, eundo et redeundo, perpetuo sint immunes. Concedimus etiam eisdem fratribus in omnibus terris et locis nostri demanii libere habeant declinationem et ductum aque et situm molendinorum et fullonum, et etiam in omnibus tenimentis et locis regni nostri libere habeant venationes; et si in tenimentis, territoriis et locis ipsius monasterii aliquos venari contigerit, liceat eisdem fratribus habere quarterium animalium silves-

trium. Volumus et concedimus eisdem fratribus pro usu eorum libere pischeram, mineram ferri et salem habere. Concedimus insuper ut homines qui confratres fuerint monasterio supradicto et de bonis eorum professionem et donationem fecerint eidem monasterio, cum animalibus et bonis eorum omnibus semper et ubique gaudeant libertate et sint ab omnibus exactionibus et collectis, servitio temporali, angariis et perangariis, liberi et exempti. Concedimus etiam ut custodes animalium dicti monasterii, dum fuerint in ipsa custodia animalia eorum insimul cum animalibus ejusdem monasterii, libere sumant pascua in omnibus locis, sicut animalia monasterii supradicti. Concedimus insuper omnibus granciis et pertinentiis ipsius monasterii de omnibus terris et locis ac territoriis et tenimentis regni nostri libere sumere et habere ligna pro usu et necessariis earum. Concedimus insuper eisdem fratribus, hominibus et vassallis eorum habere bancum justitie in omnibus terris et locis tam nostri demanii quam aliis ubicumque habuerint incolatum. Volumus autem ut nulla ecclesiastica vel secularis persona, nullus comitum vel baronum, nullus justiciariorum vel bajulorum nostrorum homines predicti monasterii aut paricias eorum ad angariam et perangariam vel eos servitium aliquod facere vel exhibere compellat, neque eos nitatur aliqua infestatione vel exactione gravare, sed sint ab omni servicio temporali et molestia liberi et securi. Ipsi etiam monasterio ex liberalitate majestatis nostre confirmamus in perpetuum suprascriptas omnes obedientias, grangias et possessiones et queque alia tenimenta que idem monasterium largitione regum et principum et aliorum oblatione fidelium juste et rationabiliter tenet et possidet, prout in ipsorum privilegiis et instrumentis dignoscitur et vidimus contineri et ea omnia temporibus regis Guillelmi rationabiliter et pacifice dignoscitur tenuisse, et que etiam in futurum justo titulo poterit adipisci. Et licet in aliis privilegiis regni nostri clausula illa scilicet de salvo mandato et cetera generaliter apponatur, in isto tamen privilegio de nostra speciali gratia jussimus non apponi. Ad hujus autem nostre restitutionis, donationis et confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Petri de Salerno notarii et fidelis nostri scribi fecimus et nostre majestatis

sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis. Datum Brundusii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense martii, indictione duodecima, imperii domini nostri Friderici Dei gratia gloriosissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie, anno quarto, regni vero Sicilie vicesimo sexto, feliciter. Amen (1).

---

1225. Anno 1225 [capitula consulatus maris] subscripta et jurata fuerunt in civitate Messanae apud ecclesiam Sanctae Mariae Novae, in praesentia episcopi Cataniensis, a Friderico imperatore Alemanniae ut omni tempore observarentur. Cf. PARDESSUS, *Collect. de lois maritimes*, tom. II, ch. XII, p. 6, ex edit. Catalana ann. 1494 (2).

---

Apud Parmam, 30 aprilis 1226. Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sanctae Mariae in Chemnitz donationes a praedecessoribus suis Lothario et Conrado factas innovat et confirmat; insuper addens ut si infra terminos proprietatis ibidem definitos aliquid in fodinis auri, argenti,

(1) Notae chronologicae inter se concordant. Quum tamen locus dati privilegii admitti non possit, conjicere licet amanuensem qui privilegium verumne an falsum rescripsit, locum sumpsisse ex altero privilegio authentico dato Brundusii, martio 1224; quod supra p. 153.

(2) In cod. Biblioth. Paris. (fonds Cangé, 144), cum rubrica : « *Aço son capitols quis faeren en Xipre e foren fermats per molts e grans senyors*, » haec leguntur, fol. 175 verso : « Item » los jura Soldarich (Friderich) emperador de Alemanya e Pando de Mardenant (?) son almirall » de tenir e fer tenir. Et aço fou fet a Macina en Sainta Maria la Nova en presencia del bisbe » de Cathania en l'any MCCXXV. » Nulla tamen fides impresso libro, ut recte monuit Pardessus, vel etiam codici adhibenda est, quum nusquam alia istius juramenti notitia nisi apud Bianchinium detegatur. Ille autem (*Storia delle finanze del regno di Napoli*, I, 292), ad ann. 1231, qua nescimus auctoritate, eadem refert, omissa vero admirati et episcopi Cataniensis mentione. Cum fons authenticus desit, rem incertam fusius discutere non vacat.

salis vel commodi cujuslibet repertum fuerit, id integrali jure monasterio praedicto pertineat.

(Edit. ap. SCHUMACHER, *Beitrag. zur deutsch. Reichshist.*, n° 2, p. 83. — Memorat. quoque ap. SCHULTES, *Director. diplomat.*, t. II, IV theil, p. 611; coll. cum pergamena quam authenticam dicunt in archivo Dresdensi. Sigillum cerae rubrae filis sericis rubri et viridis coloris appendet. Licet figura imperatoris in sigillo impressa a solita effigie non abhorreat, ipsius sigilli forma et duo cavi, vulgo *creux de pouce*, tergo contra solitum impacti, hoc suspectum reddunt. Initialis quoque lineae litterae elongatae et quasi manu tremula exaratae, scripturae corpus et quaedam in textu mendae, scilicet *termnos*, *ininriam*, hanc chartam ab imperiali cancellaria non emanasse demonstrant.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, universis imperii fidelibus in perpetuum. Quoniam dispensatio divina dividens singulis prout vult fecundioris nos gratie dotibus nec quidem digne, sed misericorditer sublimavit, equum quippe est ut circa suos nos inveniat beneficos, ex cujus munificentia cuncta emanant que largimur. Hinc est quod ob reverentiam Dei omnipotentis ejusque genitricis Sancte Marie gloriam, terminos duorum miliarium a cornu quolibet altaris se circumquaque in longum extendentium et in latum, a quondam dive recordationis Lothario Romanorum imperatore nostro predecessore monasterio quod Kamniz dicitur et personis ibidem Deo et sancte Marie genitrici ejus secundum regulam sancti Benedicti jugiter famulantibus, cum universis fundis et pagis ipsorum et totalibus usufructibus et attinentiis suis, videlicet advocatia, ecclesiis, prediis, vineis, areis, agris, pratis, pascuis, sylvis, aquis et aquarum alveis, virgultis et arbustis, piscationibus et molendinis, viis et semitis, denique supra terram et infra, ab omnium hominum exactione vel inquietudine oblatos liberrime et donatos et postmodum a felicis memorie Conradi Romanorum regis etiam predecessoris nostri gloriosis privilegiis (1) confirmatos et suis beneficiis et donis corroboratos, ad tam piorum beneficiorum numerum accedentes et

(1) Quorum unum datum in Siza ann. Dom. MCXLIII, indict. III, notatione mensis non expressa, apud eumdem Schumacher sub n° 1 reperitur.

meritorum participes nos effici cupientes, sicut ad nos suas donationes feliciter devolverunt, sic eas totas et integraliter pie mentis affectu complexas innovamus et ratas et firmas decernimus observare; omnia hec et singula prenotata, confirmata per nos et innovata, et bona que jam possident et que possessuri sunt justis modis Domino Jesu Christo ac intemerate Virgini Marie genitrici ejus pro remedio nostrorum peccaminum jamdicto loco in plenam et perpetuam proprietatem etiam offerentes et dantes libere possidenda. Et ut amplior ad Dei cultum ibidem famulantibus accrescat devotio, tam sollenpniter instructam donationibus ecclesiam ampliori beneficio nostre donationis esse volumus locupletem : damus et de nostra regia perpetuo concedimus potestate ut si quid in terminis jam sepedicto monasterio hiis rivis et fluviis limitatis, scilicet versus orientem Scapa, versus austrum Wirsnitz (1), versus occidentem Mulda et versus septentrionem Lozchaha (2), in fodinis auri, argenti, salis aut cujuslibet eris aut metalli, utilitatis aut commodi repertum aut manifestatum fuerit, sicut nobis et imperio pertinuit, cum jure sibi pertineat integrali; cum idem monasterium antecessoribus nostris Romanorum imperatoribus ac regibus quadam prerogativa dilectione semper annexum fuerit et gratia speciali. Nulli ergo unquam mortalium liceat hanc nostre confirmationis, innovationis et donationis paginam infringere vel eidem ausu temerario contraire; quod qui fecerit, omnipotentis Dei iram ac nostram offensam se non dubitet incursurum, et pro pena transgressionis auri centum libras componat, dimidium fisco nostro, reliquum injuriam passis. Ut autem hec firma perpetuis seculis permaneant, hanc paginam typarii nostri munimine jussimus roborari.

Hujus rei testes sunt Bertholdus Acquilliensis patriarcha, Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus, Eckebertus episcopus Babenbergensis, Ludewicus dux Babarie, Albertus comes de Tyrol, Rudolphus comes de Habichsburg, Wilhelmus comes de Hunburc, Hermannus comes de Or-

---

(1) Verisimiliter *Zschopau* et *Würschnitz-Bach*.

(2) Forsitan *Ludwigs-Bach* vel *Lungwitz*.

tinburg, Anshelmus marscalcus de Justingen, Conradus de Enste, Ulricus de Minzinburc, Waltherus pincerna de Scipfe, et alii qnamplures.

Datum apud Parmam, anno Domini millesimo CC° XXVI°, pridie kalendas maii, indictione XIV (1).

---

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat quidquid Fridericus imperator avus suus ecclesiae Sanctae Mariae Virginis prope Altenburg donavit in possessionibus et juribus, Friderico de Poleke ejusdem ecclesiae praeposito concedens ut ipsi et successores ejus libere possideant quidquid habent aut justo titulo poterunt adipisci. Frankworti, julio 1226.

(Edid. SCHULTES, *Director. diplomat.*, tom. II, IV theil, p. 613-614; non indicato fonte, sed verisimiliter ex eodem unde documentum dat. Erfordie, ann. 1220, die conceptionis Domini, sumpserit : quod in primo tomo inter spuria exhibuimus.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis, etc. Cum paterna devotio in mentibus filiorum et nepotum ad imitandum pietatis exemplum permanere debeat, protestamur nos summe diligere fundationem ecclesie Sancte Marie Virginis prope Aldinburc quam Romanorum imperator bone memorie Fridericus avus noster, una cum filiis suis Heinrico patre nostro et Philippo patruo nostro Romanorum regibus, devote complevit, adjacens (*sic*) eidem ecclesie dotis nomine decimam piscium piscine rive claustri antique, eo quod destructis ortis et areis et parvo molendino (2), ecclesia prefata

(1) Quum exeunte aprili apud Ravennam imperator moraretur et testes qui tunc temporis ejus curiae aderant omnino testibus hic nominatis differant, novum et gravius etiam argumentum oritur unde privilegium istud inter suspecta documenta rejicere debeamus.

(2) Hoc molendinum de quo in aliis documentis saepe mentio fit, hodie quoque apud Altenburg *die kleine Mühle* nominatur.

piscina, aggere et lapidum congerie in fnndo et proprietate sit concepta. Propterea jam dictus avns noster prefatam ecclesiam in omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus et personis tam incolis quam extraneis mannmisit et liberavit, jndicium vite et mortis per omnem proprietatem suam indulgens; advocatiam quoque loci et fratrum sive bonorum ipsorum defensionem nulli unquam in beneficium conferri statnit, sed soli Romano imperio reservavit, dans fratribus ejusdem ecclesie liberam electionem prelatorum suorum secundum sanctorum canonum instituta. Hec itaque pro sequela nostri consensus (*sic*), presente domino Friderico dicto de Poleke prefate ecclesie preposito quinto, conscribi sub sigillo nostre majestatis fecimus, dantes eidem et per eum suis sncceesoribus de imperatoria munificentia ut quicqnid bonorum hactenus habuernnt libere possideant vel in futurum collacione principum, concessione pontificum, oblatione fidelium vel emptionis titulo poterunt adipisci.

Datum et actum Frankwurti, anno incarnationis Dominice MCCXXVI, mense julio.

---

# INDEX DOCUMENTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE EXHIBENTUR SIVE MEMORANTUR.

| 1220 | | | |
|---|---|---|---|
| | | praecipitque consulibus et populo Aretii et Castelli ut abbatiae et burgo consilium et adjutorium tribuant. | 14 |
| novemb. | In castris apud Urbem. | — Commune Pistorii sub speciali sua protectione recipit, districtum, jurisdictionem et bona ejus confirmat, et Ugolinum Paganelli potestatem ipsius communis de his omnibus investit. | 18 |
| 24 nov. | In Montemalo prope Urbem. | — Potestati et communi Pisarum concedit et confirmat, nominibus specialiter expressis, omnia quae ab imperio tenent cum jurisdictione et districtu, necnon et Massam cum pertinentiis suis; potestatem donat faciendi justitiam et negotiandi secure per terram et per aquam, confertque in feudum littus maris a civitate Vecla usque ad portum Veneris cum privilegio portuum. | 19 |
| 24 nov. | In castris in Montemalo. | — Civitati Dertonensi confirmat privilegium eidem ab avo et patre suo indultum cum gladii potestate et omnimoda jurisdictione. | 24 |
| 25 nov. | In Montemalo prope Urbem. | — Henrico Bononiensi episcopo et ecclesiae ejus bonos usus et consuetudines concedit et confirmat cum plena jurisdictione locorum ibidem expressorum, variaque ejusdem ecclesiae privilegia et immunitates memorat et renovat. | 27 |
| 25 ? nov. | In Montemalo prope Urbem. | — Propter dilectionem quam in se habuerunt Guilielmus de Pusterla Bononiensis potestas et ejusdem civitatis commune, praedictae universitati concedit et confirmat quodcumque habuit in jurisdictionibus causarum civilium et criminalium, in creatione officialium et in caeteris bonis consuetudinibus. | 31 |
| 25 nov. | In Montemalo prope Urbem. | — Ugolinum Albizonis et nepotes ejus Ugolinum et Albizonem fratres de Mugello (ex Ubaldinorum gente) in suam protectionem suscipit cum bonis eorum omnibus quae ibidem recensentur, multaque et ampla eis privilegia concedit, scilicet de fodro imperiali, de jure aedificandi, de jurisdictione civili et criminali, etc. | 33 |
| 25 nov. | In castris prope Romam. | — Communi Podii Bonitii consules eligendi facultatem impertitur, plura jura sua sub certis conditionibus eis remittit, traditionemque octavae partis Podii Bonitii factam Senensibus primum et postea Florentinis irritam pronuntiat. | 37 |
| 25 nov. | In castris prope Urbem in Montemalo. | — Castrum Noni (Annone) obligat potestati et civitati Astensi qui sibi praeter mille marcas argenti jamdudum mutuatas alias octingentas iterum mutuum dederunt, eo pacto ut redditus ad hoc castrum pertinentes pro custodia ejusdem per- | |

| 1220 | | |
|---|---|---|
| | | cipere debeant, idemque post decem completos annos per ipsum rursus redimi possit. 40 |
| 25 nov. | In castris Romae apud Montem-malum. | — Claustrum dictum Rocca Dominarum in dioecesi Vercelensi cum priorissa, sororibus et fratribus in sua imperiali protectione suscipit eidemque bona ibidem expressa et libertates confirmat. 41 |
| [nov., | In Montemalo prope Urbem.] | — Pagano episcopo Vulterrano et ecclesiae ejus omnia privilegia et bona confirmat quorum pleraque ibidem nominatim recensentur, eique vicarii potestatem in comitatu Vulterrano et etiam in Tuscia confert. 41 |
| [nov. circiter.] | . . . . . . . | — Ad petitionem Almerici abbatis Sancti Severi de Classe juxta Ravennam, illum cum fratribus et possessionibus ejusdem monasterii in imperiali sua protectione recipit, omnia confirmans quae habet vel de caetero poterit adipisci et quae a praedecessoribus suis aut ab aliis per concessiones tenet. 45 |
| 25 nov. | In castris prope montem Rosulum juxta Sutrium. | — Monasterio de Wezzinsbrunne dat, tradit et perpetuae possessionis titulo confirmat tres homines consistentes in quodam novali ad suum dominium pertinente. 49 |
| 25 nov. | In castris prope montem Rosulum juxta Sutrium. | — In favorem monasterii de Vezzinsbrunne ministerialibus aulae imperiali subjacentibus concedit licentiam illi benefaciendi; principes autem et nobiles hortatur ablata praedia eidem restituere. 50 |
| 27 nov. | In castris prope Sutrium in pede montis Rosi. | — Ad reformandam pacem et concordiam, in Lombardiam, Romaniolam, Tusciam et per totam Italiam legatum mittit Conradum Metensem episcopum, imperialis aulae cancellarium, cum plena potestate et auctoritate imperiali, ratum habens quidquid ante suum in Italiam adventum aut post legatus iste suus fecerit aut facere poterit. 54 |
| 28 nov. | In castris apud Sutrium. | — Concedit Rudulpho de Noxa (Nozza) et Suzoni Coleono civibus Pergamensibus eorumque haeredibus cognitionem et definitionem causarum appellationum tam in civitate quam in districtu, secundum formam privilegiorum Henrici sexti et Philippi. 56 |
| 28 nov. | In castris apud Sutrium. | — Nobiles de Cucurno prope Januam sub sua protectione suscipit. 58 |
| 29 nov. | In castris apud montem Rosum prope Sutrium. | — Principes suos Guidonem, Tigrinum, Roggerium, Marcoaldum et Aginulphum filios quondam Guidonis Guerrae, Tusciae comites palatinos, pro gratis eorum servitiis sub speciali protectione sua recipit cum omnibus bonis eorum et |

| | | |
|---|---|---|
| **1221** | | sua recipit, privilegia omnia praedecessorum suorum confirmat cum bonis omnibus ibidem nominatim expressis, libertates recenset et novas immunitates concedit. 111 |
| februar. | Salerni post curiam Capuae. | — Rogerio abbati Casaemarii restituit et confirmat privilegia a parentibus suis eidem monasterio concessa, quorum tenorem abbreviando memorat. 116 |
| februar. | Salerni post curiam Capuae. | — Balsamo abbati Cavensi privilegium impertitur quo possessiones omnes monasterii ejusdem cum castris et casalibus ibi expressis ei confirmat, omni servitutis jugo monasterium eximens et plateaticum in Cilento portubusque Fontis et Veteris eidem plene concedens. 118 |
| 10 febr. | Salerni post curiam Capuae. | — Restituit et confirmat universis hominibus de Ebulo privilegium quod juxta generale edictum in curia Capuana factum sibi resignaverunt, quo ipse terram et homines hujus loci in suum demanium receperat et bona eis utenda confirmaverat quibus temporibus regis Guillelmi secundi utebantur. 122 |
| 10 febr. | Salerni. | — Universis imperii fidelibus et omnibus civitatibus Lombardiae et Tusciae mandat ut viriliter ad succursum Terrae Sanctae se praeparent et accingant, de quo ipse diebus et noctibus cogitat; monetque ut efficaciter impleant quaecumque eis duxerit proponenda Hugolinus Ostiensis et Velletrensis episcopus, Apostolicae Sedis legatus, cui etiam per speciale mandatum plenam auctoritatem imperialis vicarii concedit. 122 |
| februar. | Foggiae post curiam Capuae. | — Monasterium Sancti Spiritus de Silva Oreolae dioecesis Sanctae Agathae sub protectione sua suscipit, eique omnia jura et bona confirmat necnon et caeteris ecclesiis Sancti Spiritus, scilicet Tufarae, Turris Palatii, Maraifi et Caleni. 134 |
| 3 martii. | Trani. | — Ludoycum abbatem de Fabaria (Pfeffers) et conventum ejusdem loci cum juribus et possessionibus ejus sub sua speciali protectione recipit et ab omni jurisdictione patronatus, advocatiae seu cujuslibet subjectionis eximit. 137 |
| 3 martii. | Apud Tranum. | — Scribit Honorio papae ut non turbetur propter constitutionem nuper in curia Capuana editam de resignandis privilegiis a patre suo et postea tempore turbationis regni indultis, quia requisita privilegia ad curiam Romanam destinare curavit. 139 |
| . . . . . | . . . . . . . | — Judaeis licentiam concedit morandi apud Tranum ea conditione ut annuatim clero cathedralis ecclesiae Tranensis octo et triginta uncias auri solvere debeant. 140, not. 1. |

| | | |
|---|---|---|
| **1221** | | |
| 9 martii. | Apud Barum. | — Monasterium de Schefftersheim et sanctimoniales in eo Deo deservientes cum omnibus bonis et possessionibus ejus in protectionem suam suscipit, statuitque ut haec ecclesia nullum praeter se aut successores suos advocatum habeat. 140 |
| 13 martii(?) | Apud Brundusium. | — Fridericum de Arco, Adelpretum et Riprandinum nepotes ejus eorumque haeredes legitimos honore comitatus nobilitat, ab omni angaria et onere rusticano eximit, eisque confirmat merum et mixtum imperium cum jurisdictione et districtu. 144 |
| martio. | Apud Brundusium. | — Azzonem marchionem Estensem et Anconensem cum omnibus bonis ejus ibidem enumeratis sub sua speciali protectione suscipit, eique ea omnia confirmat quae Azzo pater ejus et Obizzo avus praedicti Azzonis juste habuisse ac tenuisse noscuntur. 147 |
| martio. | Brundusii. | — Praelatis, comitibus, baronibus caeterisque in regno Siciliae constitutis notificat se ad requisitionem Cari Montis Regalis archiepiscopi prioribus obedientiarum ejusdem ecclesiae dedisse potestatem capiendi oblatos et villanos qui a dominio ecclesiae Montis Regalis se subtraxerunt et revocandi ad statum quo fuerunt oblationis tempore, confirmans eidem archiepiscopo jus curiae et hominibus ejus angariarum immunitates. 150 |
| martio. | Brundusii. | — De verbo ad verbum renovat privilegium quo Caro Montis Regalis archiepiscopo restituit, concedit et confirmat possessiones et omnia jura ad ejus ecclesiam pertinentia, tam per Saracenos quam per Christianos tempore turbationis illicite occupata, confirmatque simul eidem omnia privilegia, libertates, bonos usus et approbatas consuetudines. 152 |
| 22 mart. | Brundusii. | — Notificat se archiepiscopo Montis Regalis concessisse, confirmasse et restituisse casalia, feuda et alia bona tempore perturbationis regni alienata. 152, not. 2. |
| martio. | Brundusii. | — Petro abbati monasterii Virginis Mariae Eremitarum et Sancti Stephani de Nemore et conventui ejus restituit et confirmat privilegia a suis praedecessoribus eisdem indulta, quae sibi juxta generale edictum in curia Capuana factum resignaverant. 153 |
| martio. | Apud Brundusium. | — Ad instantiam abbatis et conventus monasterii Sanctae Mariae de Curatio ordinis Cisterciensis, in dioecesi Marturanensi, privilegia a Guilielmo primo et secundo eidem monasterio indulta confirmat. 155 |

| 1221 | | |
|---|---|---|
| martio. | Brundusii. | — Omnia bona, libertates et privilegia a praedecessoribus suis monasterio Florensi concessa confirmat. 155 |
| 10 april. | Tarenti. | — Hospitale Sanctae Mariae Theutonicorum et domos omnes ab ipso derivatas sub sua speciali protectione recipit, concessiones et privilegia omnia eisdem confirmat, statuitque ut per totum imperium nihil pro quolibet jure terra marique solvere teneantur. 156 |
| 10 april. | Apud Tarentum. | — Pro religiosa vita fratrum Hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum et gratis servitiis Hermanni magistri Hospitalis ejusdem, ei dat et concedit domum in Sahsenhusen cum pertinentiis, mansum unum in territorio oppidi sui Frankenfortensis et duas quotidie plaustratas lignorum necnon et pascua animalibus in silva sua quae adjacet loco Sahsenhusen. 157 |
| 10 april. | Tarenti. | — Hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum privilegium a se ipso jam concessum renovat, scilicet ut quicumque aliquid de bonis imperii nomine feodi possidet, id tanquam proprium eidem Hospitali libere conferre valeat. 159 |
| aprili. | Tarenti. | — Pro religiosa vita fratrum Hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum, eis generaliter confirmat et renovat diversa privilegia a se et a praedecessoribus suis eisdem indulta. 160 |
| aprili. | Tarenti. | — Eidem Hospitali privilegium renovat cum additione de exemptione juris doanarum et de passagio Phari. 163, not. 1. |
| aprili. | Tarenti. | — Donationem a patre suo Hospitali Theutonicorum factam de castro Mezzaneo inter Brundusium et Oriam renovat, cum istud privilegium amissum fuisset tempore quo Brundusini contra eamdem domum insultum fecerant. 163 |
| aprili. | Tarenti. | — Hospitale Sancti Johannis infirmorum juxta Panormum, plurimis molestiis jamdudum oppressum, Hermanno magistro domus Sanctae Mariae Theutonicorum et fratribus ejus tenendum, conservandum et ampliandum donat et concedit. 165 |
| aprili. | Tarenti. | — Robberto abbati Sancti Johannis in Plano et conventui ejus concedit et confirmat omnia quae quondam Petronius comes Alexinae eidem domui donaverat, cum libertate aquarum, herbarum et lignorum usque ad decem milliaria in circuitu, excepta tantum villa Precina quam suo imperiali demanio reservat. 166 |
| aprili. | Tarenti. | — Paganum Balduinum civem Messanensem, monetae Brundusinae magistrum, ejusque haeredes sub speciali protectione |

| | | |
|---|---|---|
| **1222** | | |
| 27 dec. | Apud Prechinam. | — Ottoni duci Meraniae comitique Burgundiae palatino et caeteris nobilibus Burgundiae notum facit quod Bisuntinam ecclesiam beati Stephani in Monte in suae immunitatis tuitione suscepit, eisque mandat ut banc ecclesiam cum atrio in quo multorum principum corpora requiescunt et cum possessionibus et bonis omnibus defendere et manutenere curent. 284 |
| **1223** | | |
| 1 jan. | Apud Prechinam. | — Honorio papae scribit quidquid Gonzolinus dapifer suus et Bertholdus filius quondam ducis Conradi in Marchia Anconitana et ducatu Spoletano contra jura Ecclesiae Romanae fecerunt, id se nolente fuisse attentatum; nuntiatque se banna posita et juramenta recepta ab eisdem seu omnia mandata quae praesentibus contraria apparerent, penitus evacuasse et irrita declarasse. 286 |
| 1 jan. | Apud Precinam. | — Universis per Anconitanam Marchiam et per ducatum Spoletanum constitutis scribit se Gonzolinum dapiferum suum ad summum pontificem misisse ut pro omnibus excessibus quos in partibus istis commisit, satisfactionem congruam exhibeat; monetque ut cum banna posita et juramenta recepta relaxaverit, omnino summi pontificis seu legatorum ejus mandatis obediant. 287 |
| 4 jan. | Apud Prechinam. | — Universis notum facit quod cum ex sententia principum nullam auctoritatem thelonei in alicujus damnum praestare possit et comiti Gelrensi mandaverit ne ullum theloneum apud Arnheim, Osterbeck, Lobede vel ubicumque super Rhenum deinceps acciperet vel haberet, idemque comes mandatum suum contempserit, homines ecclesiae Ultrajectensis de Daventria et Sallandia novis theloneis molestando, hoc eidem sub poena indignationis suae denuo prohibet. 289 |
| 10 jan. | Apud Prechinam. | — Gerardo comiti Gelrensi mandat quod cum contra sententiam principum imperii ab episcopo Ultrajectensi theloneum apud Lobede et ab hominibus ejus de Daventria et Sallandia nova thelonea injuste extorqueat, ab his exactionibus sub poena indignationis suae omnino desistat. 291 |
| januar. | Apud Precinam. | — Abbatem et conventum de Hirschau cum omnibus bonis ejus in protectione sua suscipit, possessiones et libertates ejus confirmat, jubetque ut nullus subadvocatus ibidem constituatur nisi quem abbas et conventus postulaverint sibi dari. 292 |
| januar. | Capuae. | — Hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem re- |

| | | |
|---|---|---|
| **1223** | | |
| martio. | Apud Ferentinum. | — Hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum concedit ut in omnibus ecclesiis tam imperii quam patrimonii sui in quibus jus patronatus habet vel habebit, quotiescunque aliqua istarum vacaverit, portionem rerum mobilium quae ad opus imperii recipi consuevit domus illa ad usus suos percipiat necnon et omnes proventus ecclesiarum vacantium per totum annum. 336 |
| aprili (martio.) | Apud Ferentinum. | — Universis per imperium constitutis notum facit privilegium a se ipso hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum indultum super ecclesiis vacantibus, definiens quid tempore vacationis et post completum annum sit agendum. 339 |
| martio. | Apud Ferentinum. | — Ad supplicationem Theoderici (Dietrici) praepositi, privilegia monasterio Beronensi in Argovia a Friderico imperatore avo suo concessa confirmat. 341 |
| martio. | Apud Ferentinum. | — Isouem episcopum Verdeuensem et ecclesiam ejus cum personis et possessionibus sub sua speciali protectione suscipit, omnesque eis libertates confirmat. 342 |
| martio. | Apud Ferentinum. | — Andreae archiepiscopo Barensi renovat et confirmat privilegium a Constantia imperatrice matre sua anno 1195, mense novembri, Doferio tunc archiepiscopo indultum, cujus tenor inseritur. 342 |
| martio. | Apud Ferentinum. | — Andreae archiepiscopo Barensi in perpetuum concedit et confirmat casale Latertiam, Meduneum et canale in terra Bari cum quibusdam aliis donationibus ibidem expressis. 346 |
| martio. | Apud Ferentinum. | — Andreae archiepiscopo Barensi et successoribus ejus in perpetuum confirmat donationem huic ecclesiae factam a Frangali de Bitricto de castro Bitricti, si sine descendentibus legitimis decesserit. 347 |
| martio. | Apud Ferentinum. | — Guidonem priorem et fratres Eremi Camaldulensis cum bonis et hominibus eorum sub imperiali protectione sua recipit omnesque ipsorum possessiones confirmat, mandans nuntiis suis ut sine dilatione et difficultate iisdem in quibuslibet causis justitiam exhibere faciant, sub poena viginti quinque librarum auri a contrafacientibus solvendarum. 348 |
| 19 mart. | Sorae. | — Omnes concessiones ab antecessoribus suis ecclesiae Hamburgensi et monasteriis ad hanc dioecesim pertinentibus indultas confirmat, cum omnibus quae possident et in antea adipisci poterunt. 349 |
| 20 mart. | Apud Soram. | — Coloniensi archiepiscopo cui ecclesiam Beati Servatii apud Trajectum manutenendam commisit, mandat ut eamdem |

| 1223 | | |
|---|---|---|
| | | dam privilegia ducum Rogerii et Guillelmi, regis Rogerii avi sui sibi ostensa et de graeco in latinum translata necnon aliud privilegium imperatricis matris suae eidem ecclesiae de decimis, redditibus et judaeis Rossani indulta, renovat et in perpetuum confirmat. 364 |
| maio. | Cotroni. | — Sub protectione sua recipit Aldiardam Sancti Cesarii Arelatensis abbatissam cum ejus monasterio, omnesque possessiones confirmat, quarum praecipuae in hoc privilegio recensentur. 367 |
| maio. | Cotroni. | — Sub protectione sua recipit Guillelmum abbatem Sancti Petri de Monte Majore juxta Arelatem cum ejus monasterio, omnesque possessiones et donationes confirmat, quarum praecipuae in hoc privilegio recensentur. 369 |
| 23 maii. | Apud Maidam. | — Archiepiscopo Arelatensi et episcopo Cavallicensi mandat ut Willielmum de Sabrano, comitem Forcalquerii, jura monasterii Montis Majoris temere invadentem auctoritate sua compescant, sibi rei seriem rescripturi. 373 |
| 25 maii. | Mileti. | — Rogerio Miletensi episcopo mandat ut inquirat super querela Annae et Adelasiae et Johannis filii ejusdem Annae, qui in venditione quadam abbati Sancti Stephani de Bosco facta se deceptos fuisse asserebant; cujus vigore mandati, episcopus re perspecta idem monasterium ab impetitione sententialiter absolvit. 374 |
| 8 junii(?) | Apud Panormum. | — Universitati hominum terrae Thermarum concedit nundinas omni datia immunes annuatim celebrandas per tres dies, scilicet in festo beati Calogeri martyris, pridie et postridie ejusdem festi. 377 |
| 13 junii. | Apud Paternonem. | — Henrico de Morra magnae imperialis curiae magistro justitiario mandat ut causam audiat inter ecclesias, monasteria et milites Surrenti ex una parte et villanos Surrenti ex altera, suaeque curiae transmittat. Quam Rainaldus dux Spoleti, Jacobus Pattensis episcopus, Simon de Tocco, Petrus et Goffridus de Sancto Germano curiae judices per providentiam terminant. 378 |
| julio. | In urbe felici Panormi. | — Ad preces Petri diaconi cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum, dilecti amici sui, monasterium Sancti Petri de Amalphia Cisterciensis ordinis ab eodem cardinale fundatum in sua protectione suscipit, eique confirmat locum in quo constructum est cum tenimento, capellam Sancti Petri de Tuxoli aliasque possessiones quas ab eodem fundatore tenet. 387 |

| 1224 | | | |
|---|---|---|---|
| | | mat qua deciditur in favorem Thomasii praepositi Sanctae Mariae de Luco pro parte monasterii Cassinensis. | 431 |
| Junio. | In civitate Catanae. | — Sub protectione sua iterum recipit Sancti Cesarii Arelatensis abbatissam cum monasterio ejus, eique omnia bona et possessiones confirmat. | 434 |
| junio. | Syracusis. | — In unum privilegium redigi facit, renovat et confirmat duo privilegia a se monasterio Sanctae Mariae Montis Virginis indulta, primum mense maio 1221, secundum autem mense julio 1222. | 435 |
| julio. | Apud Syracusiam. | — Nicodemo archimandritae monasterii Sanctae Mariae de Terreto duo privilegia a comite Rogerio et a rege Rogerio praedecessoribus suis eidem monasterio indulta confirmat. | 444 |
| 2 julii. | Syracusiae. | — Camerario Calabriae, bajulis Regii, Mesae, Sanctae Agathae, Sancti Niceti et Tuchii mandat, ut cum praedicta privilegia ipse confirmaverit, idem monasterium in possessionibus ejus minime molestare praesumant. | 445 |
| [Julio circiter.] | . . . . . . . | — Mandata edit varia super reformatione seu ordinatione studii generalis apud Neapolim. | 447 |
| august. | Syracusiae. | — Pafnutium abbatem et conventum monasterii Petri et Pauli de Spanopetro in tenimento Arenarum cum omnibus eorum bonis sub sua protectione recipit. | 454 |
| august. | Apud Syracusas. | — Antonio abbati monasterii Roccadiae Cisterciensis ordinis privilegia sibi juxta constitutionem Capuae editam resignata restituit, possessionesque, jura et libertates quae in eis continebantur specialiter recenset et confirmat. | 455 |
| sept. | Cathaniae. | — Ad requisitionem Alberti Magdeburgensis archiepiscopi, comitis Romaniolae et Lombardiae legati, renovat et inserendo confirmat privilegium a Conrado secundo Romanorum rege collatum, quo confirmantur omnes donationes ab imperatoribus Ottone primo, secundo et tertio necnon et ab Henrico secundo eidem ecclesiae factae. | 458 |
| nov. | Catanae. | — Cum Ludovico Francorum rege hanc confoederationem init quod homines regni ejus contumaces vel rebelles non receptabit et idem rex imperii rebelles seu forisbannitos non ipse receptabit; addito quod cum rege Angliae et cum haeredibus ejus nullam imperator confoederationem faciet. | 461 |
| 10 nov. | Trapani. | — Comitibus, baronibus, justitiariis, caeterisque officialibus in regno Siciliae constitutis mandat ut abbatem et conventum Sancti Petri de Amalfia Cisterciensis ordinis in homi- | |

| 1225 | | |
|---|---|---|
| 28 julii. | Ap. Sanctum Germanum. | — Scribit Honorio papae se Albanensem episcopum et Sancti Martini cardinalem ad se venientes honorabiliter suscepisse, et super iis quae rex et patriarcha Jerosolymitanus et magister Theutonicorum tractaverunt, juxta ipsius beneplacitum processisse. 500 |
| julio. | Ap. Sanctum Germanum. | — Jurat personaliter et in anima sua Raynaldum ducem Spoleti jurare facit se ab instanti augusto praesentis anni ad duos annos in subsidium Terrae Sanctae transiturum, ibidemque per hoc spatium temporis mille militibus provisurum; depositurum insuper in manibus regis et patriarchae Jerosolymitani et magistri Hospitalis Theutonicorum centum millia unciarum auri, quae sibi post transfretationem reddentur in servitio Dei expendenda vel ad arbitrium eorumdem, si non transiverit. 501 |
| 26 julii. | Ap. Sanctum Germanum. | — Monasterio Sancti Salvatoris in monte Amiato privilegium a patre suo Henrico sexto imperatore apud Pisas, 20 julii 1194, indultum renovat et confirmat. 503 |
| julio. | Ap. Sanctum Germanum. | — Engelberto Coloniensi archiepiscopo et ecclesiae ejus in feudum concedit et donat praedium in Richterich quod Theodericus de Hemysberch (Heinsberg) ab imperio tenebat et suis manibus resignaverat. 505 |
| julio. | Ap. Sanctum Germanum. | — Canonicis majoris ecclesiae Spirensis ecclesiam in Ezzelingen cum omnibus justiciis, proventibus et tenimentis ejus confirmat, quam in deportatione corporis Philippi patrui sui jamdudum eisdem concesserat. 506 |
| julio. | Ap. Sanctum Germanum. | — Ad supplicationem Martini episcopi Aretini, ei et ecclesiae ejus privilegium a patre suo Henrico imperatore anno 1196, 21 octobris, indultum inserendo confirmat. 508 |
| [julio.] | Ap. Sanctum Germanum. | — Pro gratis servitiis burgensium de Rheinfelden, eis confirmat omnes bonos usus et approbatas consuetudines, libertates et jura quae hactenus habuisse noscuntur, statuitque ne ullo unquam tempore ipsi et haeredes eorum a demanio suo et Henrici Romanorum regis filii sui ac imperii distrahi seu alienari debeant, sub poena centum librarum auri contravenientibus imposita. 511 |
| augusto. | Ap. Alifiam. | — Ab Ekkeberto episcopo Bambergensi feudum ecclesiae ejus in Mortenowe, quod olim dux de Zeringen ab illa tenuit, sibi et filio suo Henrico regi et haeredibus suis recipit; pro qua receptione quatuor millia marcarum argenti partim solvit, partim infra tempus praefixum se soluturum fore promittit. 512 |

| 1226 | | |
|---|---|---|
| januar. | . . . . . . . | — Hermanno magistro domus Sanctae Mariae Theutonicorum et fratribus ejus confirmat omnia bona quae in regno Hierosolymitano a praedecessoribus Isabellae conjugis suae habent et habituri sunt, quorum nomina et fines seriatim exprimuntur, necnon barbacanam, turres, muros et fossatum ab Henrico Trecensi comite concessa cum parte acquisitionis super Sarracenos et libertate omnimoda tam in mari quam in terra; quam confirmationem Isabella quoque Romanorum imperatrix notam facit. 531 et 536 |
| 1 febr. | Salerni. | — Universis per Frisiam constitutis scribit ut in comitatu suo, dum ad liberationem Terrae Sanctae transfretare disponat, denuo laborem Crucis subeant et navalem exercitum praeparent, cum jam eorum fortitudinem et prudentiam praesertim in expeditione Damiatae exterae nationes expertae fuerint. 540 |
| martio. | Apud Piscariam. | — Petente Friderico abbate Rotensi, privilegium illi monasterio per fundatorem ejus ab Henrico IV imperatore, anno 1086 circa mensem aprilem, obtentum inserit et confirmat, praeter clausulam ubi erat rasura. 543 |
| [martio circiter]. | . . . . . . . | — Encyclicam mittit qua communitatibus mandat ut praeparent milites ad suam praesentiam transmittendos, quum intendat apud Cremonam solemnem curiam celebrare. 548 |
| martio. | Ariminae. | — Hermanno magistro domus Sanctae Mariae Theutonicorum et fratribus ejus concedit auctoritatem accipiendi terram Culm et totam terram quam eidem domui Conradus dux Masoviae et Cujaviae promisit et obtulit, necnon partes Prussiae invadendi et ibidem exercendi debita imperii jura sine ullo servitio vel exactione. 549 |
| aprili. | Apud Ravennam. | — Monasterium Sanctorum Petri et Pauli in Wilzeburg cum omnibus possessionibus ejus sub sua protectione recipit. 556 |
| aprili. | Apud Ravennam. | — Monasterio Sancti Pauli de Lavant in Carinthia privilegium ab avo suo Friderico primo imperatore concessum confirmat. 558 |
| aprili. | Apud Ravennam. | — Gualderadam abbatissam monasterii Sancti Andreae in Ravenna et sorores ejus in protectione sua recipit speciali, eique omnes possessiones et bona perpetuo confirmat. 558 |
| aprili. | Apud Ravennam. | — Heriuino Musteriensi (Tarentasiensi) archiepiscopo privilegium Henrici imperatoris patris sui eidem ecclesiae indultum renovat et confirmat, statuitque ut bona decedentium archiepiscoporum integre successoribus eorum reserventur. 560 |

| 1226 | | |
|---|---|---|
| augusto (julio). | Apud Sarzanam. | — Burgum Sarzanae cum pertinentiis ejus et habitantes in eo sub speciali sua protectione recipit, ita quod nulli alii subsint vel respondere cogantur nisi sibi aut legatis et capitaneis suis qui pro tempore ibidem extiterint ordinati. 667 |
| julio. | Ap. Sanctum Miniatum. | — Johanni abbati Sancti Salvatoris et Sanctae Mariae de Ficicio confirmat unum privilegium et unum scriptum ab Henrico patre suo eidem monasterio concessa, omniaque jura et possessiones ibidem memorata recenset. 668 |
| julio. | Ap. Sanctum Miniatum. | — Notum facit universis quod cum domus Sanctae Mariae Theutonicorum Jacobum de Amigdala, filium junioris filiae comitis Jozcelini, investiverit de portione quae contingit eum in bonis ejusdem comitis pro parte matris, idem Jacobus eamdem domum, haec bona ex venditione Beatricis primogenitae comitis ejusdem possidentem, assecuravit et convenit restituere eidem domui illam pecuniae quantitatem quam pro redimenda hac portione creditoribus suis exsolverat. 671 |
| augusto. | Ap. Orgiam. | — Universos homines de Massagrossa in sua speciali protectione recipit bonasque eorum consuetudines confirmat, salvis jure imperii et rationibus quas canonicis Lucensibus exhibere debent. 672 et 673 |
| augusto. | In villa Sancti Gemini. | — Tancredo Vescoute de Campilio castrum de Fighina et Balneum illi haereditario jure devoluta jure feodi confirmat. 674 |
| 29 aug. | Asculi. | — Honorio papae conqueritur de conjuratione Lombardorum et eorum qui post concordiam apud Mercariam firmatam eidem conjurationi adhaeserunt sibique et imperio graves injurias intulerunt, curiam impediendo Cremonensem; causam vero inter se et Lombardos praedictos ordinationi papae et cardinalium committit. 675 et 676 |
| 27 sept. | Foggiae. | — Universitati castri Sancti Miniatis et omnibus fidelibus ad eamdem castellaniam pertinentibus mandat ut intendant et respondeant Everardo nepoti Rainaldi ducis Spoleti et imperialis Tusciae legati, nunc castellano Sancti Miniatis constituto. 677 |
| 1 octob. | Foggiae. | — Magistrum Arnoldum [in Alemannia verbum Crucis praedicantem] monet quomodo curia Cremonensis a rebellibus Lombardis fuerit impedita, rem autem ordinationi summi pontificis ipse commiserit; rogatque ut crucesignatos inducat ut veniant tempore indicti passagii generalis. 678 et 679 |
| octobr. | Foggiae. | — Raymundo Berengario comiti Provinciae confirmat comitatum Provinciae et Forcalquerii necnon omnia privilegia a prae- |

| 1226 | | |
|---|---|---|
| | | decessoribus suis antecessoribus ejus indulta, ad revocationem ablatorum plenariam ei concedens potestatem. 680 et 681 |
| octobr. | Foggiae. | — Jurisdictiones, potestates, consulatus, regimina et alia statuta quae in comitatu Provinciae et Forcalquerii quaedam civitates contra imperii dignitatem exercent, revocat et cassat, similia de caetero fieri prohibens. 682 et 683 |
| octobr. | Foggiae. | — Revocat omnes immuuitates, concessiones et alienationes imperii honori contrarias factas per Ildefonsum et Raymundum Berengarinm filium ejus, comites Provinciae, tuuc in minori aetate constitutos. 684 |
| octobr. | Foggiae. | — Gerbardo comiti Gelrensi privilegium suum datum apud Ferentinum (martio 1223) de translatione thelonei ejus apud Arnheim ad villam Lobith renovat et confirmat, firmiterque sub poena indignationis suae praecipit ne quis eumdem comitem in percipiendo theloneo impedire praesumat. 685 |
| uovemb. | Foggiae. | — Monasterium Sancti Emmerani apud Ratisponam cum omnibus possessionibus ejus, in specialem suam recipit protectiouem. 689 |
| novemb. | [Foggiae]. | — Mandat abbatem et conventum Sanctae Mariae de Stella Florensis ordinis, Amalphitanae dioecesis, debere gaudere omnibus privilegiis, immunitatibus et libertatibus quas ordo Florensis tempore imperatoris Henrici patris sui habere consuevit. Suscipit insuper monasterium in sua protectione eique confirmat bona quaedam apud Majorum. 690 |
| 17 nov. | Foggiae. | — Honorium papam rogat ut negotium Lombardorum quod quasi importabile recusavit, humeris sustineat, promittens a se ratum habendum quidquid in hac re pro honore imperii et Ecclesiae fuerit ordinatum, nuntiatque se Tyrensem et Regiunm archiepiscopos magistrumque Theutonicorum ad curiam Romanam mittere, quibus fidem plenam adhibere debeat. 691 |
| 29 nov. | Foggiae. | — Petro de Ebulo mandat ut capitula inter se et magistrum Hospitalis [Sancti Johannis] in Jerusalem per summum pontificem ordinata exequatur, et quicquid frater Cubaldus Rodianus nomine dicti magistri rogaverit, observet et ab omnibus officialibus curiae faciat observari. 694 |
| 3 dec. | Foggiae. | — Universis officialibus per regnum Siciliae constitutis inhibet ne monasterium Sanctae Mariae Montis Virginis in liberis plateaticis et pascuis pro omnibus animalibus obedientiarum |

---

*Honorius III, summus pontifex:*

| | | |
|---|---|---|
| **1225** | | mandata sua de expeditione Terrae Sanctae deferant ipsumque ad ea servanda etiam sacramento astringant. 498 |
| 25 sept. | Reate. | — Friderico Romanorum imperatori nuntiat se ecclesiis Capuanae, Salernitanae, Brundusinae, Consanae et Aversanae diu vacantibus tandem providisse, personas idoneas ordinando de regno oriundas et fideles, ipsumque hortatur ut novos praelatos accipiat et honoret juraque eis conservet integra. 522 |
| **1226** | | |
| 24 jan. | Reate. | — Friderico Romanorum imperatori nuntiat quomodo preces ejus super absolutione comitis Tripolitani admittere non potuerit, cum nuntii ejusdem comitis conditiones a cardinalibus oblatas recipere noluerint. 538 |
| 30 jan. | ....... | — Comitem Tripolitanum anathematis sententia iterum percellit ejusque terras interdicto subjicit. 539, not. 1. |
| 17 feb. | Laterani. | — Friderico Romanorum imperatori scribit ut regem Cypri Henricum aetate minorem recommendatum habeat. 541 |
| [aprili circiter.] | ....... | — Friderico Romanorum imperatori scribit increpando super eo quod non contentus finibus quibus contenti fuerant ii qui ipsum in imperio antecesserunt, patrimonium beati Petri invadere praesumpsit; quare monet eum sub poena excommunicationis quatenus Apostolicae Sedis jura de caetero per se vel per alium nullomodo inquietet. 552 |
| [maio vel junio.] | Laterani. | — Friderico Romanorum imperatori scribens vehementer de ipso conqueritur quod Ecclesiam Romanam diffamare nitatur, cujus beneficia erga ipsum diffuse enumerat; contra autem, violentias ejus erga episcopos regni, perfidiam erga Thomasium de Celano caeterosque comites, ingratum in socerum ipsius animum, patrimonii beati Petri iniquam aggressionem exprobrat, monens ne illum prospera seducant et a debita devotione removeant. 588 et 589 |
| 9 junii. | Laterani. | — Friderico Romanorum imperatori scribit, hortaturque ut regi Daciae ab Henrico comite de Zwerin carcerato et oppresso opem ferat. 608 et 609 |
| exeunte junio vel julio ineunte. | ....... | — Friderico Romanorum imperatori conquerendo scribit quod Tancredus de Campelio una cum Bertholdo, imperiali [in Tuscia] nuntio, viros ad Sedem Apostolicam venientes sive redeuntes in stratis ceperit et ipsorum litteras a se impetratas publice legi fecerit; quod non sine ipsius conniventia fieri potuit. Unde ad correctionem tantorum excessuum, ut debet, procedere disponit. 633 |

| | | |
|---|---|---|
| **1227** | | Anconitana, ducatu Spoleti, Reate ac Sabinia. 710, not. 1. |
| [januar. exeunte.] | . . . . . . . | — In hos invehens qui frumentum malitiose occultant, Fridericum Romanorum imperatorem rogat ut mittat frumentum ad Urbem tempore famis, exemplumque memorat paparum Alexandri et Lucii qui in simili casu ad reges Siciliae habuere recursum et benignum responsum acceperunt. 710 |
| 21 feb. | Laterani. | — Fridericum Romanorum imperatorem hortatur ad relaxandum imperiale bannum cui civitas Massilia subjecta fuit, cum cives iidem excommunicationis vinculo quo propter injurias episcopo ipsorum illatas tenebantur fuerint absoluti, et ad dimittendos Petrum de Sancto Jacobo et Guillelmum Vivaldum concives eorum crucesignatos, quos ob eamdem causam cepit et adhuc detinet. 714 |
| [februar. exeunte.] | . . . . . . . | — Rectoribus societatis Lombardiae mandat ut celeriter litteras ipsorum de accipiendo compromisso transmittant, et interim quae pro Terrae Sanctae succursu facere tenentur praeparent, ita ut imperatori notitia non veniat quod tamdiu missionem litterarum distulerint neque eidem occasio praebeatur eumdem succursum differendi. 715 |

---

*Henricus (VII) Romanorum rex :*

| | | |
|---|---|---|
| **1220** | | |
| 1 sept. | Ulmae. | — Ratam habet patris sui Friderici II donationem Rappotoni majori praeposito totique capitulo Augustensis ecclesiae super advocatiis villae Aitingen factam. 719 |
| **1221** | | |
| 18 julii. | Fuldae. | — Fridericum episcopum Halberstadensem monet ut super querela Conradi episcopi Hildesheimensis contra burgenses loci ejusdem cognoscat et quod justum sit statuat. 723 |
| [sept. circiter.] | . . . . . . . | — Friderico Romanorum imperatori patri suo notum facit quod Conradum Hildesheimensem electum et ab archiepiscopo [Maguntinensi] confirmatum regalibus episcopatus Hildesheimensis investivit, rogatque ut talem investituram auctoritate imperiali confirmare dignetur. 725 |
| [sept. vel octobri.] | . . . . . . . | — Henricum Saxoniae ducem rogat ut ministeriales ecclesiae Hildesheimensis Conrado electo contradicentes ad devotionem et pacem inducere studeat, sibi quid super hoc egerit rescripturus. 726 |

| | | |
|---|---|---|
| **1222** | | |
| 12 mart. | Apud Wormatiam. | — Ad petitionem Gebhardi electi Pataviensis, fert sententiam quod nemo teneatur ex jure vel ex debito concedere vel solvere feoda quae tantum ex camerae proventibus sunt distincta. 728 |
| 13 mart. | Wormatiae. | — Ad petitionem Gebhardi electi Pataviensis, promulgat sententiam curiae suae de rebus episcopatus non alienandis absque consensu chori et ministerialium. 729 |
| 13 mart. | Apud Wormatiam. | — Ad petitionem Gebhardi electi Pataviensis, proscriptionis sententiam promulgat adversus Alramum et Albertum fratres de Hals multosque alios ibidem nominatos malefactores, eo quod per eos ecclesia Pataviensis circiter sex millibus marcarum tempore expeditionis transmarinae damnificata fuerit. 729 et 730 |
| [martio circiter.] | . . . . . . . | — Alberto comiti de Bogen mandat ut Gebhardo electo Pataviensi ejusque ecclesiae promissum plene solvat quo juxta tenorem conventionis ibidem insertae castrum Hals in ejus potestate datum fuit, usque dum domini de Hals de damnis et injuriis huic ecclesiae illatis satisfecissent. 731 |
| 16 mart. | Wormatiae. | — Ratam habet donationem coram episcopo et consiliariis Wormatiae coenobio Beatae Mariae in Otterburg factam a Rudewino milite de Flamburnen et Massivilia ejus uxore de curte quadam Wormatiae sita. 733 |
| 22 april. | . . . . . . . | — Decano Beatae Mariae et advocato Aquensi mandat ut ecclesiam Beati Adalberti super bonis apud Bastwiire contra comitem Juliacensem et super bonis apud Olne et Sorun contra Walramum de Montjoie ex parte sua tueantur. 734 |
| 24 april. | Ap. Werdam. | — Ratam habet donationem a Marquardo notario suo Eberhardo abbati de Salem factam de domo quam apud Ulmam propriis sumptibus ista fundavit, cum capella et curte eidem attinentibus. 735 |
| 27 april. | Aquisgrani. | — Notam facit compositionem mediante Engelberto Coloniensi archiepiscopo initam inter Tiricum Dunrestein et ecclesiam Aquensem super decimis et aliis bonis quae eadem ecclesia habet apud Sinzig. 737 |
| 9 maii. | Aquisgrani. | — Privilegium a patre suo ecclesiae Sancti Servatii in Trajecto concessum confirmat, quasdam addit exemptiones, concessionemque a praeposito Aquensi et Trajectensi factam eidem ecclesiae ratam habet. 738 et 739 |
| 11 maii. | Aquisgrani. | — Ecclesiam Beati Adalberti de Aquis sub sua speciali protectione recipit et ei confirmat omnia quae praedecessores |

| 1222 | | |
|---|---|---|
| | | sui caeterique fideles Christi donaverunt, specialiter autem quidquid imperator Henricus secundus ejusdem ecclesiae fundator contulerat. 740 |
| 11 maii. | Aquisgrani. | — Henrico (Hugoni) Leodiensi episcopo et praeposito, decano et capitulo majoris ecclesiae in Leodio scribit se confirmare donationem ab avo et patre suo super bonis in Freren eidem ecclesiae factam, eis committens jus alios sacerdotes locandi et quaestiones decidendi, vetansque ne dux Lotharingiae praedictae villae et hominibus ejus se ullo modo intromittat. 742 |
| maio. | Apud Aquisgranum. | — Henrico duci Lotharingiae et Brabantiae omnia bona quae Philippus apud Confluentiam et Fridericus pater suus apud Frankfurtum ei in rectum feudum concesserunt, ipse de consilio et voluntate principum concedit. 743 |
| maio. | Aquisgrani. | — In solemni curia sua sententiam pronuntiat de jure feodali super feodis et allodiis a duce Lotharingiae et Brabantiae exercendo, de servis et hominibus advocatiarum retinendis et de tutela parvulorum usque ad duodecimum annum duci adjudicata. 744 et 745 |
| 29 maii. | Apud Frankenvort. | — Monasterium de Steingaden in quo sepultus est avunculus quondam suus dux Welfo in omnibus bonis ejus vult esse munitum. 746 |
| 29 maii. | . . . . . . . | — Iterum confirmat patris sui Friderici II donationem Rappotoni majori praeposito totique capitulo Augustensis ecclesiae super advocatiis villae Aitingen factam. 746 et 747 |
| 2 junii. | Apud Wormatiam. | — Ad imitationem patris sui, domum hospitalis Sanctae Mariae in burgo suo apud Lutram cum bonis et personis ejus sub sua speciali protectione recipit. 747 |
| 23 junii. | Ap. Ulmam. | — Ecclesiam Fancensem in specialem suam et imperii recipit protectionem, eamque simul commendat praepositis et officiatis suis circa possessiones ejusdem ecclesiae commorantibus. 748 |
| 23 sept. | Aquisgrani. | — Praeposito, decano, archidiacono, totique capitulo Leodiensi scribit se donationem illis factam de villa Freren inconvulsam conservare velle, eisque concedere ut jus imperiale contra Brabantiae ducem persequantur. 749 |
| . . . . . | . . . . . . . | — Engelberto Coloniensi archiepiscopo mandat ut capellanos suos de choro Sancti Lamberti contra ducem Brabantiae advocatiam de Freren contra jus possidentem diligenter adjuvet. 750 |

| | | | |
|---|---|---|---|
| **1222** | | | |
| 10 dec. | Apud Uberlingen. | — Monasterio de Salem concedit et confirmat ut ei liceat facere commutationes cum quibuscumque aliis ecclesiis, sive etiam cum ministerialibus suis, burgensibus, plebeianis, etc.; eisdemque hominibus suis licentiam concedit bona ipsorum mobilia vel immobilia eidem monasterio tradendi. | 751 |
| **1223** | | | |
| 15 feb. | Ulmae. | — Conventui in Roth confirmat hoc privileginm ut nullum advocatum habeat, sed immediate cum omnibus possessionibus ejus sub regali protectione permaneat, et in futurum ratum habet quidquid regii ministeriales et mercatores eidem conventui contulerint. | 752 et 753 |
| 16 mart. | Apud Augustam. | — Mandat ne quis damnum inferat monasterio de Roth super curte in Memmingen, quam R. praepositus de Schöngan eidem monasterio contradidit. | 754 |
| [aprili circiter.] | . . . . . . . | — Henrico duci Saxoniae et Alberto duci Angariae mandat ut cum summus pontifex et dominus imperator Conrado Hildeshemensi episcopo vices dederint servandae pacis in partibus istis, ad locum et diem quos idem episcopus praefixerit accedant, pacem concorditer juraturi. | 755 |
| 6 maii. | Haguenau. | — Compositionem init praeviam cum Argentinensi electo super Rheinau, Wasselnheim, Molsheim, Mutzig, possessionibus aliis juribusque controversis. | 755 |
| [maio.] | Apud Hagenoviam. | — Confirmat et ratam habet donationem a patre suo Friderico imperatore factam Alberoni abbati et fratribus Novicastri (Neuenbnrg) de processn unius navis in ascensu et descensu Rheni, cum immunitate cujuscunque thelonei et exactionis. | 758 |
| maio. | Spirae. | — Donationem a patre suo Friderico imperatore factam abbatiae Neuenburgensi de una navi in Rheno, cum immunitate thelonei et exactionis cujuslibet ratam denuo habet et confirmat. | 760 |
| [maio.] | Stalbuhel. | — Mandat omnibus ad quos beneficium in Sassenheim et in Luttershusen fuerit devolutum, ne fratres Schonaugiensis conventus in libera possessione curiae Marpach et attinentiarum ejus inquietare praesumant. | 760 et 761 |
| 13 maii. | Apud Franckfort. | — Notum facit quomodo lis et controversia inter Ludovicum ducem Bavariae et pueros quondam G. de Erpach ministerialis et pincernae sui in praesentia fidelium suorum sopita et determinata fuerit; salva tamen ratihabitione imperatoris patris sui. | 762 |

| 1223 | | |
|---|---|---|
| 26 junii. | Apud Wirzburg. | — Toti familiae ecclesiae Corbeiensis notificat quod coram se, dictante principum imperii sententia, abbati Hermanno Corbeiensi electo varia jura ibidem expressa adjudicata fuerunt. 763 |
| 6 julii. | Ap. Ulmam. | — Universis consulibus in Thurego maudat ut praepositum et capitulum ejusdem loci contra Ulricum castellanum de Schnabelburg tueantur. 764 |
| 4 aug. | Wirceburg. | — Domui Sanctae Mariae Theutonicorum castrum in Wernecke et caetera bona ipsi a Bodone de Rabenspurg quondam donata et ab imperatore patre suo confirmata, postea autem cum aliis bonis Conradi de Reichenberg et Conradi de Smideveit commutata confirmat. 765 |
| 15 aug. | Nordhausen. | — Advocato et burgensibus de Goslar maudat ut censum arearum civitatis Goslariensis, ecclesiae Goslariensi a praedecessoribus suis concessum, singulis annis colligi faciant et ecclesiae integraliter repraesentent. 768 |
| 11 sept. | Nordhausen. | — Monasterio de Volkolderoth confirmat traditionem molendini in Burrich ei sub annuo censu factam a Swikero et Conrado de Mulhausen, ministerialibus imperii, idem ab omni jure exactionis et collectae eximit, eique bona civitati Mulhausen adjacentia quae possidet seu adipisci poterit confirmat. 769 |
| [sept. | Nordhausen]. | — Per speciale privilegium monasterio de Volkolderoth confirmat traditionem molendini in Burrich ei sub anno censu duarum marcarum factam a Swikero et Cunrado de Mulhausen, ministerialibus imperii. 770 |
| 11 sept. | Nordhausen. | — Monasterio Eberacensi praedium et parochiam Schwabach, ad exemplum avi sui Henrici VI et patris sui Friderici II imperatorum, confirmat. 771 |
| 12 sept. | Nordhausen. | — Abbati et coenobio de Helmershausen privilegia a praedecessoribus suis indulta renovat, eisdem fere verbis quibus Conradus III anno 1144 usus fuerat. 773 |
| 14 sept. | Nordhausen. | — Burgensibus Goslariae renovat quasi de verbo ad verbum privilegium Friderici patris sui, eidem civitati indultum anno 1219, 13 julii. 775 |
| 20 sept. | Nordhausen. | — Ad petitionem N. Aquensis et Trajectensis praepositi, ecclesiae Sancti Servatii in Trajecto confirmat privilegium exemptionis a patre suo Friderico imperatore, 9 decembris anno 1220, eidem ecclesiae concessum. 775 |

| | | | |
|---|---|---|---|
| **1223** | | | |
| 21 sept. | Apud Northusen. | — Privilegium a Friderico patre suo monasterio in Walkenried indultum inserit et confirmat, necnon et caetera privilegia a praedecessoribus suis eidem monasterio concessa; abbatemque et fratres cum eorum possessionibus in sua speciali protectione recipit. | 776 |
| 22 sept. | Nordhausen. | — Inserendo confirmat duplex Friderici imperatoris patris sui privilegium de reformatione ecclesiae Northusensis, vetans ne quis id infringere praesumat et ampliorem gratiam eidem ecclesiae promittens. | 778 |
| 30 sept. | Altenburg. | — Notum facit fratres de Cella Sanctae Mariae bona sua quae milites de Nozin violenter usurpaverant, dictante sententia, jure plenario obtinuisse. | 780 |
| 18 oct. | Nurimberg. | — Praeposito suo de Moringen bona claustri de Staingaden protegenda committit, nominatim contra gravamina praepositi de Reitembuoch (Raitenbuch). | 781 |
| 10 nov. | Ap. Egram. | — Judiciali sententia decernit ne in vicinitate monasterii Waldsassen vel praediorum ejus castrum aedificetur. | 782 |
| **1224** | | | |
| 8 jan. | Apud Wormatiam. | — Monasterium Sanctae Mariae juxta muros Bopardiae in specialem protectionem suam recipit eique omnia bona confirmat, jubens ut ab onere et servitio quolibet liberum permaneat, inhibensque ne omnino eleemosinae ab antecessoribus suis collatae, quas recenset, in usus vertant laicorum. | 784 |
| 8 jan. | Apud Wormatiam. | — Ob praeclara obsequia universorum hominum de Wimpina, eis dat forestum suum apud Wollenberg in proprietatem, jure illo quod vulgariter dicitur Algemeine perpetuo possidendum. | 786 |
| 20 jan. | Apud Hagenowe. | — Monasterio Sanctae Walpurgae in sacra silva ab atavo suo duce Friderico fundato concedit ut pro necessitate salis navem unam habeat per alveum Rheni perpetuo sine aliqua thelonei exactione. | 788 |
| 24 feb. | Apud Hagenowe. | — Sculteto et universis civibus de Berno praepositum et conventum ecclesiae Interlacensis commendat defendendos contra violentias eisdem a Waltero de Eschenbach illatas. | 789 |
| 28 febr. | Apud Hagenaw. | — Abbatissae et conventui sanctimonialium apud Hohenburg concedit ut officiati earum ubicumque residentes ab omni collecta sint exempti, sicut temporibus praedecessorum suorum haetenus exempti fuerunt. | 790 |
| [febr.] | Haguenau. | — Monasterium Omnium Sanctorum in Schwarzwald a duce Welfone et uxore sua Utha fundatum cum personis et rebus in | |

| 1224 | | |
|---|---|---|
| | | sua protectione recipit, et eidem confirmat jus patronatus in ecclesia de Nusbach, hospitale sanctorum Simonis et Judae atque hospitale sanctorum Jacobi et Johannis apud Urluf. 791 |
| 3 april. | Apud Wimpinam. | — Una cum genitore suo Friderico II imperatore renuntiat advocatiae monasterii Campidonensis, pro quinquaginta marcis argenti annuatim camerae regiae persolvendis. 792 et 793 |
| 9 maii. | Apud Weingarten. | — Scultetis et burgensibus suis de Uberlingen et de Ravensburg notum facit se domos et possessiones quas ibidem monasterium de Angia possidet, ab omni exactione liberas esse velle. 794 |
| 20 maii. | Frankinvort. | — Abbatem et conventum de Aulisburg qui apud se querimoniam deposuerant super violentias a comite Wernero de Battenberg ipsis illatas, in sua speciali protectione recipit. 795 |
| maio. | Frankinfort. | — Notificat sententiam in solemni curia sua latam quod quicumque argentum vendere voluerit ad monetam illud debeat praesentare, nisi quis in peregrinatione proficisci voluerit. 795 |
| [maio]. | Frankenfort. | — Pro gratis et acceptis servitiis Gerardi comitis Gelrensis, de mandato imperatoris patris sui et consilio principum, theloneum quod ipse comes et pater ejus ab imperio apud Arnheim tenebant in feodo, ad villam Lobeth Trajectensis dioecesis transferendum indulget. 796 |
| 23 julii. | Apud Nurnberg. | — Confirmat sententiam a principibus imperii ad requisitionem Salzburgensis archiepiscopi latam, scilicet quod nulli liceat aliquem in mercimoniis suis deportandis seu negotiationibus faciendis impedire. 799 |
| 23 julii. | Nuremberg. | — In praesentia principum imperii, Eberhardum archiepiscopum Salzburgensem denuntiat absolutum ab impetitione Bertholdi comitis de Graifesbach super possessione castri et redituum in Matrei. 800 |
| 23 julii. | Nuremberg. | — Monasterium de Cella Sanctae Mariae Misnensis dioecesis cum hominibus et possessionibus ejus in sua protectione suscipit, eique confirmat quicquid a ministerialibus imperii adipisci poterit. 801 |
| 25 julii. | Nuremberg. | — Ecclesiis Staingaden et Raitenbuch nec non G. de Crozoch fideli suo extirpationem nemorum tam ad ipsas quam ad regem spectantium exprobrans, Augustensi episcopo mandat ut per praepositum de Moringen aedificia nova ibi constructa destruat; qui ambo assumtis officiatis regis de Scongov et |

| 1224 | | |
|---|---|---|
| | | Buren, de causa cognoscant et nemora in meliorem cautelam committant. 802 |
| 9 sept. | Apud Susatum. | — Permutationem praedii ab ecclesia de Rumbike cum ecclesia Corbeiensi factam ratam habet et confirmat, eamdemque ecclesiam de Rumbike sub speciali sua protectione recipit. 804 |
| 20 sept. | Hervorden. | — Ad interventum Engelberti Coloniensis archiepiscopi, feodaliter porrigit comitatum de Emsgau et quaedam alia feoda nobili dominae Sophiae, uxori comitis Ottonis de Ravensburg. 806 |
| 10 oct. | In castris ap. Biekede. | — Monasterium Poeldense cum possessionibus ejus in sua speciali protectione recipit, eique bona confirmat quae a ministerialibus imperii adipisci poterit. 807 |
| [octob. circiter.] | . . . . . . . | — Donationem ab Henrico duce Saxoniae monasterio Walkenriedensi factam, pro sua haereditatis portione quam a marchione Badensi ejusque conjuge emit, confirmat. 808 |
| 12 nov. | Apud Francfort. | — In protectione sua suscipit Bertam abbatissam de Gandersheim et ecclesiam ejus, statuens ut decedenti abbatissae quae successerit in possessione bonorum mobilium nullomodo turbetur. 810 |
| 17 nov. | Ap. Tullum. | — Henricum abbatem et conventum Gemblacensem cum omnibus hujus ecclesiae bonis in sua protectione suscipit, eisque immunitates et privilegia ibidem expressa confirmat. 812 |
| 4 dec. | Haguenau. | — Super sopienda controversia de feudo suo, quod progenitores sui ab ecclesia Wirzeburgensi habuerunt et ipse habere debet, approbat arbitros ex utraque parte constitutos et formam ipsius arbitrii, locum scilicet et terminum. 814 |
| 6 dec. | Haguenau. | — Notum facit universis quod capitulum et archipresbyter Werdensis ecclesiae ad petitionem suam et Coloniensis archiepiscopi, capellam in Rath in parochia Werdae sitam consecrari permiserunt, sub certis quibusdam conditionibus ibidem expressis. 815 |
| 20 dec. | Basileae. | — Monasterio Lucellensi (Lützel juxta Basileam) quamdam donationem impertitur. 816 |
| 27 dec. | Ap. Bernum. | — Gerardo archiepiscopo Bisuntino adjudicat investituram portarum et stratarum quas cives Bisuntini ei denegabant. 817 |
| 28 dec. | Ap. Bernum. | — Ex sententia principum curiae suae, revocat communitates a civibus Bisuntinis contra Gerardum archiepiscopum ejusdem loci statutas. 817 |
| 28 dec. | Ap. Bernum. | — Notum facit universis quod ex sententia principum Clementiam quondam ducissam Zaringiae a captivitate liberare |

| | | |
|---|---|---|
| **1224** | | debet et eam seu nomine ipsius Stephanum comitem Burgundiae patrem ejus mittere in possessionem castri Burgdorf et omnium bonorum quae Bertholdus quondam dux Zaringiae eidem in dote contulit. 818 et 819 |
| 28 dec. | Ap. Bernum. | — Notificat sententiam a suis principibus pro Libaldo de Bafrimont latam, scilicet ut hominibus ejusdem Libaldi in vallibus de Hausburg non liceat communitates, constitutiones et conjunctiones fidei vinculo firmatas inire sine consensu ipsorum domini. 819 et 820 |
| 28 dec. | Ap. Bernum. | — Ad preces Petri decani et Folmari archidiaconi majoris ecclesiae Tullensis, approbat et confirmat duo privilegia eidem ecclesiae indulta, scilicet ab Arnulpho et Henrico II regibus Romanorum. 821 |
| 31 dec. | Ap. Bernum. | — Monasterium de Rugersberg cum omnibus bonis ejus mobilibus et immobilibus sub speciali sua protectione recipit, praepositoque et confratribus hujus loci promittit quod advocatiam monasterii ad manus suas detinebit nec eam a dominio suo alienabit. 821 |
| . . . . . | . . . . . . . | — Ordinationem confirmat inter Aquensem ecclesiam et parrochianos dé Seneeche (Sinzig) super decimis vinearum ad eamdem parrochiam pertinentium factam. 822 |
| **1225** | | |
| 6 jan. | Apud Turegum. | — Ad supplicationem Guidonis abbatis de Cappel, in protectione sua suscipit quidquid hoc monasterium in Turego et in districtu ejus possidet, peculiariter domum ad ripam fluminis juxta pontem constructam et omnia quae in futurum legitimo modo acquirere poterit, eamdem ecclesiam omni exactione in perpetuum eximens. 825 |
| 11 jan. | . . . . . . | — Henricum comitem Barrensem et nobilem virum Fridericum de Brisseio pro gravaminibus quae ecclesiae Tullensi intulerunt legitime citatos, pro eo quod non comparuerunt diebus assignatis, juxta sententiam principum vinculo proscriptionis innodat. 826 |
| 18 jan. | Ap. Ulmam. | — Ad supplicationem Bernardi abbatis in Odenheim, culturam vinearum montis Eichelberg duodecim rusticis ecclesiae ab eo traditam sub certis conditionibus confirmat. 827 |
| 20 jan. | Ap. Ulmam. | — Ad petitionem archiepiscopi Coloniensis et de consilio principum imperii, ecclesiae et civitati Coloniensi confirmat privilegium quo Henricus sextus, 28 junii 1193, castrum Are ecclesiae archiepiscopali et theloneorum exemptionem burgensibus in feodo concesserat. 828 |

| 1225 | | |
|---|---|---|
| | | advocatum habere debeant, nisi quem ab imperio obtinuerint. 847 |
| 27 julii. | [Nordhausen]. | — Formam arbitrii approbans quo controversia super feodo Herbipolensi inter patrem suum Fridericum imperatorem et se ex una parte et ecclesiam Herbipolensem ex parte altera decisa est, nominatim exprimit feoda quae ab ecclesia eadem se habere recognoscit; reliqua autem omnia ab impetitione sua et successorum suorum libera declarat. 847 |
| 28 julii. | Nordhausen. | — Notum facit Moguntinum archiepiscopum et Hildeshemensem episcopum, post dissensiones varias super terminis partis quae est citra Gosam in Goslar, consensisse quod ecclesia Goslariensis in suo pristino statu remaneat, donec quaestio sit rationabiliter terminata. 849 |
| 23 aug. | Apud Ingelheim. | — Monasterio de Eberbach exemptionem thelonei super Rhenum apud Bopardiam confirmat, sicut pater suus Fridericus imperator anno 1218, 27 martii, eidem ecclesiae concesserat. 850 |
| 3 sept. | Wormatiae. | — Ad preces Engelberti Osnaburgensis electi, ei de consilio principum concedit auctoritatem exequendi judicium quod Gogericht dicitur per gogravios proprios, ita ut liberiorem habeat subditorum excessus corrigendi facultatem. 852 |
| 4 sept. | Apud Wormatiam. | — Ratam habet et confirmat alienationem qua eum debita solemnitate ecclesia Porcetensis (Burtscheid) bona in Costem (Kostheim) ecclesiae Beati Stephani apud Maguntiam vendidit. 852 et 853 |
| 7 sept. | Wormatiae. | — Sculteto et universis civibus de Rheinfelden concedit ne possessiones ad dominium civitatis pertinentes alienare debeat neque procurationem castri seu regimen civitatis alicui nisi providae et discretae personae committere. 853 |
| 7 sept. | Ap. Spiram. | — Commutationem quorumdam bonorum inter abbatem et fratres ecclesiae Odenheimensis et Rudolfum de Chisolowa factam ratam habet et confirmat. 854 |
| 23 sept. | Ap. Werden. | — Cunctis imperii fidelibus mandat ne ullum impendant auxilium civibus Bisuntinis qui archiepiscopum suum ejecerant communitatesque contra sententiam Berni latam statuerant. 855 |
| 28 sept. | Ap. Werden. | — Abbatiam Veteris Montis (Altenberg), Cisterciensis ordinis, cum omnibus bonis ejus sub sua defensione recipit, atque eidem confirmat examptionem thelonei per alveum Rheni tam in Bopardia quam in Werda. 857 |

| | | |
|---|---|---|
| **1225** | | |
| 12 oct. | Ap. Sinzig. | — De providentia consilii sui, ecclesiae et canonicis Aquensibus confert jus quoddam in villa sua Sintzig quod Rostant nominatur pro quo sibi et imperio sex solidi solvebantur, et quamdam aream adjacentem domui quam Fridericus imperator pater suus eidem ecclesiae in civitate Aquensi contulit. 858 |
| 21 oct. | Frankenfurt. | — Notum facit universis quod Otto praepositus ecclesiae S. Servatii in Trajecto consanguineus suus omni actioni quae super donatione obedientiae et jure patronatus ecclesiae in Fletingen ipsi competere videbatur, renuntiavit, et omne jus capitulo S. Servatii ad terminandam litem liberaliter contulit. 859 |
| . . . . . | . . . . . . . | — Ad petitionem Engelberti Coloniensis archiepiscopi et fratrum coenobii Campensis, eisdem fratribus indulget ut quascunque possessiones a fidelibus imperii obtinuerint sine qualibet contradictione in perpetuum possideant. 860 |
| . . . . . | . . . . . . . | — Abbatiam Campensem eximit ab omni theloneo seu pedagio apud domum suam Werdam (Kaiserswerth). 861 |
| 31 oct. | Apud Wimpinam. | — Pro remedio animarum inclytae recordationis divorum progenitorum suorum imperatorum et regum, coenobio de Adelberg donat mansum unum apud Heiliebrunnen (Heilbronn). 861 |
| 19 nov. | Hallis. | — Monasterium de Walkenried in sua protectione suscipit, fratres ejusdem advocato et burgensibus Goslariae commendat benigne tractandos et a civilibus oneribus eximendos, illosque immunes omni tributo specialiter apud Goslariam denuntiat. 862 et 863 |
| 30 nov. | Nurimberg. | — Compositionem confirmat coram se, archiepiscopo Salzburgense mediante, factam inter Gebehardum Pataviensem episcopum et Hermannum marchionem de Baden de persolutione debitorum ac promissis, quibus praedecessor Gebehardi Ulricus episcopus Pataviensis in transmarinis partibus marchioni praedicto se obligaverat. 864 |
| 1° dec. | Nurimberg. | — Ad petitionem Alberti Livoniensis episcopi, marchiam unam per episcopatum ejus instituit, eique concedit auctoritatem monetam faciendi et fundandi civitatem in Riga, ipsius fidei committens jus suum speciale super venas metalli et thesauros absconditos. 865 |
| 1° dec. | Nurimberg. | — Ad petitionem Hermanni Dorpatensis episcopi, marchiam unam, etc., fundandi civitatem in Dorpat, ipsius fidei, etc., *ut in altero.* 866 |

| | | |
|---|---|---|
| **1225** | | |
| 7 dec. (?) | Herbipoli. | — Fratres de Schönthal ab omni exactione officialium suorum eximit, ita ut se ipso vel regina conjuge sua apud Wimpinam commorante nec equi in eorum curiis hospitentur nec berestnrae (heersteuer) ab eis exigantur. 867 |
| **1226** | | |
| 20 febr. | Apud Frankenfort. | — Ratam habet pacem ordinatam per Conradum Portuensem et Sanctae Rufinae episcopum, Apostolicae Sedis legatum, inter Ottonem episcopum Ultrajectensem et Gerardum comitem Gelrensem, eidemque episcopo advocatiam Sallandiae confert, quam Gerardus miles de Buchorst habuit et comes Gelrensis post emptionem sibi resignavit. 870 |
| 21 febr. | Apud Frankenfort. | — Confirmat sententiam qua Conradus Portuensis episcopus, Apostolicae Sedis legatus, abbati et conventui Werdenensi confirmavit advocatias quinque curtium, scilicet Ludinghausen, Eicholz, Nordkirchen, Selheim et Werne, quas de eorum ecclesia impius Fridericus quondam comes de Isenburg tenebat in feodo et quae per sententiam fuerant ad ipsos reversae. 871 |
| 20 mart. | Hagnenau. | — Coenobium Beatae Mariae in Königsbruck a progenitoribus suis fundatum in sua protectione recipit, cum omnibus pertinentiis quarum quaedam ibidem exprimuntur. 872 |
| 31 mart. | Ap. Biberahe. | — Monasterio in Weingarten privilegium renovat de jure censualium et de novalibus in sylva Altorfensi excultis, hoc addens quod nullus colonorum ipsius monasterii aream in Altorf vel in Ravensburg jure fori possidere valeat. 872 et 873 |
| 22 april. | Apud Brixinam. | — Mandat ne quis haeredum, successorum aut consanguineorum Ottonis de Sancto Martino a patre suo proscripti abbatissam et ecclesiam Sonnenburgensem in bonis de jure vacantibus impedire seu molestare audeat. 873 et 874 |
| 11 junii. | Apud Tridentum. | — Notum facit se confoederationem iniisse cum Ludovico Franciae rege; quae quidem ex praecedenti tractatu patris sui, verbis competenter mutatis, innovatur. 875 |
| 11 junii. | Apud Tridentum. | — Ad petitionem et assensum Godefridi Cameracensis episcopi, sententiam damnationis contra cives Cameracenses propter eorum contumaciam differendam esse denuntiat, salvo quod nullum inde praejudicium episcopo generari possit, cum sententia sit immutabilis et episcopo in annum vel citius ejusdem pronuntiationem petere liceat. 876 |
| 15 aug. | Ap. Ulmam. | — Ad imitationem patris sui, Hermanno magistro hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum et fratribus ejus jus patronatus et quicquid juris in loco Kunitz juxta Bernum et in |

| 1226 | | |
|---|---|---|
| | | capellis pertinentibus ad imperium spectat, perpetuo possidendum concedit. 878 |
| 17 aug. | Ap. Ulmam. | — Notam facit formam compositionis coram se et duce Bavariae nutricio suo factam inter abbatem et conventum de Kreutzlingen et comitem Albertum de Rutimberch super bonis in Neckargau et censualibus hominibus ecclesiae in Wurmelingen ab ista ecclesia non alienandis. 879 |
| [august.] | Ap. Ulmam. | — Compositionem confirmat quondam initam per Lutholdum Basiliensem episcopum et Bertholdum ducem Zaringiae inter abbatem de Beinweiler ex una parte et nobiles de Thierstein ex altera. 881 |
| 23 aug. | Apud Wimpinam. | — Advocato et burgensibus Goslariae mandat ut Conrado episcopo Hildeshemensi, pro continua erga se et patrem suum fidelitate, contra canonicos Goslariae in jure ejus assistant, cum jurisdictionis possessio super ecclesias Goslarienses quae ab archiepiscopo Maguntino impetita fuerat, eidem episcopo fuerit adjudicata et a Conrado Apostolicae Sedis legato confirmata. 883 |
| 23 aug. | Apud Wimpinam. | — Conrado episcopo Hildeshemensi, propter magna et semper accepta servitia quae sibi et imperio praestitit, confirmat, sicut et pater suus jam fecit, dioecesanam jurisdictionem diu litigiosam super praepositum et capitulum Goslariense. 883 et 884 |
| 26 sept. | Esslingen. | — Ad petitionem papae, patriarchae Jerosolymitani et fratrum apud Denkendorf commorantium, ecclesiam Dominici Sepulcri ibidem cum omnibus ejus appenditiis in sua protectione recipit, statuitque ut ejusdem ecclesiae protectio non possit ab auctoritate imperiali alienari. 884 |
| 7 octob. | Ap. Haug? | — Recognoscit Gerechino de Sintzig jus patronatus in Konigsfeld, hac conditione ut clericus in hac villa et in capella castri imperialis Landscron faciat residentiam. 885 |
| 6 nov. | Apud Weingarten. | — Coenobio Sancti Petri in Augea (Weissenau) ecclesiam parrochialem Briganziae cum capella in Wolfurt contradit, omnemque traditionem quam pater suus et caeteri sui praedecessores eidem fecerunt confirmat, statuens ut ea libertate fruatur qua caetera coenobia sanctae Romanae Ecclesiae attinentia. 886 |
| 13 nov. | Augustae. | — Monasterium Ursperg cujus advocatiam a patre suo Friderico II titulo pignoris obligatam, ducentis marcis a praeposito et fratribus ejusdem claustri persolutis, ex potestate Alberti de Niwenburc redemerat, sub sua et imperii perpetua |

| 1226 | | |
|---|---|---|
| | | protectione recipit, possessiones etiam ejus et privilegia confirmat, ministerialibus quoque suis et imperii res ipsorum monasterio praedicto conferre permittit, electionem denique defensoris fratribus ejusdem monasterii concedit. 888 |
| 22 nov. | Apud Herbipolim. | — Ad petitionem C. praepositi majoris ecclesiae in Hildesheim, novam civitatem inter Hildesheim et Losbeke constitutam liberam declarat, ita ut soli praeposito subsit, nundinas et fora ibidem instituens. 890 |
| novemb. | Apud Herbipolim. | — Memorans sententiam noviter in curia patris sui promulgatam nec non et dilationem a se ipso apud Tridentum concessam de lite inter episcopum et cives Cameracenses, cum petitioni episcopi jus facere teneatur, privilegia civium omnino cassa diffinitive declarat; jubetque ut haec omnia dicto episcopo reddere teneantur et campanae communiaque destruantur, nulla jurisdictione praedictis civibus reservata. 891 |
| 26 nov. | [Apud Herbipolim]. | — Praecedentem sententiam civibus Cameracensibus notificat, firmiter praecipiens quatenus infra decem dies post receptionem litterarum, omnia ipsorum privilegia episcopo restituant, campanasque et communiam penitus destruant. 895 |
| 26 nov. | Apud Wirceburg. | — Ad preces principum in sua generali curia existentium, donationem ecclesiae in Esslingen a patre suo Friderico imperatore canonicis majoris ecclesiae Spirensis factam ratam habet et quidquid juris in ista ecclesia sibi competere videtur eisdem confert. 896 |
| 27 nov. | Apud Herbipolim. | — Ad petitionem Sifridi archiepiscopi Moguntini et ex consilio principum suorum, statuit ut homines archiepiscopi praedicti qui se in oppidum regium Oppenheim receperunt eidem reddantur et ulterius ibidem non colligantur; rescindit etiam confoederationes quibus civitates Moguntia, Pinguia (Bingen), Wormatia, Spira, Frankinvort, Geilinhusen et Fridebere in praejudicium ecclesiae Moguntinensis se invicem obligarunt. 898 |
| 28 nov. | Apud Herbipolim. | — Compositionem inter imperatorem patrem suum et seipsum ex una parte et Bertholdum episcopum Argentinensem ex altera ratam habet, omni actioni in successione bonorum comitissae de Dagsburg renuntiat, castrum de Girbaden episcopo tradit et castrum Viebersheim pro mille marcis argenti obligat, si patrem suum ad approbationem praedictorum inducere nequiverit. 899 et 900 |

| | | |
|---|---|---|
| **1226** | | |
| [nov. vel dec.] | Herbipoli. | — Notum facit quod cum nefandus comes Fridericus (de Isenburg) advocatiam in Herbette quam tenebat ab abbatissa de Kaufungen, cum aliis feudis per sententiam principum amiserit, praedicta advocatia ad liberam ejusdem abbatissae dispositionem reversa est. 901 |
| **1227** | | |
| 29 jan. | Apud Ratisponam. | — Notum facit quod Henricus nobilis de Egersperge cum uxore et haeredibus suis omnia bona sua quae habebat apud Mergentheim fratribus domus Sanctae Mariae Theutonicorum vendidit et contradidit; quam venditionem ipse solemniter conscribi et sigillari facit. 904 |
| 14 feb. | Apud Ezzelingen. | — Ad supplicationem abbatis de Petridomo, promittit quod advocatias quas hic abbas ab Hildeboldo de Stegborn comparavit caeterasque advocatias quas idem justo modo poterit adipisci, a manibus suis alienari non patietur. 905 et 906 |
| 15 feb. | Ulmae. | — Coenobium Sanctae Mariae in Soreth cum omnibus bonis ejus mobilibus et immobilibus in sua protectione suscipit juraque ejus et privilegia confirmat. 906 |
| 15 mart. | Apud Herbipolim. | — Monasterio de Waltsassen jus patronatus ecclesiae in villa Wundreb ad se jure haereditario devolutum donat. 908 |
| 20 mart. | Apud Augustam. | — Monasterio Steingaden proprietatem duorum mansorum in villa Widergeltingen, quam olim dux Welfo illi tradiderat, et jus feudi in eisdem mansis quod duo fratres de Dachspere pro LXX marcis argênti regi nunc resignabant, confirmat et confert. 909 |

DOCUMENTA VARIA AD RES ITALICAS ET SICULAS SPECTANTIA.

| | | |
|---|---|---|
| **1220** | | |
| 26 dec. | Apud Podium Bonizi. | *Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aulae cancellarius et Italiae legatus*, confirmat et ratam habet venditionem factam Rainutio Philippi Malavoltaa civi Senensi a Spatacurta Ubertini de castro Ripae et ejus districtu. 332 |
| **1221** | | |
| 6 jan. | Ap. Sanctum Miniatum. | — Notificat sententiam a se in curia Frankenfordensi (aprili 1220) latam, qua declaravit sigillum civitatis Aquensis in custodia decani Aquensis ecclesiae jugiter esse debere. 99, not. 2. |
| 13 jan. | Apud Fucecchium. | — Promittit communi Senensi se in futuro transitu suo ultramarino eis daturum plenam jurisdictionem in homines illius terrae et pedagium portarum necnon facultatem cudendi monetam. 105 |

| | | |
|---|---|---|
| **1221** | | |
| 22 jan. | Bononiae. | — Mittit epistolam Friderici imperatoris Bertholdo Aquilegensi patriarchae cui committebat causam inter comitem Ubertum de Castro Novo et archiepiscopum Ravennatem. 75 |
| 23 jan. | Bononiae. | — Comiti Ugolino de Panico omnes ejus possessiones confirmat. 116, not. 2. |
| 27 jan. | Bononiae. | — Rodulpho priori monasterii Sancti Severi in Classe imperialem protectionem concedit, bona monasterii ipsius et possessiones enumerans et confirmans. 47, not. 1. |
| 29 jan. | Reggio. | — Scribit Hugoni Juliano comiti in Romandiola ut juxta mandatum Friderici imperatoris mittat in possessionem Castri Novi comitem Ubertum. 75 |
| 4 febr. | Laudi. | — Universis imperii fidelibus per Tusciam constitutis notum facit se nuntium suum in hac provincia constituisse Everardum de Lutra, familiarem suum, ut vice sua omnia negotia imperii disponat tam in judiciis quam in bannis. 115 |
| 13 feb. | . . . . . . . | — Recipit a potestate et nunciis Dertonensibus quinquaginta marcas argenti propter privilegium jurisdictionis de terra Castri Novi, quod imperator civitati Dertonensi concessit, jubetque ut homines Castri Novi potestati et civitati Dertonensi per omnia obediant. 26, not. 1. |
| 22 febr. | Apud Cumas. | — Guillelmo de Pusteria licentiam concedit accipiendi de rebus communis Astensis usque ad solutionem ducentarum marcarum argenti pro redditibus octo annorum praeteritorum, sub poena quingentarum marcarum argenti eidem communi imposita si debitas marcas eidem Guillelmo non solverit. 133 |
| 24 feb. | Apud Cumas. | — Privilegium tanquam imperii legatus civitati Cumarum indulget. 134, not. 1. |
| **1220** | | |
| 25 nov. | In prato circa Urbem. | *Hugo[linus] Ostiensis et Velletrensis episcopus*, in praesentia Friderici Romanorum imperatoris, potestatem et consilium Parmae excommunicat et terram supponit interdicto, pro ignominia a communitate Parmensi in suum episcopum illata; quam sententiam imperator ratam habens cum consilio principum imperii ore proprio confirmat. 48 |
| 22 dec. | Ravelli. | *Homodei Ravelli notarius*, secundum edictum imperiale (in curia Capuana promulgatum) ut sublato modo scribendi usque nunc in Neapoli, ducatu Amalfiae et Surrenti servato, instrumenta publica per litteraturam communem et legibilem scribantur, rescribit et renovat instrumentum venditionis a Johanne Pironti Pantaleoni de Maurone olim factae. 91 et 92, not. 1. |

| | | |
|---|---|---|
| **1223** | | |
| 18 febr. | Ap. Sanctum Germanum. | *Conradus Hildesemensis episcopus* ministerialibus ecclesiae suae scribit quomodo moram suam protulerit expectando diem quo papa cum cardinalibus et imperator cum rege et patriarcha Jerosolymitano caeterisque principibus invicem occurrent, de successu Terrae Sanctae et pace generali tractaturi. 317 |
| 28 april. | Senis. | *Albertus episcopus Tridentinus et Tusciae legatus* confitetur se recepisse a provisoribus communis Senensis septuaginta marcas argenti ad pondus et marcam Coloniae, quae debebant solvi Friderico imperatori pro censu. 350, not. 2. |
| 3 aug. | . . . . . . . | *Petrus Bonus, judex et ambassiator Ravennae*, denuntiat Johanni de Guarnaccio (Wormatia) Romaniae comiti et nuntio Alberti archiepiscopi Magdeburgensis ad pignora recipienda a communi Ravennati, [facultatem] tradendi Bretenorium pro 300 marcis argenti. 189, not. 1. |
| 13 sept. | Ap. Trojam. | Concordia inter Oderisium praepositum Sancti Liberatoris et Jacobum praepositum Sancti Angeli in Marano ex una parte, Philippumque et Actonem de Troja ex altera super lite contestata de monasterio Sancti Angeli de Marano. 107, not. 1. |
| 11 oct. | Apud Fructuariam. | *Bonifacius de Monteferrata* Sedi Apostolicae pollicetur a se patrem suum Guillelmum ad sacram movendam expeditionem animandum. 426, not. 1. |
| **1223** | | |
| 31 maii. et 7 junii. | . . . . . . . | *Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, imperii legatus et comes Romaniolae*, renovat sententias a Conrado episcopo Metensi et Spirensi tunc imperiali legato prolatas, quibus jubetur ut commune Astense sub poena banni ducentas argenti marcas Guillelmo de Pusteria debitas exsolvat. 134 |
| 19 oct. | . . . . . . . | — Mittit suum nuntium ad ponendum in possessionem Castri Novi Ubertum comitem de Castro Novo. 75 |
| **1224** | | |
| 28 aug. | . . . . . . . | — Se recepisse testatur 800 marcas pro censu comitatus Ravennae. 189, not. 1. |
| **1223** | | |
| novemb. | Foggiae. | *Petrus de Sancto Germano, judex curiae*, in absentia Henrici de Morra magnae imperialis curiae magistri justitiarii, una cum Simone [de Tocco] et Guisando de Rubo judicibus pariter curiae, scribi facit conventionem factam inter procuratores conventus Cassinensis et Johannem de Archiepiscopo, civem Trojae. 433, not. 1. |

| | | |
|---|---|---|
| **1223** decemb. | Foggiae. | *Henricus de Morra, magnae imperialis curiae magister justitiarius*, sententiam pronuntiat in favorem episcopi Teatini, quam anno sequenti imperator confirmavit. 433, *add. ad* not. 1. |
| **1225** julio. | Trojae. | — Assidentibus sibi Simone de Tocco, Guisando de Rubo et Henrico de Tocco ejusdem curiae judicibus, sententialiter pronuntiat Oderisium de Corropolo debere abstinere imponendis collectis, adjutoriis aut aliis servitiis hominibus ecclesiae Sanctae Mariae de Mugilano. 496 |
| **1226** maio. | Ap. Capuam. | — Assidentibus sibi Simone de Tocco et Guisando de Rubo, imperialis curiae judicibus, post inquisitionem a justiciariis Terrae Laboris factam, sententialiter pronuntiat conventum Cassinensem piscatorem specialem debere habere in quarta parte piscariae Fundi. 541, not. 1. |
| **1224** martio. | Apud Cataniam. | *Simon et Henricus de Tocco et Roffredus de Sancto Germano, magnae imperialis curiae judices,* declarant Guillelmum marchionem Montisferrati in praesentia sua et testium a Friderico Romanorum imperatore novem millia marcarum argenti in mutuum accepisse, pro quarum solutione omnia ipsius bona immobilia obligavit. 425 |
| **1225** 12 julii. | Senis. | Procuratores Rainaldi ducis Spoleti, imperialis in Tuscia legati, confitentur se a provisoribus communis Senensis recepisse 367 libras Senenses pro 70 marcis argenti quae hoc anno imperatori debebantur. 504, not. 2. |
| **1226** januar. | ....... | *Alexander de Policastro, imperialis Calabriae et Terrae Jordanae justitiarius*, veritate inquisita super querelam abbatis et conventus Sancti Stephani de Bosco contra Riccardum de Altavilla et alios, terras et molendinum quae fuerunt quondam Costae Ploymi eidem conventui sub redditu unius regalis adjudicat. 519 |
| 6 maii. | In castro S. Quirici in Osenna. | *Rodulphus de Sancto Miniate, vicarius imperatoris in Tuscia*, ratum habet et confirmat quod abbatia Sancti Petri in Campo se in protectionem civitatis Senensis dederit. 571, not. 1. |
| 10 junii. | Ap. Parmam. | *Geroldus patriarcha Jerosolymitanus* et omnes praelati tam Theutonici quam Italici, cum eo apud Parmam constituti, episcopo Hildesemensi consilium praebent ut juxta litteras apostolicas sententiam excommunicationis in Lombardos proferat, cum isti Henrico Romanorum regi et principibus accessum ad imperatorem in curia Cremonensi denegaverint, |

| | | |
|---|---|---|
| **1226** | | nisi sub certis conditionibus quae omnino imperialem excellentiam dedecebant. 609 |
| 27 sept. | Foggiae. | *Rainaldus dux Spoleti et Tusciae legatus* Eberardum nepotem suum constituit castellanum Sancti Miniatis cum justitiis, juribus, rationibus et omnibus imperii honoribus. 678 |
| 2 nov. | Romae. | — Universis per Tusciam constitutis notum facit se cum ad praesens ad negotia Tusciae peragenda personaliter adesse nequeat, Eberardo castellano Sancti Miniatis nepoti suo vicariam Tusciae generalem et specialem commisisse. 685 |
| 8 nov. | Albelis (Albdiga). | *Thomas comes Sabaudiae, vicarius in Lombardia* Friderici Romanorum imperatoris, Ugolino Donedamae potestati Massiliae promissionem solemniter jurat de jurisdictione ordinaria et mero imperio eidem communi concedendis atque de diversis libertatibus ibidem expressis, addens quod privilegium in hac forma ab imperatore Friderico confirmari faciet et bannum imperiale relaxari. 686 et 687 |

---

DOCUMENTA VARIA AD RES ALEMANNICAS SPECTANTIA.

| | | |
|---|---|---|
| **1221** | | |
| 6 maii. | Maguntiae. | *Engelbertus Coloniensis archiepiscopus* notificat per consilium suum Henricum Romanorum regem in irritum revocavisse sententiam pro comite Hollandiae Willelmo contra comitissam Flandriae et Hannoniae Johannam quondam in curia Frankfordensi latam. 721 |
| [augusto circiter.] | Weissenburg. | *Archiepiscopus Trevirensis, Spirensis, Ratisbonensis et Basiliensis episcopi, abbates de Weissenburg et de Murbach* ministerialibus ecclesiae Hildeshemensis mandant ut ad obsequium Conradi Hildeshemensis electi libenter accedant; alioquin ad colloquium in festo Sancti Ægidii apud Francfort indictum veniant, justitiae plenitudinem recepturi. 723 |
| 25 aug. | . . . . . . | *Abbates de Murbach et de Nuenburg et S. comes de Werda*, judices ab imperatore delegati, controversiam inter ipsum et episcopum Argentinensem de quibusdam possessionibus exortam per compositionem terminare student. 756, not. 1. |
| 11 junii. | Norhampton. | *Henricus III, Angliae rex*, abbati Belliloci et Walerano Theotonico euntibus in Alemanniam et Johanni Lupo, nuntio ac imperialis aulae camerario, marcas argenti pro expensis liberari facit. 783, not. 1. |

| | | |
|---|---|---|
| **1223** | | |
| 5 dec. | Apud Turrim Londinensem. | — Mandat ut Bernardo de Horstmare et Arnoldo de Gimenich, nuntiis imperatoris, centum marcae liberentur et una bona navis cum probo gubernatore eis exhibeatur usque ad securum portum in partibus eorum. 783 |
| **1225** | | |
| 3 jan. | Ap. Westmonasterium. | — Ad ducem Austriae et ad archiepiscopum Coloniensem legatos suos mittit, cum eis tractaturos de negotiis suis et matrimonio suo. 824 |
| 27 aug. | Ap. Westmonasterium. | — Episcopum Carleolensem rogat ut in partibus Alemanniae moram suam proroget, usque dum cum assensu Coloniensis archiepiscopi et sine periculo negotii sibi injuncti recedere possit. 851 |
| **1224** | | |
| 5 maii. | . . . . . . . | *Waltherus de Eschibach* apud Bernum confitetur jus advocatiae in ecclesia Interlacensi ad se non spectare nisi ex commissione imperatoris Friderici. 790, not. 1. |
| 4 julii. | . . . . . . . | Forma primae compositionis initae super liberatione Waldemari Danorum regis a carcere quo per comitem de Schwerin tenebatur. 798 |
| . . . . . | . . . . . . . | *Conradus episcopus Portuensis, Apostolicae Sedis legatus*, compositionem concludit inter imperatorem Romanorum et episcopum Argentinensem. 756 |
| **1225** | | |
| 20 jan. | Ulmae. | — Confirmat donationem factam ab Alberto comite de Calw fratribus Dominici Sepulchri apud Denkendorf. 831, not. 1. |
| **1226** | | |
| 11 feb. | Apud Coloniam. | — Confirmat donationem ab Henrico rege Romanorum factam ecclesiae Aquensi de jure quod dicitur Rostant apud villam Sintzig. 859, not. 1. |
| **1225** | | |
| [circa med. februar. | Coloniae.] | *Walterus Carleolensis episcopus* Henrico tertio Angliae regi suae ad archiepiscopum Coloniensem legationis rationem reddit de matrimonio inter [Henricum] Alemanniae regem et sororem ipsius regis contrahendo, simulque de confoederatione cum Francorum rege impedienda : nuntiat animum archiepiscopi optime ad hoc propositum inclinari, sed imperatorem multa oblata pecunia conciliandum fore. 833 |
| . . . . . | . . . . . . . | *Leopoldus dux Austriae et Styriae* Henrico Angliae regi respondet super matrimonio inter filiam suam et ipsum regem contrahendo. 838, not. 1. |
| . . . . . | . . . . . . . | *Johannes archiepiscopus Bisuntinus* civibus Bisuntinis notam facit quod rex Alemanniae vetuit ne aliqua communitas vel obligatio sine consensu suo fieri possit, et quicquid contra hoc factum fuerit revocavit. 856, not. 3. |

| | | |
|---|---|---|
| **1226** | | |
| 23 maii. | Ap. Monjoie. | *Henricus, comes de Monte*, filius Walrami ducis de Limburg confirmat donationem ab Henrico rege Romanorum factam ecclesiae Aquensi de jure quod dicitur Rostant apud Sintzig. 859, not. 1. |
| circi unii ter.] | . . . . . . . | Praelati et barones in exercitu Ludovici Franciae regis crucesignati Friderico Romanorum imperatori exponunt injurias ab Avinionensibus eidem regi et crucesignatis illatas, depraecantes ne ulli falsae suggestioni de obsidione civitatis Avinionis fidem adhibeat, cum rex contra jus imperatoris venire nec velit nec debeat. 612 |
| decemb. | . . . . . . . | *Archiepiscopus Moguntinus, Wormatiensis, Halberstadensis, Augustensis, Curensis et Verdensis episcopi*, in concilio Moguntino nuper congregati, imperatori scribunt et eum rogant ut concordiam inter ipsum et ecclesiam Argentinensem per imperiales delegatos tractatam confirmare velit. 901, not. 1. |

# INDEX

NOMINUM ET PERSONARUM QUAE IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

(Personae ad sua nomina, non ad cognomina disponuntur. Quando nomina seu initiales litterae defuerint, quaerendum ad litt. N.)

# INDEX

## LOCORUM GEOGRAPHICUS.





# ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 24, lin. 20, conferma sia, *legendum* conferma, ma.

P. 48, lin. 18, *post* episcopum et clerum, *addenda nota* (1) : Cf. in collect. Laporte du Theil ap. Biblioth. Paris. epistolam Honorii Philippo Francorum regi scriptam, que rogat ut bona mercatorum et aliorum Parmensium quae in terra ejus inveniri contigerit, tamdiu faciat detineri donec ad ecclesiae mandatum redierint. Dat. Laterani, XV kal. decemb., anno quinto (17 novemb. 1220).

P. 108, lin. 5, Wurdtwein, *subsid. nov.*, tom. XI, p. 4, *delendum*.

P. 128, lin. 9, *post* minus recte, *addendum :* et ap. Tiraboschi, *Memor. Moden.*, t. IV, app. 71, n° 733, sed minus integre.

P. 137, lin. 25, *post* Fabariensi, *addendum :* Licet in hoc privilegio mentio sigilli non fiat, bulla aurea appendebat ex filis sericis rubei coloris; quae tempore Scheuchzerii adhuc integra, postea deperdita fuit. In exemplari authentico anni 1394 haec bulla describitur quoad figuram imperatoris attinet. Adversa vero facies quae fuerit nescimus. Cf. Wegelin, *Regest. der abtei Pfävers*, p. 11, n° 67.

P. 223, lin. 8, *post* inopiam paupertatis, *addenda nota* (1) : De hac persecutione fusius agit Manfredus in diplomate ap. Gregorio, *Consider. sopra la stor. di Sicil.*, t. III, prove, p. 1, not. 5, his verbis : « Tempore guerrarum quo dominus » Urso Agrigentinus episcopus ab Agrigentina ecclesie tribus vicibus omni- » bus bonis ecclesie destitutus fuit et expulsus : primo per dominum impera- » torem Henricum pro eo quod dicebatur esse filius regis Tancredi; secundo » per comitem Guglielmum Capparonum qui tunc temporis erat dominus » Agrigenti, pro eo quod dominus episcopus nolebat ei prestare juramentum » fidelitatis; et tertio, tempore domini nostri imperatoris Friderici memorie » recolende, fuit captus a Saracenis et detentus in castro Guastanelle per » menses XIV, et sic isto tempore supradicto ecclesia Agrigentina fuit ex- » spoliata tam privilegiis quam aliis bonis suis; et Saraceni etiam tenebant » ecclesiam, etc. »

P. 240, lin. 19, data ibidem 17 aprilis, *legendum :* data ibidem 24 aprilis; qua universos archiepiscopos et episcopos Theutoniae monet se Fridericum imperatorem transfretare volentem in sua protectione recepisse. *Index litter. Honor.*, in coll. Laporte du Theil ap. Biblioth. Paris.

P. 241, lin. 32, *ad calcem notae addendum :* Cf. *Annal. S. Rudberti Salisburg.* ad ann. 1222, ap. Pertz. *Monum. Germ. Hist.*, t. XI, p. 782.

P. 254, lin. 18, *San-Cosmano* vocata, *legendum : San-Cosmano* vel *San-Cosimo* vocata.

P. 257, lin. 30, juxta Trepanum, *legendum :* juxta pagum dictum *San-Giuseppe li Mortilli.*

P. 259, lin. 25, *ad calcem notae addendum :* Rem denique memorat Bzovius, *Annal. eccles.* ad ann. 1224, § II, his verbis : « Namque proximis mensibus ad ecclesiam *Brundusinam* Joannem quemdam suum notarium intrudebat et a » pontifice confirmari postulabat. Caeterum Honorius nequicquam voluit » praestare. »

P. 266, *in margine*, octobri, *legendum :* Messanae, octobri.

P. 291, lin. 27, *ad calcem notae addendum :* Codex autem Parisiensis 4666 A recte habet *Prechinam.*

P. 326, lin. 13, et hec, *legendum* et hee.

P. 334, lin. 1, Eberstan, *legendum* Eberstain.

*Ibid.*, lin. 25, futurum, *legendum* futurorum.

P. 380, *in titulo*, [Ann. 1232], *legendum* [Ann. 1223].

P. 383, lin. 30, obtinuit, *legendum* obtinuerit.

P. 412, lin. 29, (Piazza) *delendum.*

P. 422, lin. 32, nitricibus, flammis, *legendum* ultricibus flammis, *deleta virgula.*

P. 423, lin. 13, *post* fol. 211, *addendum :* et cod. Aug. 13, 4, in Biblioth. Guelferbitana.

P. 424, lin. 31, jam sex annis, *legendum* jam duobus annis.

P. 434, lin. 4, *post* confirmamus *addenda nota* (1) : Circa hoc tempus alteram quoque sententiam imperator confirmavit, ab Henrico de Morra magistro justitiario apud Foggiam decembri 1223 latam pro episcopo Theatino. Cf. Ughelli, *Ital. sacra*, t. VI, p. 718.

P. 453, lin. 2, mora, *legendum* more.

*Ibid.*, lin. 23, *post* monasterii, *addendum* sanctorum.

P. 455, lin. 30, Philad. Magnos, *legendum* Philad. Mugnos.

P. 464, lin. 23, *post* relicta, *addendum :* Monemus tamen virum tantae auctoritatis Boehmerum non sine probatis causis eidem falsitatis crimen intentare.

P. 471, *in margine*, Panormi, januarii, *legendum* Panormi, 2 januarii.

P. 530, lin. ultima, *nota (b) omnino delenda.*

P. 538, lin. 20, potuit, *legendum* potuerit.

P. 552, lin. 25, presumpsit, *legendum* praesumpsit.

P. 592, lin. 31, ut in praecedenti volumine diximus, *delendum.*

P. 642, lin. 29, quinto die junii, *legendum* 28 aprilis, 3 maii et 5 junii.

P. 660, lin. 11, *post* Lunig, etc., p. 2117, *addendum :* — Dumont, *Corps diplomat.*, t. I, p. 295, et t. V, p. 294, ex exemplaribus annor. 1355 et 1577.

P. 672, lin. 27, ejus, *legendum* eorum.

P. 701, lin. 25, Candeli, *legendum* Candele.



P. 722, lin. 18, Maguntino, *legendum* Trevirensi.

P. 728, lin. 2, quod non, *legendum* quod nemo.

P. 742, lin. 11, Henrico, *legendum* Hugoni.

*Ibid.*, lin. 15, predictae, *legendum* praedictae.

*Ibid.*, lin. 20, Henrico, *legendum* Hugoni.

P. 758, lin, 14, et concessionis, *legendum* et exactionis.

P. 782, lin. 22, Hermannus, Albertus, *legendum* Hermannus [Lupus], Albertus.

P. 826, lin. 27, compatutione, *legendum* computatione.

P. 876, lin. 10, prejudicium, *legendum* praejudicium.

P. 880, lin. 2, *post* fecit, *addendum :* Ab originali quod nobis postea communicavit Kauslerus appendent duo sigilla, unum ex filis rubeis sericis sacculo insutum et in frusta diffractum; alterum ex filis sericis caerulei coloris, equestrem ducis vexilliferi figuram exhibens, cum ista legenda : ODEWIC.. DEI GRA.IA DVX BAWA...

*Ibid.*, lin. 29, delicta, *legendum* debita.

P. 888, lin. 6, *post* novembris, *addenda nota* (1) : Circa hoc tempus Conradus, abbas Sancti Galli, praesentatus apud Uberlingen Henrico regi, duce Bavariae in curia manente cujus consilio res imperii tunc disponebantur, abbatiae prout imperii principem decuit, suscepit investituram. Cf. Conr. de Fabaria, ap. Pertz, *Monum. Germ. hist.*, t. II, p. 174.

P. 898, lin. 6, in Cazenwichus, *legendum* in Cazenwicho.

P. 1061, col. 1, lin. 35, Calade portus, *legendum* Caladae porta.

# INDEX MATERIARUM

## VOLUMINIS SECUNDI

### TAM IN PRIMA QUAM IN SECUNDA PARTE.

EN VENTE

A LA LIBRAIRIE ALLEMANDE, FRANÇAISE ET ÉTRANGÈRE DE A. FRANCK.

PARIS, RUE RICHELIEU, 67

Prix du volume : [illegible] fr.

---

## A LA MÊME LIBRAIRIE

GRANDE CHRONIQUE DE MATTHIEU PARIS, traduite en français et annotée par A. Huillard-Bréholles, et précédée d'une introduction par M. le duc de Luynes, membre de l'Institut. Paris, 1840-1841. 9 volumes in-8. Prix. . . . . [illegible]

RECHERCHES SUR LES MONUMENTS ET L'HISTOIRE DES NORMANDS ET DE LA MAISON DE SOUABE DANS L'ITALIE MÉRIDIONALE, publiées par les soins de M. le duc de Luynes, membre de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres ; texte par A. Huillard-Bréholles, traducteur de *Matthieu Paris* ; dessins par Victor Baltard, architecte. Paris, 1844 ; imprimerie Panckoucke. 1 vol. grand in-folio avec [illegible] planches. Prix, cartonné. . . . . 90 fr.

[illegible]





